AD. TANQUEREY

SYNOPSIS THEOLOGIAE MORALIS

Alfred T. Ferrara
St. Mary's Seminary
Balt. Md.

no, 47, 55, 61, 64, 67. - 20 memory

"Questions and Answers
the Sacraments } Mahoney

SYNOPSIS THEOLOGIÆ MORALIS ET PASTORALIS,

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS,
HODIERNIS MORIBUS ACCOMMODATA

T. I. — De Pænitentia, Matrimonio et Ordine.

N° 664 — I.

JUS PROPRIETATIS AUCTOR SIBI VINDICAT

INCARNATÆ SAPIENTIÆ,

QUÆ ATTINGIT A FINE

USQUE AD FINEM FORTITER,

ET DISPONIT OMNIA SUAVITER,

VIRGINIQUE IMMACULATÆ,

SEDI SAPIENTIÆ,

HOC OPUS DEDICAVI

"Deus, patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ quæ a te facta est; ut disponat orbem terrarum in *æquitate et justitia*, et in directione cordis judicium judicet : da mihi *sedium tuarum assistricem sapientiam*, et noli me reprobare a pueris tuis, quoniam *servus tuus sum ego*, et *filius ancillæ tuæ;* homo infirmus, et exigui temporis, et *minor ad intellectum judicii et legum.*"

(*Sap.* IX, 1-6).

"Sedes Sapientiæ, ora pro nobis."

SYNOPSIS THEOLOGIÆ MORALIS ET PASTORALIS

TOMUS PRIMUS

DE PÆNITENTIA, DE MATRIMONIO ET ORDINE

Auctore AD. TANQUEREY

Cooperantibus C. BELMON, A. CANCE, ET ALIIS

EDITIO DUODECIMA
QUAM TERTIO POST CODICEM RECOGNOVIT

F. CIMETIER
Professor in Universitate Catholica Lugdunensi

Published and Distributed in the Public Interest
with the consent of the Alien Property Custodian
under License No. A-36.

NEW YORK, BOSTON, CINCINNATI, CHICAGO,
SAN FRANCISCO

BENZIGER BROTHERS, INC.

PRINTERS TO THE HOLY APOSTOLIC SEE

Editio undecima Synopsis Theologiæ moralis,
auctore AD. TANQUEREY.

Nil obstat.
Parisiis, die 29 Aprilis 1930.
P. VIGUÉ, Censor deputatus

IMPRIMATUR.
Parisiis, die 29 Aprilis 1930.
✠ JOANNES CARD. VERDIER.

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 10 Junii 1930.
V. CANTINEAU, Vic. Gen.

Copyright 1925 by DESCLÉE & Co., Paris.
Copyright vested in the Alien Property Custodian, 1943, pursuant to Law.

PRÆFATIO

Synopsis Theologiæ Dogmaticæ Lectoribus.

DILECTISSIMI in Christo Lectores, vobis suggerentibus, hanc *Synopsim Theologiæ Moralis et Pastoralis* concinnavi, ut ea quæ de catholicis Dogmatibus jam scripsi, expositione christianæ Ethicæ absolverem. Quum enim moralis scientia indivulse cum dogmatica connectatur, ab eaque pendeat, præstat sane ut, in quantum fieri possit, in unum doctrinæ corpus utraque redigatur, quo melius pateat utramque amico et indissolubili fœdere sociari.

Hæc Synopsis non erit *mere casuistica*, sed etiam *doctrinalis* et *speculativa;* etsi enim principia morum ad casus particulares applicare oporteat, ipsa principia exponere ac probare magis necessarium est, ut ex eis rite intellectis logice deduci valeant practicæ conclusiones, quas sapiens conscientiarum moderator pænitentibus sibi commissis, pro variis personarum, locorum ac temporum circumstantiis, accommodabit.

Moralem doctrinam tradentes, *pastoralem* non omnino prætermittimus; sed, data opera, practicum agendi modum in sacramentorum administratione quoad parvulos, devotos, moribundos, sponsos aliosque hujusmodi breviter delineamus, lectorem remittendo, pro fusiore hujus rei expositione, ad probatos auctores. Ita pariter, dum de virtutibus sermo habetur, non solum quid stricte liceat vel prohibeatur, declaramus, sed etiam quid expediat, quibusque mediis hujusmodi virtutes coli et augeri valeant.

Divi Thomæ Aquinatis et *S. Alphonsi de Ligorio*, pro modulo nostro, vestigiis inhæremus; prior in secunda et tertia parte Summæ Theologicæ principia vere aurea de moribus ac virtutibus, necnon de Sacramentis non minus solide quam lucide tradit; posterior in principiorum applicatione

præ ceteris prudentia et sagacitate pollet. Cæterum, inter modernos, *Suarez*, *De Lugo*, *Salmanticenses* et *Billuart;* inter recentes, *Carrière*, *Lehmkuhl*, *Müller*, *Bouquillon*, *Ballerini* et *Noldin* sæpius præ oculis habuimus [1]. "*In delectu autem sententiarum*, ut mea faciam verba S. Alphonsi [2], *ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati præponere; et priusquam meum ferrem judicium, in eo (ni fallor) totus fui, ut in singulis quæstionibus me indifferenter haberem, et ab omni passionis fuligine exspoliarem*".

Si quid vero falsi vel minus recti in hanc nostram *Synopsim*, contra mentem nostram, irrepserit, mihi parcat benignus lector, parcat et S. Mater Ecclesia, cujus judicio ea omnia quæ scripsi vel scribam humiliter subjicio.

Baltimoræ scribebam, in die Pentecostes, 18ª Maii 1902.

AD. TANQUEREY.

APPROBATIO EMINENTISSIMI

FRANCISCI CARDINALIS RICHARD,

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS.

Quantum prosit ad rectam clericorum in scientiis theologicis institutionem doctrina e purissimis fontibus hausta, clara et scientifica methodo exposita, et simul nostri temporis necessitatibus moribusque accommodata neminem latere potest. His porro dotibus pollet, prout Nobis relatum ac probe compertum est, opus cui titulus *Synopsis Theologiæ Dogmaticæ et Moralis*, in quinque volumina distributum, quibus mox sextum et ultimum addetur, quod conscripsit *D. Tanquerey*, e presbyteris Sodalitatis Sancti Sulpitii, theologiæ professor in Nostro Seminario. In hoc enim opere diligentius excussa sunt Sacræ Scripturæ loca, juxta votum *Leonis XIII*, qui valde exoptat ut "divinæ Scripturæ usus in universam theologiæ influat disciplinam ejusque prope sit anima" [1]; nec Patrum aut Conciliorum, quippe quæ et ipsa veritates revelatas contineant, testimonia neglecta sunt. Et quia, juxta præceptum Apostoli, Christi minister oportet *potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere*, contradictores inducit auctor, contradictores, dico, nostri præsertim temporis, quos præcipue interest hodie confutari, eorumque argumenta, ex ipsis eorum libris plerumque deprompta, quam trita sint, licet novis forsan conceptibus et verbis involuta, patefacit, quam debilia sint, demonstrat.

Ad rem vero moralem quod attinet, præcipuam auctor dat operam, ut, juxta ipsius Domini verba, *proferat de thesauro suo nova et vetera : vetera*, nimirum ipsa principia, quæ ab æterno sunt, et quæ, dum cetera fluxa moventur, immota manent; *nova*, nimirum novas explanationes novasque conclusiones, quibus novas actuum, contractuum, jurium officiorumve formas, quæ in dies hodiernis temporibus multiplicantur, explicat, judicat, indeque orta quæsita

---

[1] Encycl. *Providentissimus*, De Scriptura sacra, 19 nov. 1893, § *Illud autem maximi.*

solvit. Sic de jure proprietatis, contra hodiernos ejus osores, de conditione opificum modisque eam in melius adducendi, de novissimis circa operariorum laborem contractibus, multa diserte et opportune disserit auctor.

Unde non tantum Nobis gratum est, quod hoc opus, jam in multis Ecclesiæ catholicæ partibus divulgatum, etiam in Nostro Seminario alumni præ manibus ad usum scholarum habent, sed etiam illud toti nostræ diœcesis clero enixe commendamus.

Datum Parisiis, die 18 Februarii 1905.

✠ FRANCISCUS CARD. RICHARD,
ARCHIEP. PARISIENSIS.

IN DUODECIMAM EDITIONEM.

Prævias editiones jam penitus a Rev. A. Tanquerey, juxta *Codicem* recognitas (an. 1925 et 1931), iterum emendare post ejus mortem (1932) studuimus, cooperante præsertim *A. Cance*, in re morali et canonica peritissimo. Præ manibus habentes opera recenter edita, et nova decreta ac responsa Apostolicæ Sedis, melius explicavimus, v. g., jurisdictionem confessarii iter maritimum arripientis (n. 423), errorem communem (n. 429), can. 522 (n. 445), can. 892 (n. 467), sigillum sacramentale (n. 516, f), absolutionem complicis (n. 576, 577, 584, 585), sollicitationem (n. 600), conditiones ad indulgentias acquirendas (n. 628, 649, 653), impedimentum vis et metus (n. 726), sanationem in radice (n. 1104), etc. Leges civiles de matrimonio, præsertim in Gallia et Italia, recognovimus, etc.

Si, in decursu operis, benigni lectores quædam animadverterint adhuc reformanda, ea nobis manifestare non dubitent ut eadem sedulo corrigere valeamus.

Lugduni, 15 maii 1936.
F. CIMETIER.

INDEX RERUM ANALYTICUS

ELENCHUS AUCTORUM SÆPIUS ALLEGATORUM . . XVII.

De Pænitentiæ Sacramento.

Objectum et divisio Tractatus. 1
PRÆNOTANDA DE VIRTUTE PÆNITENTIÆ 2
Genuina pænitentiæ notio 2
Controversia de natura hujus virtutis 5
Falsa protestantium notio 6
De pænitentiæ necessitate 8
Quandonam præceptum pænitentiæ obliget . . 11

PARS I. De Sacramento.

Hujus partis divisio 14

CAPUT I. De existentia potestatis clavium.

Status quæstionis 18
ART. I. THESIS SCRIPTURA PROBATUR. 19
Solvuntur difficultates de remissibilitate omnium peccatorum 24
ART. II. THESIS TRADITIONE PROBATUR 26
Testimoniis secundi sæculi 28
Testimoniis tertii sæculi contra Montanistas . . 31
Testimoniis contra Novatianos 34
Antiqua pænitentiali disciplina 39

CAPUT II. De ipso Sacramento Pænitentiæ.

Sacramenti Pænitentiæ notio 45
ART. I. DE EXISTENTIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ . . 45
Doctrina Tridentina 45
Ritus quo exercetur potestas clavium est verum Sacramentum, a Baptismo distinctum 46
ART. II. DE ELEMENTIS CONSTITUTIVIS HUJUS SACRAMENTI. 49
§ I. *De materia Sacramenti Pænitentiæ* . . . 49
Status quæstionis 49
Tres pænitentis actus sunt materia Sacramenti Pænitentiæ 51

§ II. *De forma Sacramenti Pœnitentiæ* 52
Conspectus historicus 53
De requisitis ad validitatem et liceitatem . . . 55
De forma conditionata 61

ART. III. DE MINISTRO SACRAMENTI PÆNITENTIÆ.
§ I. *De potestate ordinis ad remittenda peccata* . . 65
Thesis 66
Solvuntur difficultates 68
§ II. *De potestate jurisdictionis* 70
Thesis 71
Corollaria. 73

ART. IV. DE NECESSITATE SACRAMENTI PÆNITENTIÆ.
§ I. *Utrum sit necessarium?*
Status quæstionis 75
Thesis I^a : Confessio Sacramentalis est jure divino necessaria. 78
Thesis infertur ex Scriptura 79
Ex testimoniis quatuor priorum sæculorum. . . 82
E factis et testimoniis a sæc. V° ad XII^um . . . 87
Confessionis utilitas ratione ostenditur . . . 91
Thesis II^a : Confessio secreta ab initio in usu fuit . 94
§ II. *Quomodo et quandonam necessarium?*
I. Duplici modo necessarium : in re vel in voto . . 96
II. Tempus obligationis 97
De divino præcepto 98
De præcepto ecclesiastico 98

ART. V. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PÆNITENTIÆ . . 101
§ I. *De remissione peccatorum mortalium* . . . 102
§ II. *De remissione pœnæ peccato debitæ* 105
§ III. *De meritorum reviviscentia* 106
§ IV. *De remissione peccati venialis* 109

PARS II. De Pœnitentis Actibus.

CAPUT I. De Confessione.

PRÆVIA. — Confessionis notio 111
ART. I. DE DOTIBUS CONFESSIONIS 112
ART. II. DE INTEGRITATE CONFESSIONIS 114
§ I. *De necessitate integritatis* 114
§ II. *De ambitu integritatis* 123
1° Quoad speciem peccatorum 123
2° Quoad numerum peccatorum 126

3° Quoad circumstantias eorum. 128
4° Quoad peccata dubia 132
5° De mendacio et aliis defectibus integritati contrariis. 135
§ III. *De causis ab integritate materiali excusantibus* . 137
De impotentia physica 139
De impotentia morali 141
Quid de exquisitione nominis complicis? . . . 145
§ IV. *De mediis ad integritatem confessionis procurandam.* 146
De examine conscientiæ 146
De iteratione confessionum et de confessione generali. 151

CAPUT II. De Contritione.

Doctrina Tridentina 159
ART. I. NATURA ET SPECIES CONTRITIONIS . . . 160
§ I. *Contritionis natura* 160
§ II. *Contritionis species* 161
1° De Dei amore 161
2° De Contritione perfecta 162
3° De Attritione 163
ART. II. NECESSITAS ET EFFICACIA CONTRITIONIS . . 164
§ I. *De Contritione in genere.* 164
§ II. *De utraque contritione in specie* 167
Efficacia contritionis perfectæ 167
Attritio est verus et utilis dolor ad gratiam præparans. 170
Sufficientia attritionis 172
Controversia de necessitate alicujus amoris cum attritione 174
ART. III. DE DOTIBUS CONTRITIONIS 176
§ I. *De Contritione vere interna* 176
§ II. *De Contritione supernaturali* 179
§ III. *De Contritione appretiative summa* . . . 181
§ IV. *De Contritione universali* 183
Scholion : De Sacramento valido et informi. . . 186
§ V. *De Contritione in ordine ad Sacramentum* . . 187
ART. IV. DE DOTIBUS PROPOSITI. 190
§ I. *De proposito quoad mortalia* 190
§ II. *De proposito venialia vitandi.* 193

CAPUT III. De Satisfactione.

Prænotanda de notione et speciebus Satisfactionis . 195
ART. I. NECESSITAS SATISFACTIONIS 196
Doctrina Tridentina 196
Errores 197

Post remissa peccata, plerumque remanet luenda pœna temporalis 197
Pænitentes absolvi possunt antequam satisfactionem sacramentalem impleverint 201
ART. II. OBLIGATIONES CONFESSARII 202
§ I. *De pœnitentia imponenda* 203
Gravitas et tempus hujus obligationis. . . . 204
§ II. *De qualitatibus Sacramentalis pœnitentiæ* . . 205
Debet esse salutaris et proportionata gravitati criminum, quantitati pœnæ et facultati pænitentium . 205
Causæ minuendi pænitentiam 208
Practica corollaria 209
§ III. *De commutatione pœnitentiæ.* . . . 213
ART. III. OBLIGATIONES PÆNITENTIS 215
§ I. *De obligatione pœnitentiam adimplendi* . . . 215
§ II. *De modo pœnitentiam adimplendi* 217

PARS III. De Confessario.

CAPUT I. De potestate in confessario requisita.

ART. I. DE JUDICIO IDONEITATIS PRÆVIO 221
ART. II. DE JURISDICTIONE ORDINARIA ET DELEGATA . . 223
De jurisdictione ordinaria. 223
De jurisdictione delegata 226
ART. III. DE JURISDICTIONE QUAM SUPPLET ECCLESIA. . 230
In periculo mortis 230
In errore communi et jurisdictione probabili . . 231
ART. IV. DE JURISDICTIONE RELIGIOSORUM . . . 233
ART. V. DE JURISDICTIONE QUOAD RELIGIOSAS . . . 234
ART. VI. DE LIMITATIONE JURISDICTIONIS SEU DE RESERVATIONE CASUUM 237
De potestate reservandi 237
De conditionibus ad reservandum requisitis . . 239
De præcipuis casibus reservatis 241
De absolutione a casibus reservatis 242
Notanda pro praxi 243

CAPUT II. De Ministri officiis.

ART. I. DE MINISTRI OFFICIIS IN GENERE 245
De officiis *ante confessionem* 246
De obligatione confessiones audiendi ex justitia vel ex caritate 246

De obligatione sese præparandi ad confessiones audiendas, ex parte intellectus et voluntatis 248
De officiis ministri *in confessionis actu* . . 253
Judex, interroget 253
Doctor, doceat et moneat 258
Medicus, vulnera curet 261
Minister et judex, absolutionem det vel deneget vel differat 264
De officiis ministri *post confessionem* 267
De correctione defectuum seu errorum 267
De obligatione, subjecto, objecto et læsione sigilli sacramentalis 270
De schedula confessionis 280

ART. II. DE OFFICIIS CONFESSARII QUOAD VARIA PÆNITENTIUM GENERA 281
De ratione agendi cum pueris, rudibus, semi-fatuis, mutis et surdis 282
De ratione agendi cum occasionariis, consuetudinariis et recidivis 285
De ratione agendi cum piis personis et moribundis . 301
De modo juvandi moribundos 306

ART. III. DE ABUSIBUS VITANDIS IN ADMINISTRATIONE PÆNITENTIÆ.
De absolutione complicis et de pœnis contra absolventes complicem latis 313
De sollicitatione ad turpia 320

APPENDIX DE INDULGENTIIS.

ART. I. DE INDULGENTIIS IN GENERE 332
Quid et quot sint Indulgentiæ? 332
Ecclesia gaudet potestate indulgentias concedendi . 335
Quinam in Ecclesia possunt concedere Indulgentias? . 344
De subjecto indulgentiarum 346
De suspensione, translatione et cessatione Indulgentiarum 351

ART. II. DE INDULGENTIA JUBILÆI 352

ART. III. DE INDULGENTIIS IN SPECIE. 358
Regulæ ad discernendas veras Indulgentias ab apocryphis 358
De Indulgentia in articulo mortis 360
De Indulgentia altaris privilegiati 363
De Via Crucis, de Rosario, de Scapularibus necnon de heroico actu caritatis 364

De Matrimonio.

Prænotanda : Notio et partitiones Matrimonii . . 375
Divisio tractatus de Matrimonio 376

CAPUT I. De Matrimonio ut contractu.

Definitio matrimonii ut contractus 378
ART. I. DE FINIBUS MATRIMONII 379
ART. II. DE ORIGINE ET NATURA MATRIMONII . . . 383
ART. III. DE ELEMENTO MATRIMONII CONSTITUTIVO SEU DE CONSENSU 390
Contractus consistit essentialiter in consensu . . 391
Quænam sint dotes consensus matrimonialis? . . 392
Quid de consensu conditionato? 397
De vitiis consensus 401
ART. IV. DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII . . 409
§ I. *Unitas Matrimonii* 409
§ II. *Indissolubilitas Matrimonii* 417
An et quatenus Matrimonium sit indissolubile ex jure naturali? 418
An et quatenus sit indissolubile ex jure divino? . . 427
In quibusnam casibus solvi possit Matrimonium? . 435
De divortio civili 447
De separatione quoad torum et habitationem . . 457

CAPUT II. De Matrimonio ut Sacramento.

ART. I. DE EXISTENTIA HUJUS SACRAMENTI. . . . 467
Matrimonium inter baptizatos est sacramentum. . 468
De matrimonii honestate 477
De virginitatis præstantia 479
ART. II. DE NEXU INTER SACRAMENTUM ET CONTRACTUM . 482
Inter baptizatos matrimonii contractus est sacramentum. 482
ART. III. DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII . . 485
ART. IV. DE HUJUS SACRAMENTI MATERIA ET FORMA . . 487
ART. V. DE EFFECTIBUS HUJUS SACRAMENTI . . . 491

CAPUT III. De Matrimonio quatenus Canonicis legibus regitur.

ART. I. DE POTESTATE LEGES FERENDI CIRCA MATRIMONIUM. 494
Quid potest Ecclesia jure proprio? 495
Quid potest Status? 497
ART. II. DE PRÆVIIS AD MATRIMONIUM.
§ I. *De sponsalibus et promissione matrimonii* . . 501

De natura et conditionibus sponsalium . . . 501
De effectibus sponsalium 507
De sponsalium dissolutione 508
De agendi ratione confessariorum circa sponsalia . 512
§ II. *De examine sponsorum* 514
§ III. *De bannis seu proclamatione matrimoniorum* . 517
De notione et obligatione bannorum 517
De circumstantiis bannorum 519
De bannorum dispensatione 523
De obligatione revelandi impedimenta . . . 524
§ IV. *De dispositionibus ad licitam matrimonii receptionem.* 527
ART. III. DE CELEBRATIONE MATRIMONII 533
§ I. *De forma solemni celebrationis* 533
De forma Tridentina. 534
De forma novi juris 536
§ II. *De ritu celebrandi matrimonium* 542
De ritu ordinario 542
De ritu speciali quoad matrimonia conscientiæ et morganatica 547
ART. IV. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII 548
Prænotanda de impedimentis in genere . . . 548
§ I. *De impedimentis impedientibus* 549
De impedimento prohibente voti 551
De impedimento mixtæ religionis 554
De impedimento cognationis legalis 563
§ II. *De impedimentis dirimentibus* 563
De impedimentis dirimentibus in genere . . . 563
De impedimentis *absolute* habilitatem contrahentium afficientibus 569
De impedimento ætatis 569
De impedimento ligaminis 571
De impedimento voti 574
De impedimento ordinis 576
De impedimentis habilitatem contrahentium *relative* afficientibus 578
De impedimento consanguinitatis 578
De cognatione spirituali 593
De cognatione legali 595
De affinitate 596
De publica honestate 600
De disparitate cultus. 602
De raptu 604
De impedimento criminis 608

ART. V. DE DISPENSATIONIBUS 612
§ I. *De ipsis dispensationibus* 612
De notione et speciebus dispensationum. . . . 613
De auctore dispensationum. . . . 615
De Summo Pontifice. 616
De Ordinariis 618
De Sacerdotibus 622
De causis dispensationum 624
De modo petendi dispensationes 630
De modo exsequendi dispensationes 637
De effectibus dispensationum 643
§ II. *De Revalidatione matrimonii* 645
De Revalidatione in genere 645
De simplici convalidatione 646
De revalidatione matrimonii ob impedimentum invalidi. 648
De revalidatione matrimonii per sanationem in radice. 649

APPENDIX : De lege civili quoad matrimonium . 652
Principia generalia 652
Præcipuæ leges civiles in Anglia et Statibus Fœderatis. 654
Præcipuæ leges in Gallia 664
Præcipuæ leges in Italia 672
Præcipuæ leges in Germania 675

De Ordine.

CAPUT I. De ministro sacræ ordinationis . . 681
ART. I. DE MINISTRO VALIDÆ ORDINATIONIS . . . 681
ART. II. DE MINISTRO LICITÆ ORDINATIONIS . . 683
Normæ generales 683
De proprio Episcopo pro sæcularibus. . . . 684
De litteris dimissoriis 685
De ministro licitæ ordinationis pro religiosis . . 688

CAPUT II. De subjecto sacræ ordinationis . . 689
ART. I. PRINCIPIA GENERALIA 689
ART. II. DE VOCATIONE AD STATUM CLERICALEM . . . 691
ART. III. DE REQUISITIS AD LICITAM ORDINATIONEM . . 699
ART. IV. DE IRREGULARITATIBUS ET IMPEDIMENTIS . . 704

CAPUT III. De ipsa ordinatione 713
ART. I. DE IIS QUÆ ORDINATIONI PRÆIRE DEBENT . . 714
ART. II. DE IIS QUÆ ORDINATIONEM COMITANTUR. . . 717
ART. III. DE IIS QUÆ SUBSEQUI DEBENT ORDINATIONEM . 719
Scholion : De pœnis contra violantes ordinationis legem . 720

ELENCHUS AUCTORUM
QUI IN HOC VOLUMINE SÆPIUS CITANTUR

Acta et Decreta Concilii Plenarii **Americæ Latinæ**, in Urbe celebrati A. D. 1899, Romæ, 1900.

Acta et Decreta S. Concil. recentiorum, **Collectio Lacensis**, Friburgi.

Acta S. Sedis in Compendium opportune redacta, Romæ, ab an. 1865.

Aertnys, C. SS. R., *Theologia Moralis, juxta doctrinam S. Alph. M. de Ligorio*, ed. 12ª quam edidit *P. Damen*, 1932; *Theologia Pastoralis*, ed. altera, Tornaci, 1893.

(A. d') **Alès**, *La théologie de Tertullien*, Paris, 1905, præsertim vero *L'Edit de Calliste, étude sur les origines de la pénitence chrétienne*, 1914.

(S) **Alphonsus Maria de Ligorio**, Ecclesiæ Doctor, *Theologia Moralis*, ed. *Heilig*, Mechliniæ, 1845; *Praxis Confessarii; Homo Apostolicus* (*H. A.*).

American Ecclesiastical Review (monthly), ed. by Rev. *H. J. Heuser*, New-York.

(L') **Ami du Clergé**, Revue de toutes les questions ecclésiastiques, Langres, 1879 sq.

Amort, *De origine, progressu, valore ac fructu Indulgentiarum*, 1735.

Analecta Juris Pontificii, Dissertations sur différents sujets du Droit Canonique, Liturgie et Théologie, Rome, 1855 et sq.

(De) **Angelis**, *Prælectiones Juris Canonici*, Romæ, 1877-1887.

(D') **Annibale** Card., *Summula Theologiæ Moralis*, ed. 4ª, Romæ, 1896; *In Constit. Apostolicæ Sedis Commentarii*, Prati, 1894.

H. Ayrinhac, *Marriage legislation*, New-York, 1919.

Ballerini-Palmieri, S. J., *Opus Theologicum Morale* absolvit et edidit *D. Palmieri*, 3ª ed., Prati, 1900.

Bangen, *Instructio practica de Sponsalibus et Matrimonio*, Monasterii, 1858.

Batiffol, *Etudes d'hist. et de théol. positive*, 3e éd., Paris, 1904.

Baudry-Lacantinerie, *Précis du Droit Civil*, 7e éd., Paris, 1899.

(De) **Becker**, *De Sponsalibus et Matrimonio*, Bruxellis, 1896.

Benedictus XIV, *Bullarium*, Romæ, 1760-1761; *De Synodo diœcesana*, Bassani, 1767; *Institutiones ecclesiasticæ*, Romæ, 1750.

Berardi, *De Recidivis et Occasionariis*, ed. 5ª, Faventiæ, 1897; *Praxis Confessariorum*, ed. 2ª, Bononiæ, 1887.

Beringer-Hilgers, S. J., *Die Ablässe*, ed. 14a, 1914; Gallice redditum *Les Indulgences, leur nature et leur usage*, 3e éd., Paris, s. d.

Billot, S. J., *De Ecclesiæ Sacramentis*, Romæ, 1895.

Billuart, O. P., *Summa S. Thomæ hodiernis Academiarum moribus accommodata*, Parisiis, 1872.

A. Blat, O. P., *Commentarium textus Codicis juris canonici*, Romæ, 1919 sq.

Brahm, C. S. S. R., *Opusculum de Reticentia voluntaria peccatorum in confessione*, Bruxellis, 1900; 5ª ed., Esschen, 1924.

Browne, *Elements of the Law of Domestic relations*, Boston, 1890.

Bucceroni, S. J., *Institutiones Theologiæ Moralis*, Romæ, ed. 4ª, 1900; *Enchiridion Morale*, Romæ, 1887; *Commentarii de Constit. Apostolicæ Sedis, Bened. XIV, Sacramentum Pœnitentiæ, secundum omnes decisiones SS. RR. Congr.*, Romæ, 1890.

Cambier, *De divina institutione confessionis*, Lovanii, 1884.

Cangiamilla, *Sacra Embryologia, sive de officio sacerdotum, medicorum et aliorum circa aternam parvulorum in utero existentium salutem*, Monachi, 1764.

(Le) **Canoniste Contemporain**, ou La discipline actuelle de l'Eglise, Paris, 1878 sq.

Capellmann, *Medicina Pastoralis*, ed. lat. 4ª, Aquisgrani, 1896.

F. M. Cappello, *Tr. canonico-moralis de Sacramentis*, vol. III, de Matrimonio; vol. II, pars 1ª de Pænitentia; pars 2ª de sacra Ordinatione.

(S) **Carolus Borromæus**, *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, Lugduni, 1863.

Carrière, S. S., *Prælectiones theologicæ majores de Matrimonio*, Parisiis. 1837.

Catechismus Concilii Tridentini.

Cerato, (P.) *De delicto sollicitationis*, Padovæ, 1922.

Chelodi, *Jus matrimoniale juxta Codicem*, Tridenti, 1919.

Ciolli, *Directoire pratique du Jeune Confesseur*, trad. de l'italien par Mazoyer, Paris, 1899.

Collationes Brugenses, opus periodicum, Brugis, 1896 sq.

Collectanea *Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum S. Sedis* ad usum Societ. Missionum ad Exteros, Parisiis, 1880 (*Collect. Paris.*).

Collectanea *S. Cong. de Propaganda Fide*, seu *Decreta, Instructiones, Rescripta pro Apostolicis Missionibus, ex tabulario ejusdem S. Cong. deprompta*, Romæ, 1893 (*Collect. P. F.*).

Collet, *Tractatus de Pænitentia, ap.* **Migne**, *Theologiæ Cursus Completus*, t. XXII, Parisiis, 1840.

Concilii Plenarii **Baltimorensis II** *Acta et Decreta*, Baltimoræ, 1868.

Concilii Plenarii **Baltimorensis III** *Acta et Decreta*, Baltimoræ, 1886.

Corluy, *Spicilegium Dogmatico-biblicum*, Gandavi, 1884.

Corpus Juris Canonici Academicum, *emendatum et notis P. Lancellotti illustratum*, Coloniæ, 1773.

Corradus Pyrrhus, *Praxis dispensationum Apostolicarum*, 3ª ed., Venetiis, 1669; vel ap. **Migne**, Theol. Curs., XIX, col. 9 sq.

Decreta authentica *C. S. Rituum*, Romæ, 1898 sq.

Decreta authentica *S. Cong. Indulgentiarum*, Romæ, 1883.

Decretales Gregorii IX, in **Corpore Juris** insertæ.

Decretum Gratiani, ibidem.

Denzinger-Bannwart, *Enchiridion Symbolorum et Definitionum quæ de rebus fidei et morum a Conc. Œcumenicis et S. Pontificibus emanarunt*, ed. 10ª, Friburgi, 1908 (**D. B.**).

Deshayes, *Questions pratiques de Droit et de Morale sur le Mariage*, Paris, 1898; *Nouvelle Méthode pratique pour la recherche des Empêchements de Consanguinité*, 2ᵉ éd., Paris, 1898.

Devas, *Studies of Family-Life*, London, 1886.

Drouin, O. P., *De Re Sacramentaria*, Venetiis, 1789.

Elbel-Bierbaum, O. S. F., *Theologia Moralis per modum Conferentiarum, novis curis edidit Bierbaum, O. S. F.*, Paderbornæ, 1894.

Eschbach, C. S. Sp., *Disputationes Physiologico-Theologicæ*, ed. altera, Romæ, 1901.

Esmein, *Le Mariage en droit canonique*, Paris, 1891.

Excerpta *ex Rituali Romano pro administratione Sacramentorum ad commodiorem usum Missionariorum in Septent. Americæ Fœderatæ Provinciis*, Baltimoræ, 1884.

Fagnanus, *Jus Canonicum, sive Commentaria in libros Decretalium*, Vesuntione, 1740.

Farrugia, P. Nic., *De Matrimonio et Causis matrimonialibus*, Romæ, 1924.

Feije, *De Impedimentis et Dispensationibus matrimonialibus*, ed. 3ª, Lovanii, 1885.

Ferraris, *Prompta Bibliothecæ canonica, juridica, moralis*, etc., ed. novissima opera et studio Monachorum S. Benedicti, Parisiis, 1852-57.

Ferreres, *Compendium Theol. Mor. (Gury)*, 1918.

Fonsegrive, *Mariage et Union libre*, Paris, 1904.

P. Fourneret, *Le Mariage chrétien*, 3e éd., Paris, 1921.

(S.) **François de Sales,** *Introduction à la Vie dévote*, Paris, 1879.

Frassinetti, *The New Parish Priest's Practical Manual*, transl. from the italian by *W. Hutch*, 2nd ed., London, 1885.

Funk, *Zur altchristlichen Bussdisciplin*, Paderborn, 1897.

Gasparri, *Tractatus Canonicus de Matrimonio*, ed. nova, Romæ, 1932; *Tractatus Canonicus de Sacra Ordinatione*, Parisiis, 1893.

Gaume, *Manuel des Confesseurs*, 11e éd., Paris, 1880.

Genicot-Salsmans, S. J., *Theologiæ Moralis Institutiones*, ed. 10ª, Bruxelles, 1922.

Giraldi, *Expositio Juris Pontificii, juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam*, Romæ, 1829.

Gury-Ballerini, S. J., *Compendium Theologiæ Moralis ab auctore recognitum et A. Ballerini adnotationibus locupletatum*, ed. 4ª, Romæ, 1877.

Habert, *Theologia Dogmatica et Moralis*, t. VII, Parisiis, 1722; *Pratique du Sacrement de Pénitence*, Paris, 1748.

Haine, *Theologiæ Moralis Elementa ex S. Thoma aliisque probatis Doctoribus*, ed. 4ª, Romæ, 1899.

Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus, ex antiquo et novo Ecclesiæ usu, ap.* **Migne,** *Theol. Cursus*, XXIV, col. 139 sq.

(De) **Herdt,** *Sacræ Liturgiæ Praxis*, ed. 9ª, Lovanii, 1894.

Hilarius a Sexten, *Tractatus Pastoralis de Sacramentis*, Moguntiæ, 1895.

Hilgenfeld, *Die Ketzergeschichte des Urchristentums*, Liepzig, 1884.

Honoré, L., *Le secret de la confession*, Bruges, 1924.

Juenin, *De Pænitentia.*

Kenrick, *Theologia Moralis*, ed. 2ª, Mechliniæ, 1861.

Labbæus, *Sacrosancta Concilia ad Regiam editionem exacta, cura P. Labbæi, et Cossartii*, Parisiis, 1671.

Lacroix, S. J., *Theologia Moralis*, Venetiis, 1747.

Laymann, S. J., *Theologia Moralis*, Lugduni, 1674.

Lea*, *A history of auricular confession and indulgences*, Philadelphia et London, 1896.

Lehmkuhl, S. J., *Theologia Moralis*, ed. 11ª, Friburgi Brisgoviæ, 1910.

Lejeune, *Conseils pratiques pour la Confession*, 2e éd., Paris, 1924.

Lemaire, *Le Mariage civil*, Paris, 1904.

Leo XIII, Pont. Max., *Allocutiones, Epistolæ, aliaque Acta*, Brugis et Insulis, 1887 sq.

(S) **Leonardo da Porto Maurizio,** *Il Discorso Mistico Morale*, Modena, 1876.

Lépicier, *Les Indulgences, leur origine, leur nature, leur développement*, Paris, 1903.

Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum*, ed. 3ª, aucta et emendata per *P. J. Schneider*, S. J., Romæ, 1883.

(De) **Lugo** Card., S. J., *Disputationes scholasticæ et Morales*, Parisiis, 1868-1869.

Mansella, *De Impedimentis matrimonii dirimentibus ac de processu judiciali in causis matrimonialibus*, Romæ, 1881.

Many, S. S., *De absolutione complicis; De Sollicitatione*, in *Canoniste*, 1895; *De Sacra Ordinatione*, Paris, 1904.

Marc-Gestermann, C. SS. R., *Institutiones Morales Alphonsianæ*, ed. 19ª, quam edidit **Raus**, Lugduni et Parisiis, 1932.

(A. de) **Margerie**, *De la Famille, Leçons de Philosophie Morale*, 2ᵉ édit., Paris, 1869.

E. Maroto, *Instit. juris canonici*, Madrid, 1918 sq.

Melata, *De Indulgentiis*, Romæ, 1892.

Mœhler, *Symbolik*, opus *gallice* et *anglice* redditum.

Monsabré, O. P., *Conférences sur le Mariage*, Carême 1887; *anglice* transl. cura *M. Hopper*, New-York, 1890.

Morinus, C. Orat., *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacram. Pænitentiæ, Parisiis*, 1651.

Müller, *Theologia Moralis*, ed. 7ª, Vindobonæ, 1894.

Nardi, *De Onanismo conjugali*, Tolosæ, 1876; hujus operis Excerpta habes ap. *Billuart*, (ed. Palmé), Appendices, p. 549-570.

Noldin, S. J., *Summa Theologiæ Moralis*, De Sacramentis, Oeniponte, ed. 12ª, 1920; ed. 13ª, curante *A. Schmidt*, 1924; De Sexto Præcepto et de Usu Matrimonii.

Nouvelle Revue Théologique, (*N. R. T.*), Tournai, 1869 sq.

O'Kane, *Notes on the Rubrics of the Roman Ritual*, fifth ed., Dublin.

Palmieri, S. J., *De Sacramento Pænitentiæ*, Romæ, 1879; *De Matrimonio christiano*, 1880.

Paulus, N., *Geschichte des Ablässes im Mittelalter*, Paderbörn, 1922-1923.

Perrone, S. J., *De Matrimonio christiano libri tres*, Leodii, 1868.

Pesch, Prælectiones: *de Pænitentia; de Matrimonio.*

Piat Montensis, *Prælectiones Juris Regularis*, Tournai, 1898.

Pignataro, *De disciplina pænitentiali priorum Ecclesiæ sæculorum*, Romæ, 1904.

D. Prümmer, O. P., *Manuale theol. moralis*, t. III, Friburgi Br., 1923.

Putzer, C. SS. R., *Commentarium in Facultates Apostolicas, concinnatum ab A. Konings, ed.* 4ª curante *J. Putzer*, Neo-Eboraci, 1897.

Raccolta *di Orazioni e Pie Opere, per le quali sono state concesse dai S. Pontefici le SS. Indulgenze*, Roma, 1898.

Reiffenstuel, O. M. S. F., *Jus canonicum universum*, Venetiis, 1755.

Reuter, S. J., *Neoconfessarius practice instructus*, Ratisbonæ, 1870.

Rituale Romanum, Tornaci, 1901.

Roskovany, *De Matrimonio in Eccl. Catholica*, Aug. Vind., 1837; *De Matrimoniis mixtis*, Pestini, 1870.

Rosset, *De Sacramento Matrimonii Tractatus dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et judiciarius*, S. Joannis Maurianæ et Parisiis, 1895.

Rota, *Enchiridion confessarii et judicis ecclesiastici*, seu *ratio compendiosa judicandi in utroque foro de abusu Sacr. Pænitentiæ*, Taurini, 1884.

Rousseau (Mgr), *Renseignements pratiques sur la législation canonique du mariage*, Paris, 1905.

Sabetti, S. J., *Compendium Theologiæ Moralis*, ed. 12a, Neo-Eboraci et Ratisbonæ, 1896.

Salmanticenses, *Collegii Salmanticensis Cursus Theol. Mor.*, Venetiis, 1764.

San (de), *de Pœnitentia.*

Sanchez, S. J., *De sancto Matrimonii sacramento disputationum tomi tres*, Lugduni, 1669.

Santi, *Prælectiones Juris Canonici*, ed. 2a, Ratisbonæ, 1892.

Scavini, *Theologia Moralis universa, a J. A. Del Vecchio Notis, Appendicibus aliisque quampluribus ad hodiernam praxim aucta et illustrata*, ed. 15a, Mediolani, 1896.

Schmalzgrüber, S. J., *Jus ecclesiasticum universum*, Romæ, 1843-1845.

Schneider, S. J., *Rescripta authentica S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ, necnon Summaria Indulgentiarum*, Ratisbonæ, 1885.

Segneri, *Il Parroco, Il Confessore, Il Penitente istruiti*, Torino, 1898.

Smet, A. de, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 4a, Brugis, 1927; *De absolutione complicis et sollicitatione*, 2a ed., Brugis, 1921.

Sporer-Bierbaum, O. S. F., *Theologia Moralis, Decalogalis et sacramentalis*, Paderbornæ, 1901.

Stang, *Pastoral Theology*, Bruxelles et New-York, 1897.

Stoz, S. J., *Tribunal Pœnitentiæ, seu libri duo, prior de pœnitente ut reo, posterior de confessario ut judice*, Dilingæ, 1684.

Suarez, S. J., *Opera omnia, ed. nova ab André*, Parisiis, 1856 sq.

Surbled, *La Morale dans ses rapports avec la Médecine et l'Hygiène*, 3e éd., Paris, 1892.

(S.) **Thomas Aquinas**, Doctor Angelicus, *Opera omnia jussu impensaque Leonis XIII P. M. edita*, Romæ 1882 sq.; *Opera omnia studio ac labore S. E. Fretté edita*, Parisiis, 1871 sq.

Timon-David, *Traité de la Confession des Enfants et des Jeunes Gens*, 3e éd., Paris, 1875.

Tixeront, *Histoire des dogmes*, Paris, 1915; *L'Ordre et les Ordinations*, 1925.

Turgeon, *Le Féminisme français*, Paris, 1902.

Vacandard, in *Revue du Clergé français*, t. XIV, XX, XXIV.

Vacant-Mangenot, *Dictionnaire de Théologie Catholique*, Paris, 1899 et sq.

A. Vermeersch et **J. Creusen**, S. J., *Epitome juris canonici*, t. II, 5a ed., 1934.

A. Vermeersch, *Theol. mor.* t. III, Romæ, 1923; *De Castitate*, Brugis, 1921.

Vindiciæ Alphonsianæ, *seu Doctoris Ecclesiæ S. Alphonsi M. de Ligorio doctrina moralis vindicata*, Romæ, 1873.

Viva, *Damnatæ Theses* ab Alexandro VII, Innocentio XI et Alexandro VIII, necnon Jansenii, ed. 11a, Patavii, 1727.

Th. Vlaming, *Prælectiones juris Matrimonii*, ed. 3a, Bossum, 1919-1921.

Watkins, *Holy Matrimony*, London, 1895.

Wernz-Widal, S. J., *Jus decretalium*, t. V., *Jus matrimoniale*, 2a ed., Romæ, 1928.

Westermarck, *Origine du Mariage dans l'espèce humaine*, Paris, Guillaumin, 1895.

Zelle, S. J., *La Confession d'après les Grands Maîtres*, 3e éd., Paris, 1897.

Zitelli, *Apparatus Juris Ecclesiastici juxta recentissimas SS. Urbis Congregationum resolutiones*, ed. 2a, Romæ, 1888.

N. B. Quando citamus aliquem auctorem, quin mentio fiat Tractatus, v. g., *S. Alphons.* n. 675, intelligitur hic agi de Tractatu ejusdem auctoris, v. g. S. Alphonsi, super eamdem materiam de qua disserimus in hac partæ nostræ *Synopsis.*

Inter *recentiores* auctores, in præcedenti elencho non citatos, qui de Pænitentia, Matrimonio vel Ordine scripserunt, specialiter recensentur :

A. d'Alès, *Prima lineamenta tractatus dogmatici de sacramento Pænitentiæ*, Parisiis, 1926.

P. Chrétien, *De Pænitentia*, 2ª ed., Metis, 1935.

N. Farrugia, *De casuum conscientiæ reservatione*, Taurini, 1922.

Galtier, S. J., *De Pænitentia, tractatus dogmatico-historicus*, 2ª ed., Parisiis, 1931; *L'Eglise et la rémission des péchés aux premiers siècles*, Paris, 1932.

Gerster a Zeil, O. M., *De quæstionibus a confessario ponendis*, Œniponte, 1929; *De integritate Confessionis*, 1934.

B. H. Merkelbach, *De variis pænitentium categoriis*, Leodii, 1928; *de Pænitentiæ ministro ejusque officiis*, 1928; *de partibus Pænitentiæ*, 1929; *Theol. moralis*, t. III, De Sacramentis, 1933.

J. Périnelle, O. P., *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après saint Thomas d'Aquin*, Kain, 1927.

A. Teetaert, *La confession aux laïques dans l'Eglise latine, depuis le VIIIe siècle jusqu'au XIVe*, Bruges, 1926.

F. Ter Haar, C. SS. R., *De occasionariis et recidivis*, Taurini, 1927; *Casus conscientiæ*, 1934.

Th. Villanova, Cap., *Tractatus de satisfactione sacramentali in usum confessariorum*, Œniponte, 1926.

L. Fanfani, *De indulgentiis*, 2ª ed., Taurini, 1926.

[A. Gougnard], *Tractatus de indulgentiis*, Mechliniæ, 1926; *Tract. de matrimonio*, 1931; *Tract. de Pænitentia*, 1936.

P. Chrétien, *De matrimonio*, Metis, 1927.

I. Rossi, *De celebratione matrimonii juxta Codicem*, Romæ, 1924.

A. Martin, *Le Mariage* (Précis, Cas de conscience), 1935.

Association du Mariage chrétien (opuscula varia), Paris, 1927 sqq.

J. Coppens, *L'imposition des mains et les rites connexes dans le Nouveau Testament et dans l'Eglise*, Louvain, 1925.

D. T. C., art. *Pénitence*, XII, 722-1138; *Mariage*, IX, 2044-2335; *Ordinations anglicanes*, *Ordre*, IX, 1153-1405.

SIGLA QUIBUS UTIMUR.

D. A. = *Dictionnaire d'Apologétique du* **P. d'Alès.**
D. B. = **Denzinger-Bannwart,** *Enchiridion Symbolorum*,..
D. C. = *Documentation Catholique.*
D. T. C. = *Dict. de Théol. Catholique* **(Vacant, Mangenot, Aman).**
R. = **Rouet de Journel,** *Enchiridion patristicum.*

DE PÆNITENTIA

In *Synopsi Theologiæ dogmaticæ*, de omnibus sacramentis egimus [1], prætermissis tamen *Pænitentia* et *Matrimonio*, de quibus nunc agendum. — Et primum de Pænitentia.

Objectum, utilitas et divisio Tractatus

1. Objectum. Spiritualis vita, quæ in Baptismo confertur, per Confirmationem roboratur, et in sacra Communione nutritur, per peccatum mortale amitti potest et aliquando amittitur; reparatur autem per sacramentum *Pænitentiæ*, quod ideo merito vocatur sacramentum *reconciliationis*, *secunda post naufragium tabula* peccatori oblata, et *baptismus laboriosus*, qui nonnisi *arduis laboribus* nos a peccato mundat.

Pænitentia considerari potest ut *actus*, *virtus* et *sacramentum*. Aliquem pænitentiæ *actum* esse necessarium, post peccatum commissum, recta ratio demonstrat. Injuria enim Deo irrogata reparari debet; aliunde, transacto actu peccaminoso gravi, homo remanet ab ultimo fine aversus, donec per pænitentiam a peccato liberetur. Quare, etiam ante institutum pænitentiæ sacramentum, aliquis pænitentiæ actus requirebatur ad justificationem recuperandam per peccatum mortale amissam [2].

Ad actus pænitentiæ exercendos, infunditur in justificatos, juxta communem sententiam, *virtus* pænitentiæ quæ nos inclinat ad detestationem et expiationem peccati.

---

[1] Hanc partitionem secuti sumus, quia in non paucis Seminariis [illegible] idemque professor partem dogmaticam et moralem cujusque sacramenti exponere solet. In aliis tamen multis doctrina *moralis* de sacramentis a parte *dogmatica* sejungitur.

[2] Ad rem *Tridentinum* (sess. XIV, cap. 1, **D. B.**, 894) : "Fuit quidem Pænitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem [illegible] peccati odio et pio animi dolore detestarentur".

Præterea Christus instituit *sacramentum*, quo, positis quibusdam pænitentiæ actibus, et mediante sacerdotis absolutione, remittuntur peccata post baptismum commissa.

2. Utilitas. Quanti momenti sit hujus rei studio diligenter incumbere ii omnes norunt qui curam animarum habent : frequenter enim in sacro tribunali sedent, ibique, sive ad peccatores a vitiorum cœno erigendos, sive ad pias personas ad altiorem perfectionem evehendas, accurata et abundanti scientia pollere debent, eo magis quia multiplices ac intricatas quæstiones de omni re ad spiritualem vitam spectantes, soli et frequenter absque mora, solvendas habent.

3. Divisio. Cum in sacramento Pænitentiæ tria distingui possint, signum sensibile seu *ipsum sacramentum*, — *actus pænitentis*, qui sunt veluti materia hujus sacramenti, — et *confessarius* qui sacramenti minister est, tres erunt partes :

I. De sacramento.

II. De pænitentis actibus, { confessione. contritione. satisfactione.

III. De confessarii { potestate. officiis.

In *Appendice* autem pauca trademus de *Indulgentiis*, quibus satisfactio pro peccatis completur.

Prænotanda de virtute Pænitentiæ.

Antequam de sacramento Pænitentiæ agamus, pauca de virtute pænitentiæ prænotanda sunt : 1° de ejus *notione*, 2° de ejus *necessitate*. Nam, etiam post institutum sacramentum, necesse est actus pænitentiæ exercere sive intra, sive extra sacrum tribunal.

I. Genuina pænitentiæ notio[1].

4. 1° Etymologica notio. Pænitentia, juxta plerosque antiquos auctores, derivatur a vocibus *pœnam tenere*, ideoque designat actum quo pœnam subimus ad satisfaciendum pro peccatis.

[1] **S. Thom.**, 3 p., q. 85; **Suarez**, *de Pænitent.*, disp. I et VII; **Morinus**, *Commentar. in admin. Pænitentiæ*, lib. I, c. 1-2; **Billuart**, diss. II; **Card.**

Verius autem recentiores dicunt pænitentiam originem ducere a *pœne*, seu *penitus*, et etymologicè designare aliquid intimum, quod cor ipsum afficit [1].

Apud profanos auctores, hæc vox tria præsertim significat : (a) interiorem *tædii* vel *displicentiæ* sensum; ita apud *Ciceronem*, lib. de Senectute, dicitur : "Num igitur, si centesimum vixisset annum, eum suæ senectutis pæniteret?" (b) *dolorem* ob factum antea admissum, sive bonum sive malum : "Pænitere tunc dicere solemus, cum quæ ipsi fecimus aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, eâ nobis post incipiunt displicere sententiamque in iis nostram demutamus" [2]; (c) *dolorem* conceptum de aliquo *crimine* seu delicto : "Alexandrum regem videmus, ait *Cicero* [3], qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit : tanta vis fuit pænitendi!"

Hoc ultimo sensu auctores *sacri* sæpissime vocem *pænitentiam* usurpant, quatenus nempe significat *animi dolorem de peccato commisso.*

5. 2° Theologica notio. Pænitentia, cujus scopus est reparare injuriam per peccatum Deo irrogatam, definitur : *virtus supernaturalis et moralis, peccatorem inclinans ad detestationem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, et ad firmum emendationis satisfactionisque propositum.*

In qua definitione quatuor præsertim includuntur : *natura, objectum, actus* et *subjectum* hujus virtutis.

(A) *Natura* pænitentiæ, quæ est : (a) virtus *supernaturalis.* Speculative et in se dari posset *naturalis* habitus pænitentiæ, actibus repetitis acquisitus; sed de facto pænitentia in christianis *supernaturalis* esse debet : hi enim ad supernaturalem statum evecti sunt, ideoque nisi sub influxu gratiæ actualis, et ex motivo supernaturali revelatione cognito, pænitere non solent, neque possunt sicut oportet. Imo, juxta communiorem sententiam, hæc virtus supernaturaliter infunditur, simul cum aliis virtutibus, eo ipso instanti quo anima justificatur.

(b) Et *moralis*, non autem theologica : non enim immediate versatur circa Deum, nec innititur uni e divinis attributis; sed ver-

---

Billot, *De Pænit.*, th. 6; **L. de San**, *de Pænit.*, P. I, cap. 1-6; **P. Galtier**, *De pænitentia tr. dogmatico-historicus*, th. I; **Prümmer**, *Manuale*, n. 306-315; **E. Amann**, art. *Pénitence-repentir*, in *D. T. C.*, XII, 722-748.

[1] Cf. **M. Bréal** et **A. Bailly**, *Dictionnaire étymol. latin*, Paris, 1898, p. 240.

[2] **Aulus Gellius**, *Noct. attic.*, l. XVII, c. 1. — [3] **Cicero**, *in IV Tuscul. quæst.*

satur circa peccatum quatenus emendabile, ejusque motivum est honestas detestationis et satisfactionis Deo offenso exhibendæ.

(**B**) *Objectum* duplex est : (**a**) objectum *materiale*, seu circa quod pænitentia versatur, est quodlibet *personale* peccatum.

(**b**) Objectum *formale quod* voluntas attingit est peccatum ipsum, *quatenus est divini juris læsivum*, proindeque delendum et congrua satisfactione reparandum.

Hinc non datur pænitentia *proprie dicta* de peccato *originali*, neque de peccatis *alienis;* nam id solum potest *proprie* retractari quod fuit *propria* voluntate patratum. Sed pænitentia *late sumpta*, quatenus est peccati odium et detestatio, circa peccata aliena versari potest, cum ea odio prosequi teneamur. Quo sensu Christus pænitens fuit in quantum nostra peccata odio habuit et pro illis satisfecit.

(**c**) Objectum vero *formale sub quo* peccatum detestatur, seu *motivum speciale* et *proprium* hujus virtutis est honestas quæ in detestatione et reparatione injuriæ Deo illatæ invenitur. Potest tamen actus detestationis peccati ex aliis motivis oriri, caritatis, gratitudinis, spei, timoris Dei, etc., quia peccatum hisce variis virtutibus opponitur.

(**C**) *Actus proprii* pænitentiæ sunt *detestatio* et *dolor* peccati commissi, *propositum* non peccandi de cætero, ac *satisfactio* seu saltem *satisfaciendi voluntas*. Horum actuum genesis sic intelligi potest : quando primum peccator apprehendit peccatum commissum ut Dei *malum*, voluntas illud abominatur ac detestatur, quia Dei malum est; dein animadvertit hoc malum esse sibi *præsens*, in se vel in effectibus, et de eo dolet; non potest autem sincere de peccato dolere, nisi firmiter illud *in posterum vitare* velit; et insuper, cum præteritum malum sit reparandum, jam sponte oritur *voluntas satisfaciendi*, ut infra declaratur. Quatuor illi actus omnes requiruntur in vera pænitentia seu contritione; sed sæpe fit ut unum vel alterum implicite tantum eliciatur quod certe sufficit.

Latiori sensu, actus pænitentiæ vocari possunt illi omnes actus quibus reparatur peccatum, v. g., oratio, jejunium, sui ipsius abnegatio aliique actus virtutum, quatenus ordinabiles sunt ad satisfaciendum pro peccato.

(D) *Subjectum remotum* pænitentiæ est quilibet homo peccati reus aut capax; nam *actus* pænitentiæ proprie dictæ supponit quidem actum peccati; sed *habitus*, quo homo promptus redditur ad dolendum de proprio peccato, inveniri potest in omnibus qui peccati sunt capaces, quippe qui prompti esse debeant ad dolendum de peccato, si forte commissum fuerit.

Act of the will

V.I.

Subjectum *proximum* est *voluntas*, quia odium peccati est actus quo *voluntas* a peccato avertitur; hic autem voluntatis actus supponit præviam *intellectus* cognitionem, qua peccatum ut malum apprehenditur; insuper sæpe in appetitum sensibilem influit, ibi causando sensibilem dolorem seu tristitiam; sed voluntas manet sedes propria pænitentiæ.

6. 3° Controversia de natura hujus virtutis. (A) Omnes theologi concedunt pænitentiam esse virtutem, sed quidam negarunt eam esse *specialem* virtutem. (A) Pauci, ut *Gulielmus Antissiodorensis* et *F. Mayronus*, docuerunt peccata detestari non per specialem virtutem, sed per virtutem cui opponuntur, v. g., intemperantiam detestari per virtutem temperantiæ. (B) Alii, ut *Durandus*, dixerunt pænitentiam nihil aliud esse nisi caritatem, quatenus de peccato dolet prout est offensa Dei. (C) Quidam, post *Cajetanum*, tenuerunt pænitentiam esse complexum trium virtutum, 1) caritatis, quæ odit peccatum, 2) religionis, quæ peccata confitendo Dei dominium agnoscit, 3) justitiæ vindicativæ, quæ satisfactionem præstat.

(B) Communiter tamen docent theologi, post *S. Thomam*, pænitentiam esse *specialem virtutem*. Etenim ibi est specialis virtus ubi occurrit (a) actus laudabilis propter speciale motivum seu (b) objectum formale elicitus; atqui actus pænitendi est certe actus laudabilis, cum tendat ad destructionem peccati præteriti, atque elicitur propter speciale motivum, quia videlicet peccatum est offensa Dei: hoc enim motivum ad omnia peccata sese extendit, ac differt a motivo aliarum virtutum, proindeque est motivum speciale. Ergo pænitentia est virtus specialis.

Special motive
1) Laudable act destructive of past sins
2) special motive – offence against God
The motive differs from that of other virtues & therefore special virtue

Hæc autem virtus ad *justitiam commutativam* refertur, non quidem tanquam pars subjectiva, sed ut *pars potentialis* [1]; per eam

[1] Partes *subjectivæ* alicujus virtutis sunt veluti species in quas dividitur, seu partes quæ plene participant rationem illius virtutis; partes *potentiales*, seu adnexæ, eæ sunt quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, nec habent totam rationem hujus virtutis, sed solum aliquid de ejus perfectione. — Licet

siquidem peccator aliquo modo reparat injustitiam erga Deum commissam, non quidem ad perfectam æqualitatem, sed meliori quo fieri potest modo. Quod sic declarat *S. Thomas* (3, q. 85, a. 3) : " *Simpliciter justum* est inter æquales, eo quod justitia est æqualitas quædam... *Justum autem secundum quid* dicitur quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale justum considerat in pænitentia. Unde pænitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut *servus* ad dominum, secundum illud [1] : "Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri "; et sicut *filius* ad patrem, secundum illud [2] : "Pater, peccavi in cælum et coram te "; sicut *uxor* ad virum, secundum illud [3] : " Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus ".

7. 4° **Falsa Protestantium notio.** (A) *Exponitur.* Hæc fluit ex modo quo concipiunt peccatum et justificationem. Cum homo, juxta *Lutherum*, necessario peccet, pænitentia proprie non consistit in mutatione voluntatis, quæ mala remanet, sed in mutatione sensus (*sentiment*) relate ad Deum; videlicet sensus terroris, agnito peccato incussus, mutatur in fidem seu fiduciam qua quis credit propter Christum sibi condonari peccata, et ita justificatur.

Calvinus autem hanc notionem correxit, asserens pænitentiam esse vitæ novæ inceptionem ex fiducia ortam, seu " veram ad Deum vitæ nostræ conversionem, a sincero serioque Dei timore profectam, quæ carnis nostræ veterisque hominis mortificatione et spiritus vivificatione constet " [4].

Ambo contendunt nullam satisfactionem Deo solvendam esse, cum Christus pro nobis abundanter satisfecerit.

Moderni autem Protestantes, propius veritatem catholicam accedentes, fatentur vitæ novæ inceptionem esse conditionem præviam ad justificationem, et veram pænitentiam complecti humilem confessionem delicti coram Deo, horrorem peccati commissi, atque vitæ emendationem [5].

---

autem pænitentia sit species quædam justitiæ, aliquid participat aliarum virtutum, ut egregie declaratur a **S. Thoma** (3, q. 85, a. 3, ad 4) : Pænitentia est cum *fide* passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, et cum *spe* veniæ, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad *caritatem.* In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid *prudentiæ*, quæ est directiva omnium virtutum; sed ex ipsa ratione justitiæ, non solum habet id quod justitiæ est, sed etiam ea quæ sunt *temperantiæ* et *fortitudinis*, in quantum scilicet abstinet ab eis quæ delectationem causant, quod ad temperantiam pertinet, et sustinet dura, quod pertinet ad fortitudinem.

[1] *Ps.* CXXII, 2. — [2] *Luc.*, XV, 21. — [3] *Jerem.*, III, 1.

[4] *Institut.*, l. III, c. 3, n. 4.

[5] **Cfr. Bovon***, *Morale chrétienne*, Lausanne, 1897, t. I, p. 224-237.

8. (**B**) *Confutantur Lutherani. Pænitentia genuina et salutaris non solum est propositum novæ vitæ, sed etiam peccatorum commissorum detestatio.* Certum est.

(**a**) Quidquid enim dicatur de sensu etymologico vocabulorum *pænitentia*, vel μετάνοια [1], certum est *usu biblico* vocabula hujusmodi non tantum simplicem consilii mutationem, sed etiam *præteritæ vitæ detestationem*, significare; sic, v. g., dicebat pius *Job* [2] : " Ideo insipienter locutus sum... idcirco ipse *me reprehendo*, et ago pænitentiam in favilla et cinere "; iterum ait *Psalmista* [3] : " Sacrificium Deo spiritus *contribulatus ;* cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies "; nec aliter Prophetæ : " Convertimini, et agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris... et facite vobis cor novum, et spiritum novum " [4]. Porro in his et similibus textibus, præter vitæ mutationem invenire est peccati detestationem ; quid est enim *seipsum reprehendere*, cor *contritum* habere, *a peccatis pænitentiam agere*, etc. nisi vitam præteritam detestari? — Præterea, *S. Paulus* pænitentes Corinthios alloquens, explicite tristitiam commemorat ut veræ pænitentiæ elementum [5] : " Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam... Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur ".

(**b**) Consonat ipsa *ratio :* qui enim resipiscit, et vitam in melius mutat, idcirco consilium revocat, quia priorem vitam malam esse intelligit; utquid enim novam duceret, nisi priorem æquitati contrariam esse videret? Atqui sicut amare bonum tenemur, ita et malum odisse, præsertim si fuerit a nobis commissum. Ergo pænitentia peccati de-

Cath. Vulg. Jesus personale not only promises new life (won't do it again) But also detestation of sins committed satisfaction Prof. - Scrip. Job, Psalm 50 & 1 Cor. 7: 9-1

Reason: He comes to right mind, better mind he chang on that decision he has come because he understands that prior life was evil; which lead new life unless he con prior life evil — justice?

But we must love good and hate evil especi if it is commit by us. There penance is important for detestat in of sin then reconcilia

[1] Vox μετάνοια (μετά, trans, νοῦς, mens) etymologice idem sonat ac transmentatio, seu mentis mutatio, sed ex usu loquendi apud auctores tum sacros tum profanos, tristitiam et dolorem de præterito etiam significat, ut constat ex Lexicis etiam a Protestantibus editis, *Schleusner*, *Robinson*, *Thayer*, etc. Cfr. **Morinus**, *op. cit.*, lib. I, c. 2. — Idem dici potest de voce *pænitentia;* ex dictis enim supra, hoc vocabulum aliquando significat *displicentiam :* quod confirmatur ex his **Ovidii** versibus (l. *I de Ponto*, Eleg. I) :

" Pænitet : oh ! si quid miserorum creditur ulli;
Pænitet, et facto *torqueor* ipse meo ".

[2] *Job*, XLII, 3-6. — [3] *Ps.* L, 19. — [4] *Ezech.*, XVIII, 30 sq.
[5] *II Cor.*, VII, 9-10.

testationem importat. Aliunde reconciliatio cum persona offensa plus requirit quam cessationem injuriæ; qui enim ab hominibus veniam petit, primum detestationem ac dolorem injuriæ prius illatæ manifestare debet, ut, hoc dolore mota, persona offensa injuriam condonare velit. Eodem igitur modo peccator sese cum Deo habere debet.

II. De pænitentiæ necessitate[1].

9. 1° Status quæstionis. Quæstio est de homine lapso seu peccatore, et de necessitate tum *medii* tum *præcepti*. Illud autem necessarium est necessitate *medii*, quod est medium, et quidem necessarium, ad aliquem finem, puta ad justificationem vel salutem, sine quo proinde, etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri nequit; id necesarium est necessitate *præcepti* quod præscribitur independenter a consideratione finis cujuslibet, ita ut ejus omissio culpabilis sit peccatum.

(a) Jamvero omnes Catholici docent pænitentiam in genere, id est quamdam peccati detestationem ac retractationem, necessariam esse necessitate medii, posito peccato mortali; controvertitur tantum utrum requiratur formalis actus pænitentiæ, an sufficiat virtualis, qualis continetur in actu caritatis perfectæ. *Scotistæ* tenent *virtualem* actum pænitentiæ sufficere; multi *Thomistæ* putant requiri actum *formalem*. *Suarez* autem distinguit, dicendo actum formalem *per se* requiri, quando quis de suis peccatis cogitat, sed *per accidens* remissionem peccati per actum virtualem pænitentiæ obtineri posse, quando quis, ex oblivione vel inconsideratione, de peccatis suis non cogitat; quam opinionem ut probabiliorem amplectimur.

(b) *Victoria*[2] negat esse speciale præceptum pænitendi, ideoque impænitentiam esse speciale peccatum : textus enim Scripturæ, ait, intelligi debent de necessitate medii, quæ non est semper conjuncta cum præcepto : ita, v. g., gratia sanctificans, licet ad salutem necessaria, non cadit sub præcepto. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur.

---

[1] **S. Thom.**, 3 p., q. 86, a. 2; **Suarez**, disp. IX et XV; **Salmant.**, disp. IV, dub. 2; disp. V, dup. 6; **Drouin**, q. I, c. 3; **Palmieri**, th. 7; **Galtier**, *op. cit.*, th. III. — [2] *Tr. de Septem Sacram.*, q. 121.

10. 2° *Thesis* : **Supposito peccato mortali, certum est actum saltem virtualem pænitentiæ necessarium esse necessitate medii ad justificationem et salutem, in præsenti rerum ordine;** *communiter tenetur* **formalem actum necessarium esse necessitate præcepti.**

Dixi : *posito peccato mortali*, quo nempe avertimur a Deo, fine ultimo; si peccatum sit veniale tantum, pænitentia, quamvis exoptabilis, necessaria non est ad salutem; — *in præsenti ordine*, quia nonnulli theologi putant Deum posse, de potentia sua absoluta, condonare peccatum et gratiam infundere absque ullo actu peccatoris; attentis autem suis attributis, præsertim sapientia, justitia et sanctitate, non potest (vide infra, c.).

(**A**) Quoad *necessitatem medii*. (**a**) *Script.* Id enim necessarium est necessitate medii quod ita cum fine conjunctum est, ut sine eo finis obtineri nequeat; atqui, posito peccato gravi, salus ita cum pænitentia conjungitur, ut sine ea haberi non possit, ut ex his et similibus testimoniis colligitur : " Si pænitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pænitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei... si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pænitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei " [1]; " Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis... vita vivet et non morietur... si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur " [2]. — Nec aliter in *Nov. Testamento* : " Si pænitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis " [3]; " Pænitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra " [4], quasi diceretur : conditio necessaria ut deleantur peccata vestra est quod pænitentiam agatis. Ergo, in præsenti ordine, pænitentia cum remissione peccati jungitur sicut *medium* cum fine.

(**b**) *Tradit.* Ex *Tridentino* superius allegato : " Fuit quidem pænitentia universis hominibus, qui se mortali ali-

[1] *Jerem.*, XVIII, 8-10.
[2] *Ezech.*, XVIII, 21-27. — [3] *Luc.*, XIII, 5. — [4] *Act.*, III, 19.

quo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria "[1]. Ex quo sequitur pænitentiam necessariam esse necessitate medii, cum omni tempore, etiam antequam lex positiva condita fuisset, ad remissionem peccati requireretur.

(c) *Rat. theol.* Peccator salvari nequit nisi prius a Deo remissionem peccati sui impetraverit. Atqui sine pænitentia Deus peccata remittere nequit : *sapientia* enim vetat ne sibi reconciliet, nec in suam amicitiam recipiat quem a se voluntarie aversum, et in peccati amore obstinatum cognoscit : hoc enim nihil aliud esset nisi peccatum ipsum fovere et præmiari; insuper *justitia* prohibet ne offensa remittatur sine aliqua reparatione; *sanctitas* ne sibi uniat aliquid impurum peccato adhuc adhærens. Jamvero qui graviter peccavit, etiam ex fragilitate, manet a Deo aversus, habitualiter saltem, usquedum pæniteat, neque offensam Deo irrogatam pro posse reparat, sed in ea perseverat, et peccato adhærere pergit; ergo Deus peccatum remittere nequit, attentis suis attributis, nisi peccator per actum pænitentiæ ad Deum sese convertat; ergo sine pænitentia peccator salvari nequit.

11. (B) Quoad *necessitatem præcepti.* (a) *Script.* Textus allati rem jam demonstrare videntur; Deus enim, necessitatem pænitentiæ tam emphatice declarando, minandoque gravissimas pœnas impænitentibus, satis clare manifestat se velle ut omnes pænitentiam agere teneantur. Præterea, teste Scriptura, qui pænitere renuit, inobedientiæ convincitur, et quidem gravis, cum gravi puniatur pœna : " Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret,... ego quoque in interitu vestro ridebo "[2]. Aliunde Christus sub forma præcepti pænitentiam prædicavit : " Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : *Pænitentiam agite;* appropinquavit enim regnum cœlorum "[3].

Frustra autem objicitur gratiam, licet maximi pretii, non cadere sub speciali præcepto; gratia siquidem non est virtus, sed medium ad virtutem, ideoque non præcipitur directe; pænitentia autem specialis virtus est, ex dictis, proindeque sub præcepto cadit.

[1] D. B., 894. — [2] *Prov.*, I, 24-33. — [3] *Matth.*, IV, 17.

(b) *Rat.* Quisque tenetur, vi *justitiæ*, reparare injuriam alteri illatam; atqui homo, per peccatum mortale, gravem injuriam Deo irrogavit, ejus præceptum violando in re gravi; ergo, ex præcepto justitiæ, ad hanc injuriam compensandam tenetur pænitentiam agendo.[1]

3° Quandonam præceptum pænitentiæ obliget?

12. Imprimis præceptum pænitendi considerari potest ut *negativum* et *affirmativum* : quatenus *negativum*, prohibet ne quis in peccatis sibi complaceat; quo sensu obligat semper et pro semper; quatenus *affirmativum*, præcipit ut quis de peccatis commissis doleat, et tunc obligatio considerari potest tum *per se*, id est vi ipsius virtutis pænitentiæ, tum *per accidens*, seu vi alius præcepti ad quod implendum quis tenetur.

(A) *Per se* (a) non obligat *statim* post peccatum commissum. Nam hujusmodi præceptum est *affirmativum*, ex dictis; atqui de natura præcepti affirmativi est ut non statim et pro semper obliget, sed determinato tempore, vel saltem in exitu vitæ. — Præterea, si statim obligaret, qui pænitentiam differt eo ipso peccaret et toties novum committeret peccatum quoties, hujus obligationis conscius, pænitentiam non ageret; atqui hoc adversatur communi *fidelium* sensui, qui de istis peccatis minime se accusant, et *confessariorum* qui de eis non interrogant.

13. (b) Obligat autem certe *articulo mortis*, aut etiam in valde probabili *periculo mortis* vel *perpetuæ amentiæ;* tunc enim quisque tenetur, ratione justitiæ erga Deum, Deo reconciliari ut supra (11) dictum est, si jam non fuerit facta reconciliatio, cum secus aut certo aut valde probabiliter aliud tempus opportunum non supersit.

(c) Satis communiter dicunt Auctores non obligare *per se* ante mortis periculum, quia nullum assignari potest tempus hujus obligationis : jamvero principium generale est legem

[1] Exinde infert **S. Thomas** (3 p., q. 84, a. 7, c. et ad 1) pænitentiam esse jure *naturali* præscriptam : "Ex naturali enim ratione homo movetur ad pænitendum de malis quæ fecit, sed quod hoc vel illo modo pænitentiam agat, est ex institutione divina".

cujus obligatio nulli tempori præfigitur, obligare tantum eo tempore quo exacto adimpletio esset impossibilis. Ita *d'Annibale*, *S. Alphonsus*, l. VI, n. 437.

14. (**B**) *Per accidens* obligat quoties peccator ex alio præcepto tenetur statum gratiæ recuperare. Unde :

(**a**) Ratione caritatis erga Deum et seipsum, peccator obligatur *aliquoties* in vita. Exstat enim præceptum aliquoties eliciendi actum caritatis erga Deum, cui obligationi non satisfacit ille qui pænitentiam longo tempore differt. Quisque etiam tenetur sub gravi de sua salute æterna esse sollicitus.

Quo fit ut dilatio nimia conversionis ab auctoribus sacris graviter reprehendatur : " *Non tardes* converti ad Dominum. et *ne differas* de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te " [1]; " Secundum autem duritiam tuam et *impænitens cor*, *thesaurizas tibi iram* in die iræ " [2]. — Aliunde dilatio conversionis est *periculosa saluti*, quia in nova peccata facile inducit [3], meritum de condigno impossibile reddit ac periculo damnationis exponit, si mors subito occurrat.

Quale autem tempus sit *notabile* et sufficiens ad novum peccatum constituendum accurate definiri nequit. Dilatio *per plurimos annos* communiter ut notabile tempus consideratur, eo magis quia præcepto ecclesiastico, quod juris divini determinativum esse videtur, peccator tenetur semel saltem in anno confiteri peccata, ideoque pænitentiam agere.

Juxta *Laymann* [4] multosque alios, qui præcepto annuæ confessionis satisfacit, pænitentiam ultra debitum tempus non differt, quia Ecclesia, tempus confessionis determinando, tempus etiam pænitentiæ videtur determinavisse. Et hæc sententia valde probabilis est, eo magis quia generatim Fideles non putant se novi peccati esse reos, nisi pænitentiam ultra annum distulerint.

Attamen *S. Alphonsus* [5] huic sententiæ non omnino acquiescit, sed putat *unum mensem* esse notabile tempus in pænitentiæ dila-

---

[1] *Eccli.*, V, 8-9. — [2] *Rom.*, II, 4-5.

[3] Recte enim ait **S. Gregorius M.**, *Moral.*, lib. XXV, cap. 9, *P. L.*, LXXVI, 334 : " Peccatum namque quod pænitentia non diluit, ipso *suo pondere mox ad aliud trahit* ". Qui enim diu manet in statu peccati mortalis, iis efficacibus gratiis privatur, quæ necessariæ sunt ad graves tentationes superandas. Cfr. **S. Thom.**, 1. 2., q. 109, a. 8.

[4] *De Sacr. Pænitent.*, c. 2, n. 6.

[5] **S. Alphons.**, lib. VI, n. 437, et *Homo Apostol.*, tr. XIV, n. 10.

tione, tum ob obligationem eliciendi actum caritatis semel in mense, quam peccator adimplere non potest quin de peccatis doleat, — tum quia per totum annum existens in mortali vitare nequit periculum in alia peccata facile relabendi. Addit tamen, et hoc pro praxi notandum est, peccatores præsertim rudes, ab hoc peccato dilatæ pænitentiæ, ob inadvertentiam, ut plurimum, imo fere semper, excusari posse.

15. (**b**) Item si quis debet gratiam recuperare ad sacramenta ministranda, si sacerdos sit, vel ad sacramenta vivorum recipienda.

(**c**) Ad graves tentationes superandas, si peccator conscius sit se eisdem resistere non posse, nisi actum contritionis eliciat; — præceptum autem sanctificandi festa et diem dominicam non importat obligationem actum pænitentiæ eliciendi, cum status gratiæ non requiratur ad diem Domini servandam.

Enixe igitur hortandi sunt peccatores ad cito pænitendum, non asserendo quidem dilationem pænitentiæ esse novum peccatum mortale, sed ostendendo impænitentiam esse *peccatori periculosam* et *Deo injuriosam* [1], ut supra.

[1] Inter loca Scripturæ et Patrum quæ allegari possunt, hæc præsertim attendantur : *Proverb.*, I, 22-23; *Isa.*, I, 2-31; *Jerem.*, II, III, IV; XVIII, 5-17; *Ezech.*, XVIII, 21-32; *Matt.*, III, 8-12; *Luc.*, XIII, 2-5; *Act.*, III, 19-26, etc.; — **S. Ambrosius**, *De Pænitentia*, lib. II, *P. L.*, XVI, 495 sq.; **S. Augustinus**, *sermo* 20, *P. L.*, XXXVIII, 140-141, etc. — Cfr. **Bourdaloue**, *Carême*, sermon pour le Lundi de la 2e semaine, sur l'Impénitence finale; **Massillon**, *Carême* sur l'Impén. finale; **Wiseman**, *Sermons on Moral Subjects*, On delay of repentance; **Newman**, *Sermons to Mixed Congreg.*, Neglect of divine calls and warnings.

PARS I

DE SACRAMENTO

16. Hujus partis divisio. Ante Christi adventum Pænitentia non erat sacramentum; quo securius vero fideles peccatorum post baptisma commissorum remissionem consequerentur, Dominus pænitentiam ad dignitatem sacramenti erexit, Ecclesiæ tradendo potestatem ministerialem peccata remittendi, atque determinando actus a peccatoribus præstandos ad veniam obtinendam.

Juxta *Tridentinum* [1], Dominus sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue instituit quando potestatem remittendi peccata, quæ *potestas clavium* dicitur, apostolis contulit : hanc igitur exponere ante omnia necesse est. Quia vero hæc non exercetur nisi signi sensibilis ope, gratiæ productivi, seu sacramenti, postea de ipso sacramento dicendum erit. Duplex igitur erit caput :

I. De potestatis clavium existentia.
II. De exercitio hujus potestatis per sacramentum.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA POTESTATIS CLAVIUM.

17. Status quæstionis. Probandum est, in toto hujus capitis decursu, contra *Protestantes*, potestatem clavium a Christo Ecclesiæ fuisse collatam.

1° *Natura hujus potestatis declaratur.* (**A**) Potestas clavium, prout hic sumitur, est potestas judicandi de statu conscientiæ interno, seu potestas *remittendi ac retinendi peccata*, non solum in foro externo coram Ecclesia, sed etiam in *foro interno coram Deo;* ideoque est potestas

[1] Sess. XIV, c. 1, D. B., 894.

regendi fidelium conscientiam ejusque interiores relationes relate ad Deum immutandi.

Duplex est : (a) potestas debita spiritualia solvendi coram Deo, seu remittendi peccata; (b) potestas novas statuendi obligationes quas implere debeat pænitens ut a suis peccatis liberetur, seu potestas pœnas imponendi.

(B) Quæ quidem potestas est : (a) *supernaturalis*, ab ipso Deo *delegata*, in ordine ad *finem supernaturalem* collata; (b) *ministerialis* sub Christo, et veluti quædam participatio divinæ potestatis; (c) vere *efficax*, id est, ligans aut liberans ipsam conscientiam. (d) Attamen *non est absoluta*, cum ejus exercitium et efficacia pendeat a certis conditionibus ab ipso Deo statutis, quas servare debeant tum minister tum pænitens; (e) nec *infallibilis*, cum Dei minister, etsi *auctoritative* de statu interno pænitentis judicans, præ humana infirmitate errare valeat. Deus utique ratam habet in cælis ministri sententiam, sed tantum positis ponendis, seu impletis conditionibus requisitis ex parte ministri et ex parte pænitentis.

18. 2° *Errores.* Præter *Montanistas* et *Novatianos*, de quibus mox suo loco agemus, *Protestantes* potestatem clavium diverso modo impugnaverunt. Horum principium generale est justificationem, ideoque peccatorum remissionem, fieri *per fidem* seu *fiduciam* (supra, n. 7).

(a) *Lutherus* quidem diu anceps mansit, nunc agnoscens, tunc rejiciens hujusmodi sacramentum; quam hæsitationem imitati sunt ejus discipuli [1]. Attamen absolutio, juxta ipsos, vim solum habet *declarandi*, non autem efficiendi peccatorum remissionem. (b) *Calvinus* aperte sacramenti existentiam negavit, docens Pænitentiam non vere a Baptismo, vel *Baptismi memoria* distingui : juxta ipsum siquidem, per Baptismum non deletur peccatum, sed solum testimonium præbetur peccata fide remissa fuisse, seu potius non imputari. Accidit autem postea baptizatum terreri subsequentibus peccatis, et tunc juvat in ejus memoriam revocare Baptismum antea collatum, ut pignus justificationis pro totius vitæ cursu acceptæ; quæ *baptismi memoria* nihil aliud est nisi *Pœnitentia* qua renovatur peccati displicentia novæque vitæ propositum [2].

[1] Hinc in Conf. *Augustana* (a. 12) legitur : "De Pænitentia docent, quod lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocumque tempore cum convertuntur; et quod Ecclesia talibus redeuntibus ad pænitentiam absolutionem impertiri debeat". (Apud **Schaff***, *Creeds*, vol. III, p. 14). — "Absolutio proprie dici potest sacramentum Pænitentiæ, ut etiam scholastici theologi eruditiores loquuntur" (**Melanchton,** *Apolog.*, art. 5). Cfr. **Pfisterer,** *Luthers Lehre von der Beichte*, Stuttgard, 1857.

[2] "Sic autem cogitandum est, quocumque baptizemur tempore, nos semel in

(c) *Anglicani* agnoscunt a presbyteris absolvi posse tum moribundos tum publicé communicaturos, imo utilitatem confessionis admittunt, non autem ejus necessitatem [1].

(d) *Ritualistæ* præterea docent absolutionem esse sacramentum, unum videlicet ex *minoribus* sacramentis; non enim inter *majora* sacramenta recensent nisi baptismum et cœnam.

19. (e) Nostris diebus, adhuc prævalet apud anglo-saxones protestantes theoria quam exposuit *H. C. Lea* [2], qui, Dallæi argumenta renovans, divinam institutionem confessionis et absolutionis ita impugnat : 1) Christus in Evangelio nullum ritum externum instituit ad remittenda peccata, sed solum dilectionem et cordis pænitentiam exigit. 2) Potestas remittendi peccata aliquo ritu sacramentali minime agnoscebatur primis Ecclesiæ sæculis. Vigebat quidem disciplina quædam pænitentialis, sed vim habebat solum in *foro externo*, ad reconciliandos peccatores cum Ecclesia, non autem cum Deo. 3) Patres docent multa esse media ad peccatorum remissionem consequendam, sed inter ea absolutionem sacerdotalem non commemorant. 4) Ceteroquin absolutionis verba, super pænitentes recitata, nihil aliud sunt nisi preces quibus sacerdotes enixe a Deo flagitabant veniam peccatorum, minime vero formæ sacramentales gratiam conferentes [3].

(f) Vestigiis *Liberalium* inhærentes, *Modernistæ* pænitentiæ originem sic declarant : Initio, cum Ecclesia a *spiritualibus* seu *pneumaticis* præcipue regeretur, peccatorum remissio a pneumaticis, pro spiritus impulsu fiebat. Decrescente vero spiritualium auctoritate, et peccatorum numero augente, disciplina ab Episcopis instituta est qua peccatores e sinu Ecclesiæ expellebantur vel publicæ pænitentiæ subjiciebantur, posteaque *pacem* cum Ecclesia denuo accipiebant. Exinde paulatim evoluta est praxis recur-

omnem vitam ablui et purgari : itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit Baptismi memoria, et hac armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit; nam, etsi administratus præteriisse visus sit, posteriorbus tamen peccatis non est abolitus ". (**Calvinus**, *Instit.*, l. IV, c. 15).

[1] Ante communionem, hæc ab Anglicanis ministris dicuntur : " Si in medio vestrum quis reperiatur cujus conscientia in angoribus et in angustiis versetur, atque consolatione vel consilio indigeat, ad me vel ad alium prudentem, doctum ac in lege Dei peritum sacerdotem confugiat; confiteatur et detegat secreto peccata sua suosque angores, ut monita salutaria, consilia necnon solatia recipere possit, et per nos Dei et Ecclesiæ ministros, fidentiam et absolutionem obtineat ". Cfr. **Blunt***, *The sacraments*, London, 1868, p. 190; **Morgan Dix***, *The sacramental system*, New-York, 1893, p. 92-104. — Protestantium doctrinam expositam vide in *D. T. C.*, t. I, c. 214-229.

[2] **Lea***, *A history of auricular confession and indulgences*, Philadelphia et London, 1896. — Cf. **Vacandard**, *D. T. C.*, v° *Absolution*, col. 229-240.

[3] *Op. cit.*, t. I, ch. I-VII, p. 3-167.

rendi ad ministros Ecclesiæ pro peccatorum remissione et nata est persuasio nullum peccatum sine tali recursu remitti posse [1].

Contra quos errores doctrinam catholicam exponemus ac vindicabimus, Scripturæ et priorum Patrum textus critice expendendo.

20. *Thesis :* **Christus Ecclesiæ contulit potestatem vere remittendi et retinendi omnia peccata post baptismum commissa, et quidem actu vere judiciali, et ritu a baptismo distincto.**

De fide est ex sequentibus *Tridentini* canonibus [2] :

1. "Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, *quoties* post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum ; A. S."

3. "Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : "Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt", non esse intelligenda *de potestate remittendi et retinendi peccata* in sacramento Pænitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; A. S."

9. "Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse *actum judicialem*, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pænitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; A. S."

His canonibus addere juvat sequentes Modernistarum propositiones in decreto *Lamentabili* (3 jul. 1907) damnatas [3].

Prop. 46. "Non adfuit in primitiva ecclesia conceptus de peccatore auctoritate Ecclesiæ reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Imo, etiam postquam Ecclesiæ institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur sacramentum probrosum".

Prop. 47. "Verba Domini : *Accipite Spiritum Sanctum*... minime referuntur ad Sacramentum Pænitentiæ, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuerit".

---

[1] Iste error damnatus est in decreto *Lamentab.*, **D. B.**, 2046.
[2] *Trident.*, sess. XIV, can. 1, 3, 9, **D. B.**, 911, 913, 919.
[3] **D. B.**, 2046, 2047.

Art. I. Thesis Scriptura probatur [1].

Quo lucidior sit demonstratio, duo prænotamus : (a) Christum, dum in terris viveret, potestatem clavium exercuisse seu potestatem remittendi peccata libero actu voluntatis suæ, v. g., in casu paralytici et mulieris peccatricis; (b) eumdem modo generali Apostolis contulisse omnem potestatem sibi a Patre commissam ad salutem animarum promovendam, prout ex quatuor Evangeliis constat. Jamvero omnino improbabile est ab hac generali missione seu delegatione exceptam fuisse potestatem clavium.

Revera, sedulo inspecta Scriptura, duo constant : 1° Apostolis eorumque successoribus *promissam* fuisse *potestatem clavium*, in cujus amplitudine continetur *potestas remittendi peccata;* 2° hanc vero potestatem eis fuisse *collatam* ipso resurrectionis die.

21. 1° *Hanc potestatem fuisse promissam*, constat ex verbis Christi ad Petrum : " Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis [2]. Item ex Christi verbis ad omnes Apostolos postea directis [3] : " Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo ". Ad majorem probationis claritatem, prius sensus horum textuum exponendus est.

(a) Petro promittuntur *claves regni cælorum*, id est potestas jurisdictionis super *universam Ecclesiam*, quam Christus regni cælorum nomine designat, ut constat ex verbis antea prolatis : " super hanc petram ædificabo *Ecclesiam meam* ". Nam *claves tradere* alicujus domus aut civitatis idem est ac auctoritatem conferre eam claudendi et aperiendi, seu supremam auctoritatem, ut constat ex usu loquendi apud auctores

[1] Cfr. **Corluy**, *Spicilegium Dogmatico-biblicum*, Gandavi, 1884, t. I, p. 33-51; t. II, p. 438-452; *D. T. C.*, t. I, 138-145; t. XII, 748-756; *D. A.*, t. III, 1756-1763.

[2] *Matt.*, XVI, 18-19. — [3] *Matt.*, XVIII, 18.

sacros et profanos; ita quando Eliacim substituitur Sobnæ, templi aut domus regiæ præposito, dicitur[1] : "Et dabo clavem domus David super humerum ejus"; pariter quando Christus gloriosus vult significare sibi traditam fuisse omnem potestatem, ait : "Et habeo claves mortis et inferni"[2]. Petro igitur promittitur vera auctoritas in Ecclesiam.

22. (**b**) Quænam sit autem *natura hujus potestatis* sequentia verba declarant :("*quodcumque ligaveris... quodcumque solveris...*") Quæ accurate declaranda sunt. Fatemur equidem hæc verba duplicem sensum historice præ se ferre : quandoque nihil aliud significant nisi *declarare* rem esse licitam vel non (v. g., in Talmude legitur : Rabbi M solvit, Rabbi N ligat, id est, prior asserit rem esse licitam, posterior autem non licere); alias autem designant potestatem *legislativam* et *judiciariam*. Hunc porro esse sensum in præsenti loco constat ex contextu : 1) Christus enim Petro propriam auctoritatem promittit; atqui hæc auctoritas non est tantum *declarativa*, sed simul *legislativa* et *judiciaria;* ergo Christus Petro promittit potestatem leges ferendi, obligationes imponendi, necnon judicium ferendi et vincula solvendi quæ fideles ab ingressu cæli prohibere possunt, præsertim vero peccata quæ sunt unum e præcipuis vinculis; 2) quod consonat cum priori parte textus, ubi promittitur potestas clavium seu claudendi et aperiendi cælum, ideoque tollendi peccatum quod cæli ingressui obstat; 3) et firmatur ex loco parallelo, ubi eadem potestas Apostolis promittitur relate ad peccata[3].

Hanc potestatem non solum forum externum attingere, sed *ipsam conscientiam*, patet ex eo quod Deus *ratum habet in cælo* quodcumque Ecclesia ligaverit aut solverit in terra.

23. (**c**) Quod Christus primum soli Petro promiserat, paulo post omnibus simul apostolis pariter promisit; eis

[1] *Isa.*, XXII, 22.

[2] *Apoc.*, I, 18; cfr., III, 7.

[3] *Matt.*, XVIII, 15-18. Ibi enim agitur de peccatis remittendis aut retinendis : "Si autem *peccaverit* (*in te* deficit in optimis codicibus) frater tuus... dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, etc."

non promittit quidem potestatem clavium seu potestatem supremam, sed potestatem ligandi atque solvendi, quam dependenter a Petro exercebunt.

(d) In utroque casu, hic agitur de potestate in *ipsos fideles* exercenda, non autem in eos qui foris sunt : " Ædificabo Ecclesiam, et tibi dabo claves... " Pariter, quando agitur de potestate Apostolis promissa, prius commemoratur Ecclesia : " Dic Ecclesiæ ; si autem Ecclesiam non audierit... " Potestas hujusmodi distinguitur proinde a potestate baptizandi, quæ exercetur in eos qui foris sunt, ut hi in Ecclesiam introducantur.

Præfatum argumentum, etsi generale, est omnino validum. Ejus vis ex verbis S. Joannis et Patrum auctoritate firmatur; jam enim S. Pontifex *Callistus* hoc textu utebatur ad probandum sibi inesse facultatem remittendi peccata; *Tertullianus* autem, etsi Montanista, hunc sensum non negabat, sed solum dicebat hanc potestatem Petro collatam solis *spiritualibus* transmissam fuisse [1].

24. 2° Quam promiserat potestatem Christus Apostolis *contulit;* siquidem a mortuis redivivus, stetit in medio discipulorum et dixit eis [2] : " Pax vobis... sicut *misit* me Pater, et ego *mitto* vos. Hæc cum dixisset, *insufflavit* et dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* ".

Quæ quidem verba sunt veluti *authentica declaratio* qua speciatim definitur una ex multis potestatibus Petro et Apostolis jam promissis in præfatis textibus. Potestas enim de qua hic agitur, non est, ut volunt Protestantes, mera facultas prædicandi remissionem peccatorum, vel declarandi peccata pænitentibus esse remissa, sed potestas *vere remittendi* peccata ; — non solum quoad pœnam, sed etiam quoad *culpam;* — ad omnia peccata se extendens ; — modo judiciali exercenda ; — ideoque non coarctata ad potestatem peccata remittendi per baptismum. Quæ successive declarabimus.

25. (A) Potestas hic concessa est potestas *vere remittendi peccata.* Colligitur : (a) ex *contextu;* nam Christus sic exor-

[1] **Tertul.**, *De pudicitia*, c. 21, *P. L.*, t. II, c. 1025.
[2] *Joan.*, XX, 21-23.

ditur : *sicut misit me Pater, et ego mitto vos ;* quibus verbis declaratur missionem Apostolis dandam similem esse missioni quam Christus a Patre accepit; jamvero Christus non solum prædicaverat remissionem peccatorum, sed ea vere dimiserat, imo ad hoc venerat in mundum ut ea vere destrueret [1]; ergo Apostoli receperunt potestatem vere peccata remittendi. — Postea Christus, sensibili signo *insufflationis*, Apostolis impertitur Spiritum Sanctum, ut sic omnibus manifestum sit potestatem ipsis conferendam esse privilegium *novum* et *singulare* quod nonnisi Spiritu S. adjuvante exercere possunt : porro *annuntiare* remissionem peccatorum non est privilegium tam *novum* et *singulare*, cum Prophetæ et Apostoli ipsi id jam præstiterint prædicando; ergo non agitur de prædicatione, sed de remissione peccatorum.

26. (b) Ex ipso *textu :* 1) verbum enim *remiseritis* (gr. ἀφῆτε) est activum, et talem remissionem significat, quæ fiat per actionem positivam et efficacem, non per meram declarationem remissionis jam factæ; confirmatur ex alia voce *retinueritis* (κρατῆτε), quæ pariter actionem positivam denotat : non enim Christus dixit "*non remiseritis*", quod mere negativum esset, sed *retinueritis*, quasi actio positiva sacerdotis requireretur. 2) Aliunde in secundo inciso additur "*remittuntur eis, retenta sunt*"; quod quidem, juxta ipsos Protestantes, idem sonat ac *vere remittuntur* vel *vere retenta sunt* [1]; ergo, vi parallelismi, priora verba, *remiseritis, retinueritis*, eodem sensu intelligi debent : quo enim jure *remittere*, in priori inciso, significare dicitur *declarare remissionem*, et in posteriori vere remittere? 3) Tandem, vi hujus textus, ea est relatio inter remissionem peccatorum ab Apostolis et a Deo factam, ut quotiescumque Apostoli remittunt, Deus remittat; atqui talis nexus bene quidem explicatur si Apostoli vera facultate remittendi gaudent; si vero solum potestatem habent prædicandi remissionem, nullus est certus nexus inter declarationem Apostolorum et remissionem peccatorum : quomodo enim, seclusa speciali revelatione, possunt Ecclesiæ ministri certo scire et declarare peccata esse a Deo remissa?

[1] *Matt.*, IX, 2-8; *Luc.*, V, 20; VII, 47; *Apoc.*, I, 5.

27. (B) Potestas Ecclesiæ collata *attingit non solum reatum pœnæ, sed etiam reatum culpæ*, ideoque culpam ipsam remittit coram Deo. Christus enim hic utitur verbis ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, quibus antea usus fuerat ad significandam veram peccatorum remissionem quoad culpam[1].

Quod ex *contextu* confirmatur. Nam (a) agitur de illa peccatorum remissione qua missio Christi perficitur et completur; atqui finis proprius hujus missionis erat interior peccatorum remissio : Christus enim in mundum venerat peccatores quærere et salvos facere, justificare, sanctificare et ad cælum perducere eos qui per peccatum a Deo alieni facti fuerant[2]. (b) Apostoli, remittendo peccata, agunt in virtute Spiritus Sancti ipsis collati : "Accipite Spiritum Sanctum..." Jamvero proprium est Spiritus S. peccata remittere quoad culpam : in ipso enim abluti et sanctificati et justificati sumus[3].

28. (C) Hæc potestas *ad omnia peccata sese extendit.* Nam (a) nulla limitatio apponitur : "quorum remiseritis peccata, remittuntur eis", et græcus textus ἄν τινων ἀφῆτε clare designat *omnes* peccatores posse veniam consequi; (b) aliunde hæc verba sunt determinativa generalis potestatis solvendi vincula, quæ nullam patitur exceptionem : "quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis"; possunt igitur remitti omnia peccata.

29. (D) Eadem potestas *exerceri debet actu judiciali*, id est *causam instruendo* et *sententiam* ferendo. (a) Primum quidem apostoli eorumque successores debent *causam instruere* et cognoscere. Duplex enim confertur potestas peccata tam remittendi quam *retinendi* (quæ vox, ut supra notavimus, plus dicit quam non remittendi); jamvero hujusmodi facultas non potest pro libitu exerceri, sed *prudenter;* quomodo autem quis scire potest utrum peccata remitti valeant an non, retineri debeant an non, nisi prius juridicam materiæ investigationem instituerit? Ad hoc siquidem requiritur cognitio tum delictorum a peccatore commisso-

[1] *Matth.*, IX, 5, 6; *Marc.*, II, 10; *Luc.*, V, 20; VIII, 47-49.
[2] *Marc.*, II, 17; *Matt.*, XVIII; 11; *Luc.*, XIX, 10; *Rom.*, V, 10, 18, 19.
[3] *I Cor.*, VI, 11.

rum, tum dispositionum subjecti, ut Apostoli eorumque successores judicare valeant utrum possint, tanquam Christi ministri qui de sua administratione rationem reddere tenentur, absolvere eos qui rite sunt dispositi, an ligare indispositos; ergo potestas remittendi peccata supponit etiam jus ac officium causam instruendi.

(**b**) Causa vero instructa, debent etiam *sententiam ferre :* ad ipsos enim spectat peccata retinere aut remittere, secundum dispositiones pænitentis, ideoque conditiones præscribere ad remissionem peccatorum adimplendas, onera et satisfactiones imponere pro peccatis commissis. Ipsis enim inest potestas ligandi æque ac solvendi, et quæcumque retinentur aut remittuntur in terra, retenta aut remissa sunt in cælis. Potestate judiciali igitur gaudent, cui peccatores coguntur se subjicere, si velint absolvi.

30. (**E**) Hæc potestas non coarctatur ad *potestatem remittendi peccata per baptismum*, sed complectitur etiam facultatem dimittendi peccata *post baptismum commissa.* — Non diffitemur quidem verba Joannis intelligi posse et reapse a quibusdam Patribus intellecta fuisse de potestate remittendi peccata per baptismum; verba enim Christi generalia sunt, et *ex se* audiri possunt de peccatis *ante* aut *post baptismum* commissis. Certo autem *ad solum baptismum non limitantur :* (**a**) ex *contextu* patet, tum quia *universalia* sunt; tum quia supponunt hanc potestatem *indefinite* et *modo judiciali* exerceri : quod quidem de pænitentia potiusquam de baptismo intelligitur, cum hic nonnisi semel conferatur, nec proprie ad modum judicii.

(**b**) Quæ interpretatio auctoritate Patrum firmatur : *Origenes* enim aperte dicit potestatem peccata dimittendi apostolis eorumque successoribus fuisse collatam vi præfatorum verborum [1]. *S. Pacianus* magis directe confutat Novatianos, qui dicebant verba Joannis parallela esse verbis Matthæi " Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos..."; et ostendit textum Joannis exponendum esse secundum verba Matthæi " Quæcumque ligaveritis ", ideoque spectare peccata post baptismum commissa [2]. Quam interpretationem

[1] **Origenes,** *De orat.*, n. 28, *P. G.*, t. XI, 529.
[2] **S. Pac.,** *ep.* 3ª, n. 11, *P. L.*, t. XIII, 1070.

suam fecit *S. Ambrosius* [1]. Inter Patres vero qui præfata Joannis verba accipiunt de peccatorum remissione per baptismum, quidam, ut *S. Cyrillus Alexandrinus*, aperte docent eadem posse etiam intelligi de peccatis post baptismum commissis [2].

N.B. Ex his igitur S. Joannis verbis, et ex modo quo communiter intellecta fuerunt jam a sæculo III, merito infertur Apostolis eorumque successoribus *vere fuisse concessam potestatem remittendi, ritu judiciali, omnia peccata post baptismum commissa.*

31. Scholion. *De remissibilitate omnium peccatorum.* Apostolis persuasum erat omnia peccata, etiam gravissima, ante judicium condigna pænitentia remissibilia esse. Ita S. Paulus supponit gravissima peccata, ut fornicationem, per pænitentiam remitti [3]; pariter S. Joannes Deum exhibet dira supplicia minantem iis qui apostasiæ et idololatriæ rei sunt, " nisi pænitentiam ab operibus suis egerint " [4]; supponit igitur præfata peccata pænitentia deleri posse.

Pauci tamen textus opponuntur ex quibus constare videtur quædam peccata esse irremissibilia. Hos textus breviter explicare juvat.

32. (a) Christus videlicet Pharisæis dixit : " Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia *non remittetur* " [5]. — *Resp.* Contextu inspecto, peccatum de quo agitur est illud quo opera manifeste divina, ut miracula ad divinitatem missionis Christi probandam facta, diabolo ascribuntur, sicque deliberate et pertinaciter fidei lumini clauduntur oculi; agitur enim de Pharisæis qui dicebant Christum in Beelzebub ejicere dæmonia. Jamvero illud peccatum dicitur *non remitti*, non quod nunquam dimittitur, sed quia *ex se nullam excusationem habet*, nullam veniam meretur ; vel, juxta alios, quia *difficilius* remittitur, non quidem ex defectu potestatis aut voluntatis in Deo ejusque ministris, sed quia difficile est peccatorem, qui pertinaciter gratiæ

[1] **S. Ambros**, *De pænit.*, I, 68, *P. L.*, XVI, 467-468.

[2] " Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis : vel enim dignos ad baptismum vocant, vitæ nimirum gravitate et constantia fidei jam probatos homines, vel prohibent, et a gratia divina arcent eos qui nondum digni sunt; vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pænitentibus ignoscunt. " (**S. Cyril.**, *In Joan.*, lib. XII, cap. XX, 22-23, *P. G.*, t. LXXIV, p. 722). — [3] *II Cor.*, XII, 20-21. — [4] *Apoc.*, II, 19-23.

[5] *Matth.*, XII, 31. Cf. *Maldonat*, in h. loc.

mediis abusus est, sincere pænitere. Quod sic optime declarat *S. Thomas* (2ª 2æ, q. 14, a. 3) : " Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur; qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus pœna minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelata, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat, et sic minorem pœnam merebatur. Sed qui in ipsam divinitatem blasphemabat, opera Spiritus S. diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus pœna diminueretur". Pergit S. Doctor exponendo peccatum in Spiritum S. etiam irremissibile dici secundum naturam suam, in quantum excludit fidem, ideoque ea per quæ fit remissio peccatorum; sicut morbus insanabilis dicitur secundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus curari potest. " Per hoc tamen, ait, non præcluditur via remittendi et sanandi omnipotentiæ et misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur".

Alii tamen, cum *S. Augustino* (serm. 71), tenent peccatum hujusmodi esse finalem impænitentiam, quæ nullo modo remittitur, quia peccatum mortale in quo homo perseverat usque ad mortem, neque in hac vita neque in futura remitti potest. Quæ tamen expositio aliena esse videtur a contextu.

33. (b) Allegantur verba *ep. ad Hebræos* : " *Impossibile est* enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus S., gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi et prolapsi sunt, *rursus renovari ad pœnitentiam* "[1]. — *Resp.* Hic agitur de *apostatis*, qui, post receptum Baptismum (*illuminati*), post receptam Eucharistiam et Confirmationem (*donum cæleste... participes Spiritus S.*), ad judaismum aut paganismum revertebantur, et, juxta quosdam Patres et Theologos, declaratur eos non posse renovari *per Baptismum*, cum hujusmodi sacramentum non sit iterabile. Quam interpretationem tradit *S. Athanasius*[2] : " Neque, ait, impossibile est pænitere, sed impossibile est obtentu pænitentiæ nos renovari. Est autem ingens inter hæc dicta discrimen. Is enim quem pænitet, peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur superne genitus Spiritus gratia". Idem docet *S. Chrysostomus*[3]. — Alii autem permulti, et quidem probabilius, verbum *impossibile* intelligunt de magna difficultate, de *morali*, non autem physica impossibilitate, ita ut sensus sit admodum difficile esse apostatas ad veram fidem redire. Simili fere modo intelligi possunt sequentia verba : " Voluntarie enim

[1] *Hebr.*, VI, 4 sq. — [2] *Ep.* 4 ad Serap., n. 13. — [3] *Hom.* IX, in h. loc., n. 3.

peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam *non relinquitur pro peccatis hostia*, terribilis autem quædam exspectatio judicii "[1]; siquidem hic etiam agitur de *apostatis*, qui, quatenus in apostasia manent, carent hostia pro peccatis, sicut qui voluntarie extra Ecclesiam manent, sunt extra viam salutis; nec tamen exinde præcluditur possibilitas ad fidem christianam redeundi, in qua offertur hostia pro peccatis [2].

(c) Opponuntur etiam verba *Joannis* [3] : " Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est *peccatum ad mortem*, non pro illo dico, ut roget quis". — *Resp.* Quodnam sit illud peccatum ad mortem, disputant theologi et commentatores : probabilius putamus hic agi de peccato infidelitatis, quo divinitas Christi negatur, cum in toto hoc capite S. Joannes de fide in Christum loquatur; Apostolus autem non declarat tale peccatum irremissibile esse, sed solum præceptum pro proximo orandi ad eos qui tali peccato se inquinarunt non extendi; quia, propter sui peccati enormitatem, hoc merentur ut a fidelibus relinquantur sicut ethnici et publicani; aliis verbis isti peccatores privantur publicis Ecclesiæ suffragiis, sicut hodie excommunicati. Si autem *peccatum* ad *mortem* intelligatur de finali impænitentia, valet explicatio jam supra proposita.

Difficilia igitur loca intelligendo secundum contextum et textus parallelos, satis clare elucidantur.

Art. II. Thesis Traditione probatur[4].

34. 1° Status quæstionis. Cum hodie Protestantes *liberales* contendant Ecclesiam reconciliasse peccatores *in*

---

[1] *Hebr.*, X, 26.

[2] Cfr. **F. Prat**, *La théologie de S. Paul*, t. I, p. 465-466; **P. Galtier**, *op. cit.*, th. XII, n. 200-204. — [3] *I Joan.* V, 16.

[4] **Petavius**, *De pænitentiæ vetere in Ecclesia ratione*, *P. G.*, XLII, 1027 sq.; **Morinus**, *Comment. historicus de disciplina in admin. Sacr. Pænitentiæ*, Antwerpiæ, 1682, lib. I, c. 3-7; c. 16-19; lib. III-VII; **Palmieri**, *Tr. de Pænitentia*, 2ª ed., Prati, 1896, thes. IX-XI; **F. Pignataro**, *De disciplina pænitentiali priorum Ecclesiæ sæcul.*, Romæ, 1904; **Funk**, *Zur altchristlichen Bussdisziplin*, Paderborn, 1897; **Vacandard**, *D. T. C.*, t. I, p. 145-168; **Batiffol**, *Etuaes d'hist. et de théologie positive*, 3e éd. Paris, 1904; **Swete**, *Penitential discipline in the first three centuries*, in *Journal of Theological studies*, april 1903, p. 321-337; **P. A. Kirsch**, *Zur Geschichte der Katholischen Beichte*, Wurzbourg, 1902; **Gartmeier**, *Die Beichtpflicht*, 1905; **G. Rauschen**, *Eucharistie und Bussakrament in den ersten Jahrhunderten der Kirche*, 1908, gallice,

1) O.T. & N.T. all sins are forgiven
2) only sin cannot be forgiven is impenitence
3) X said gave the power to its Church to forgive sins after Bap

foro externo tantum, quatenus nempe iterum in sinum suum recipiebat eos quos, ob peccata, excommunicaverat, nostri propositi est ostendere eos etiam *in foro interno* et *coram Deo* remissionem peccatorum consecutos esse.

35. 2° **Argumentum generale.** Antequam vero singulos textus declaremus, *generale argumentum* præbere expedit, probando *reconciliationem cum Ecclesia involvere etiam reconciliationem cum Deo*, attentis Scripturæ et Patrum testimoniis. Duplici probatur argumento : (**A**) Ex eo quod *uniri Ecclesiæ idem est ac ipsi Deo uniri.* (**a**) Id jam constat ex dictis in *Tr. de Ecclesia*, ubi probavimus Ecclesiam a Christo institutam esse ad sanctificandos homines (n. 624 sq.), et extra Ecclesiam non dari salutem (n. 820 sq.) : ex hoc enim logice sequitur Ecclesiæ vere et proprie uniri idem esse ac Deo ipsi conjungi, qui solus est sanctificationis auctor. (**b**) Quod quidem ex eo firmatur quod Ecclesia, juxta doctrinam S. Pauli, est *corpus Christi*, ita ut esse membrum Ecclesiæ idem sit ac esse membrum Christi. (**c**) Idem docent Patres antiquissimi, qui, cum *S. Ignatio*, asserunt eos qui *Deo* et *Christo* intime *uniuntur* esse *cum episcopo*, et eos qui pænitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, eo ipso *Dei esse* et *secundum Christum* vivere [1]. Lucidius rem declarant Patres tertii et quarti sæculi, ut infra dicemus.

(**B**) Ex *comparatione* instituta ab antiquis Patribus, Herma aliisque, *inter baptismum et pænitentiam* quoad *effectus* quos producunt : sicut enim baptismus *interne* et *coram Deo* abluit peccata, ita pariter et pænitentia, etsi diverso modo.

Quibus prænotatis, thesim probabimus quadruplici testimoniorum genere : 1° testimoniis *implicitis* secundi sæculi ; 2° testimoniis *explicitis* in controversia cum *Montanistis ;* et 3° in controversia cum *Novatianis ;* 4° *disciplina pænitentiali* per quatuor priora sæcula vigente.

L'Eucharistie et la Pénitence dans les six premiers siècles, trad. *M. Decker et E. Ricard*, 1910; **A. d'Alès** et **P. Galtier**, *D. A.*, verbo *Pénitence*, col. 1756-1865; **P. Galtier**, *op. cit.*, th. XIII; **A. d'Alès**, *Prima lineamenta tractatus dogmatici de sacramento Pænitentiæ*, 1926; **E. Amann**, *D. T. C.*, XII, 756-845; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, I, 247-278.

[1] **S. Ignatius**, *Philad.*, III.

36. Prænotanda. Ad explicandam *paucitatem* documentorum secundi et tertii sæculi duo animadvertimus : (**a**) *quædam documenta*, et quidem maximi momenti, *perierunt*, ut inferri potest ex eo quod *Callisti* decretum, de quo infra, nonnisi imperfecte novimus, nempe ex scriptis Tertulliani qui illud impugnat. Unde si argumentum historicum pro prioribus sæculis mancum apparet, id tribuendum est, ex parte, paucitati documentorum; ideoque ea quæ obscura sunt elucidari debent tum ex *praxi Ecclesiæ* tum e documentis *subsequioris ævi.*

(**b**) Aliunde, primæva Ecclesiæ ætate, toti erant Doctores in propugnandis fundamentalibus fidei dogmatibus, nempe unitate Dei, divinitate Christianæ religionis, divinitate Christi, obedientia episcopis præstanda, etc.

§ I. Secundi sæculi testimonia expenduntur.

37. Ad explicandam *paucitatem* documentorum simulque *severitatem* erga peccatores, prænotamus, sub influxu enthusiasmi et fervoris in primis christianis communitatibus vigentis, non paucos putasse peccata gravia vix a fidelibus committi posse, ideoque parum de pænitentia cogitasse. — Experientia tamen compertum est ipsos baptizatos non esse impeccabiles, imo et quosdam in gravissima peccata aliquando labi. Exinde quæstio orta est num et quomodo hæc peccata deleri possint. Quidam *rigoristæ* putabant peccata post baptismum commissa esse irremissibilia. Contra quos, Patres secundi sæculi docuerunt peccata, post baptismum commissa, per pænitentiam deleri posse : non diserte tamen, sed obiter et obscure, si res judicatur tantum ex *documentis quæ supersunt.*

38. 1° In *Doctrina duodecim Apostolorum* (*Didache*) legitur[1] : " Die autem dominica convenientes frangite panem et gratias agite, postquam *delicta vestra confessi estis*, ut sit *mundum* sacrificium vestrum "; confessio quædam peccatorum, seu exomologesis, ibi exhibetur ut medium quo peccata tolluntur. Quod pariter innuere videtur, juxta quosdam,

[1] *Didache*, an. 90-100? n. 14, p. 33 ed. *Funk*; **R.**, 8.

S. Ignatius martyr, dum scribit an. circiter 107 : "Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot *pænitentia* ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant" [1]. Quod confirmatur ex testimonio *S. Irenæi* [2] : hic enim narrat mulieres quasdam, a Marco mago et hæretico fuisse seductas et corruptas. Jamvero quædam inter eas, conversæ ad Ecclesiam Dei, peccata sua confessæ sunt, et publicam pænitentiam seu exomologesim fecerunt; aliæ autem publica exomologesi perterritæ, desperantes a vita Dei abcesserunt. Ex quo merito infertur pænitentiam tunc habitam fuisse ut *medium ad vitam divinam recuperandam.*

39. 2° Sed opus præcipuum, in quo doctrina pænitentialis hujus ætatis exponitur, est *Hermæ Pastor*, opus scriptum valde probabiliter annis 140-154 a fratre Pii, Romani Pontificis [3].

(**a**) Imprimis auctor, post descriptos pessimos multorum christianorum mores, inquirit *num*, post baptismum, *pænitentiæ locus detur.* Audivit enim *Hermas* a quibusdam doctoribus aliam pænitentiam non esse nisi eam quæ fit in baptismo. "Recte audisti, inquit Pastor [4]; sic enim res se habet. Debuit enim qui accepit remissionem peccatorum non amplius peccare, sed in castitate permanere" [5]. Attamen Deus, cum sit valde misericors, pergit Pastor, pænitentiam concedit pro *omnibus* peccatis hucusque commissis, etiam *apostasia* et *adulterio* [6].

Hic autem controvertitur utrum hæc remissio concedatur *semel*

---

[1] Ad Philadelph., n. 3; p. 267 ed. *Funk* (Patres Apostolici), 1901, **R.**, 56.

[2] *Contra hæreses*, lib. I, cap. 13, n. 5-7, *P. G.*, t. VII, 587-591; **R.**, 193.

[3] Cfr. **A. d'Alès**, *La discipline pénitentielle* d'après le *Pasteur* d'Hermas, in *R. S. R.*, 1911, pp. 105-139, 240-265; *L'Edit de Calliste*, p. 52-113.

[4] Hic Pastor, juxta quosdam, est angelus Dei; juxta alios, ipse Christus.

[5] *Pastor*, Mand. IV, 3, 2, p. 479 ed. *Funk;* cfr. **R.**, 85-90.

[6] Simil., VI, 2, 3-4, et VII, 1 2, 8-9; VIII, 6, 6; pp. 547, 561, 569. — *Modus pænitendi* postea describitur : "Oportet pænitentem cruciare animam suam et humiliare fortiter in omni actu suo et affligi in omnibus tribulationibus variis; cumque sustinuerit tribulationes sibi supervenientes, omnino miserebitur qui creavit omnia confirmavitque, et remedium aliquod ei dabit; et hoc certe, si viderit cor pænitentis mundum ab omni negotio". Itaque requiritur imprimis cor *contritum* et humiliatum, deinde patiens *acceptatio tribulationum*, tandem *mutatio vitæ* (Simil., VII, 4, p. 555 ed. *Funk.*)

tantum an *multoties?* Juxta non paucos, etiam catholicos, hæc remissio non conceditur, secundum Hermam, nisi ad modum privilegii *extraordinarii.* Una tantum datùr pænitentia : non enim licet pænitere et iterum peccare, ne ita fideles in peccatum inducantur. Quidam tamen eruditi [1] hodierni putant Hermam *obscure* quidem locutum esse, et *œconomice* ad deterrendos efficacius peccatores a *relapsu;* sed ex multis aliis locis *Pastoris* constare remissionem nunquam denegari vere pænitentibus.

40. (b) Hanc autem pænitentiam fieri *duce et auspice Ecclesia*, constat præsertim ex analogia *turris*, quæ, ut ait Hermas, est Ecclesia. Nam per baptismum ingredimur turrim, per peccatum ab ea expellimur, sed per pænitentiam iterum in structuram turris intramus : " Propterea enim intermissio ædificationis facta est, ut hi (peccatores), si pænitentiam egerint, intrent in structuram turris. Si autem non egerint pænitentiam, tunc alii intrabunt et illi in perpetuum abjicientur "[2]. Non agitur proinde de pænitentia mere privata, sed de ea quæ fit sub pastoribus ecclesiasticis, et concluditur per reconciliationem cum Ecclesia, ideoque cum ipso Deo.

(c) *Necessitatem* et *efficaciam* pænitentiæ in *foro interno* ad vitam spiritualem recuperandam, ita declarat [3] : " Quotquot autem non agent pænitentiam, vitam suam amiserunt; quotquot ex iis pænitentiam egerunt, boni evaserunt et habitationem acceperunt in primis muris; quidam etiam in turrim ascenderunt. Vides igitur, inquit, pænitentiam peccatorum vitam habere, impænitentiam vero mortem ".

41. *Hermas* igitur supponit *Ecclesiæ inesse potestatem pænitentiam imponendi* et *omnes peccatores coram Deo reconciliandi;* modum vero hujus reconciliationis non describit, quia ejus scopus erat mores christianos instaurare, non autem omnia describere quæ ad disciplinam pænitentialem spectant. Quod hic autem prætermisit, scriptores tertii sæculi tam expresse affirmant, ut exinde merito inferatur potestatem clavium non fuisse ignotam sæculo secundo.

---

[1] Ita **A. d'Alès**, *L'Edit de Calliste*, p. 104-105; **P. Galtier**, th. XIII, n. 229-233; *L'Eglise et la rémission des péchés aux premiers siècles*, Paris, 1932.

[2] Simil., IX, 14, 2, p. 605 ed. *Funk.*

[3] Simil., VII, 6, 6, p. 569.

§ II. Testimonia Patrum tertii sæculi contra Montanistas.

Pænitentia, quam Hermas *subobscure* prædicaverat mediante sæculo secundo, multo *clarius* proponitur, ineunte sæculo tertio, præsertim occasione hæresis *Montanistarum* — Insuper Ecclesiæ potestas remittendi peccata *diserte* affirmatur.

42. 1° *Montanistæ*, qui, circa exitum sæculi secundi, auctore Montano, rati finem mundi et extremum judicium instare, in Phrygia *rigorismum* prædicabant, præsertim vero contendebant *apostasiam*, *homicidium* et *adulterium* ab Ecclesia nunquam esse remittenda. Quibus nomen et auctoritatem sui ingenii dedit *Tertullianus*, an. circiter 202.

(**A**) Hic quidem dum adhuc erat catholicus, librum scripserat *de Pænitentia*, in quo duo distinguit pænitentiæ genera : prior ante baptismum a catechumenis agitur; posterior fidelibus competit qui, post baptismum, in peccata gravia lapsi sunt. Ægre de hac loquitur, ne baptizati, spe veniæ, ad liberius peccandum inducantur, et animadvertit hanc pænitentiam *semel* tantum concedi : " Collocavit in vestibulo pænitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed jam *semel* quia jam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra " [1].

43. (**B**) Sed, in *Tr. de Pudicitia*, quem jam Montanista scripsit (an. 217-222), Tertullianus contendit quædam peccata esse *irremissibilia*.

(**a**) Occasio hujus tractatus fuit *edictum Callisti*, in quo R. Pontifex declarabat se remissurum deinceps peccata fornicationis et adulterii : " Audio, ait Tertullianus, edictum esse propositum, et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : *Ego et mæchiæ et fornicationis delicta pænitentia functis dimitto* " [2].

---

[1] *De Pænit.*, c. 7, *P. L.*, t. I, p. 1241; **R.**, 312-317. — Cf. **A. d'Alès**, *La Théologie de Tertullien*, p. 339-355; 478-491; *L'Edit de Calliste*, p. 136-216; **Tixeront**, *op. cit.*, p. 362-369.

[2] Hoc decretum novimus ex ipso **Tertulliano**, *De pudic.*, c. 1, p. 220 ed. *Vind.*; *P. L.*, t. II, p. 981; **R.**, 383.

Siquidem tunc vigebat consuetudo, in aliquibus saltem ecclesiis, non absolvendi a tribus gravissimis peccatis, nempe idololatria aut apostasia, fornicatione aut adulterio, et homicidio; non quia Ecclesia carebat facultate ea remittendi, sed quo efficacius fideles ab istis removerentur. Horum criminum reis imponebatur quidem pænitentia publica, et spes eis relinquebatur quod veniam ab ipso Deo impetrarent; sed absolutio ab his peccatis dari non solebat : quæ proinde erant peccata veluti Deo *reservata.* — Callistus autem, timens ne adulteri in desperationem caderent, præfatum edictum promulgavit, de duobus aliis peccatis tacens. Ibi tanquam auctoritatem habens loquitur; nam, teste Tertulliano, edictum est *peremptorium;* suam vero auctoritatem desumit ex verbis Christi : *Tu es Petrus*, etc.

44. (**b**) Tertullianus montanista eum acerbe reprehendit. Admittit quidem episcopis inesse potestatem quædam peccata dimittendi, ea nempe quæ non sunt ad mortem [1]; sed asserit peccata quædam esse ad mortem seu irremissibilia, inter quæ fornicationem et mœchiam seu adulterium recenset. Aliunde, inquit [2], Callistus non remittit idololatriam nec homicidium; cur ergo adulterium dimittit? Fatetur tamen Tertullianus hæc tria peccata posse a Deo ignosci. Imo agnoscit Ecclesiæ hanc potestatem competere, præsertim *pneumaticis* seu prophetis, sed addit ejus exercitium non expedire, ne talis benignitas sit incitamentum ad peccandum : " Sed habet, inquis, *potestatem Ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono*, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem : potest Ecclesia donare delictum; sed non faciam, ne et alia delinquant " [3]. Ergo hæc potestas absolvendi ab omnibus peccatis, post baptismum commissis, tam inconcussa existimabatur ut ab ipsis Montanistis agnosceretur. Neque negabant verba : " Tu es Petrus... quodcumque ligaveris, etc. ", includere potestatem peccata remittendi, sed dicebant eamdem transmissam

[1] Peccata hujusmodi quæ dicuntur *leviora* seu *minora* aut *media* relate ad tria crimina reservata, non sunt ea quæ hodie *venialia* vocamus, sed mortalia quæ publica pænitentia expiabantur.

[2] *De pudic.*, c. 5, p. 227 ed. *Vind; P. L.*, t. II, p. 988.

[3] *De pudic.*, c. 21, p. 269 *Vind.*; *P. L.*, II, 1024.

fuisse non episcopis, sed *spiritualibus* [1], seu discipulis Montani qui Spiritu ducebantur; ita errabant potius circa sacram hierarchiam, et opportunitatem dimittendi peccata quam circa potestatem absolvendi in se spectatam.

Non obstante Tertulliani eloquentia, Callisti decretum in Ecclesiam universalem mox receptum fuit, et, mediante sæculo tertio, prævaluit usus absolutionem adulteris impertiendi.

45. 2° Quod quidem aliis testimoniis confirmatur :

(**A**) *Origenes* distincte agnoscit episcopis et sacerdotibus inesse *potestatem dimittendi peccata*, et quidem *coram Deo* : " Sed is in quem Jesus insufflavit, quemadmodum in apostolos... is dimittit quæ dimitteret Deus, et insanabilia peccata retinet ". Etiam *graviora* peccata *semel* remitti possunt, *leviora* autem *semper* : " In gravioribus criminibus semel tantum pænitentiæ conceditur locus; ista vero communia quæ frequenter incurrimus, semper pænitentiam accipiunt et sine intermissione redimuntur " [2]. Si igitur alibi dicere videtur *tria esse peccata irremissibilia*, id verisimiliter intelligitur eo sensu quod *sine debita pænitentia* condonari nequeunt [3].

46. (**B**) Aliunde ex *libris liturgicis* et *canonicis* hujus temporis patet potestatem dimittendi peccata episcopis in ipsa ordinatione fuisse concessam. (**a**) Ita, inter *Canones Hippolyti*, tertio ineunte sæculo, legitur (can. 3) : " Tribue etiam illi, Domine, episcopatum et spiritum clementem ad redimenda peccata; et tribue illi facultatem ad dissolvenda omnia vincula iniquitatis dæmonum ". — Pariter, in *Constitutionibus ecclesiæ Ægyptiacæ*, tertio exeunte sæculo, similia reperire est : " Offerat sacrificium sanctæ Ecclesiæ tuæ, et in sancto animo... peccata dimittat juxta præceptum tuum, ordinationes faciat juxta dispositiones tuas, et in virtute

[1] *De pudic.*, c. 21, p. 270-271; *P. L.*, II, 1026.

[2] *In Levit.*, XV, 2, *P. G.*, XII, 561; **R.**, 97; *C. Celsum*, III, 51.

[3] *De oratione*, 28, *P. G.*, XI, 527-530; ibi enim eos irridet " qui nescio quomodo sibi arrogant ea quæ sacerdotalem superant dignitatem... glorianturque quasi possint etiam idololatriam condonare, adulteriaque et fornicationes remittere ". Cfr. **B. Poschmann**, *Die Sündenvergebung bei Origenes*, p. 10 sq.; **A. d'Alès**, *L'Edit de Calliste*, p. 252-296.

potestatis Apostolis tuis conlatæ, omnia pœnarum vincula solvat "[1].

(b) Quod etiam infertur ex opere *Didascalia Apostolorum*, quod ante finem tertii sæculi in ecclesia syriaca recipiebatur. Ibi enim (cap. 5-10) traditur episcopo officium incumbere graviter quidem increpandi peccatores, eisque pænitentiam imponendi, sed postea eos reconciliandi per manus impositionem, quia potestatem habet ligandi atque solvendi. Neque ullum excipitur peccatum; sed e contra afferuntur Scripturæ textus, ex quibus constat Deum condonasse peccata Manasse, qui idololatriam et homicidium commiserat, necnon mulieris adulteræ[2].

47. Conclusio. Tertio sæculo quamdam potestatem remittendi peccata Ecclesiæ inesse agnoscunt ipsi Montanistæ, atque aperte docent libri liturgici et canonici : et exinde merito infertur eamdem doctrinam *sæculo secundo fuisse receptam :* si enim Tertullianus novisset hanc doctrinam fuisse recenter in Ecclesiam invectam, id sane dixisset dum tam acerbe impugnabat Callistum; aliunde preces ordinationis et canones superius allati de potestate clavium non fuissent universim recepti, nisi fidei Ecclesiæ consentanei fuissent.

Et ita confirmatur interpretatio quam dedimus testimoniorum secundi sæculi.

§ III. Patrum doctrina contra Novatianos.

48. Nova autem quæstio orta est de absolutione *lapsorum*, seu eorum qui in *apostasiam lapsi* erant tempore Decianæ persecutionis (an. 250).

Christiani multi idolis sacrificaverant, et *sacrificati* vocabantur; alii ab officialibus libellum acceperant in quo declarabatur ipsos sacrificasse, etsi revera ab idolorum cultu abstinuissent; quare *libellatici* dicebantur. Sedata tempestate, multi ex lapsis reconciliationem et absolutionem quærebant, a confessoribus et martyri-

[1] Ambo hæc documenta invenies inter *Monumenta Ecclesiæ liturgica* (quæ ediderunt *F. Cabrol* et *H. Leclercq*), Parisiis, t. I, p. XXXI.

[2] Textum syriacum hujus operis edidit **Lagarde**, Lipsiæ, 1854; gallicam versionem publici juris fecit **Nau** in *Canoniste contemporain*, t. XXIV, 1901, pp. 78, 137, 205, 273, 336, 401, 543, 643; t. XXV, 1902, pp. 14, 73, 138. 193. — Eamdem doctrinam invenies in *Constitutionibus apostolicis;* cfr. **Funk**, *Die Apostolischen Konstitutionem, eine litterar-historische Untersuchung*, Rottenburg, 1891.

bus petentes *libellos pacis* quos sacerdotibus exhibebant ut statim in pacem Ecclesiæ reciperentur. Exinde orta est quæstio num *lapsis* absolutio concedenda esset, sicut Callistus eam mœchis concesserat.

49. 1° **Ecclesiæ doctrina.** (**A**) *S. Cyprianus*, tum in *epistolis* tum in *libro de Lapsis*, ita respondet. (**a**) Iis lapsis qui vera pænitentia et Christi confessione suum peccatum expiaverunt, pax neganda non est : " Cum ergo abluerint omne delictum, et maculam pristinam assistente sibi Domino potiore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo non debent qui extorres facti et bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se et cum Christo stare cœperunt "[1]. Pariter si periculosa infirmitate laborent, statim reconciliari possunt, " ut exomologesi facta et manu eis a vobis in pænitentiam imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur "[2].

(**b**) Sed, extra hos casus, lapsi longam agere debent pænitentiam antequam absolvantur, nec approbandi sunt sacerdotes qui, exhibitis litteris pacis a martyribus datis, statim lapsos ad communionem acceperunt : " Nam, cum in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc, crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomine eorum, et nondum pænitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur "[3].

50. (**B**) *Romanæ Ecclesiæ responsum.* Cum autem nonnulli de hoc conquererentur, S. Cyprianus ad presbyteros et diaconos Romæ, sede pontificia vacante, scripsit, totam rem exponens; hi autem ejus agendi rationem approbarunt atque *antiqua praxi Romanæ Ecclesiæ* confirmarunt; caute et prudenter erga lapsos agebant, " ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pænitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem "[4].

---

[1] *Ep.* XXV, p. 538 ed. *Vind. P. L.*, t. IV, p. 274.

[2] *Ep.* XIX, 2, p. 525 ed. *Vind.; P. L.*, t. IV, p. 260; cfr. *ep.* XVIII, p. 524 ed. *Vind.*, et *P. L.*, 259; **R.**, 570.

[3] *Ep.* XVI, 2, p. 518 ed. *Vind.; P. L.*, t. IV, p. 251-252; **R.**, 569.

[4] *Ep.* XXX (alias XXXI), p. 556 ed. *Vind.; P. L.*, t. IV, p. 315. — Hanc epistolam scripsit *Novatianus*, postea rigorismi et schismatis fautor; et jam aliqua severitatis nota in ejus epistola apparet.

(C) *Decretum Carthaginense.* Postea hæc agendi ratio approbata fuit a Concilio *Carthaginensi* (an. 251), cui multi episcopi interfuerunt. Discrimen institutum est inter *libellaticos* et *sacrificatos* : priores post aliquam pænitentiam reconciliabantur, posteriores tantum in exitu vitæ : " Et ideo placuit..., examinatis causis singulorum, *libellaticos* interim admitti, *sacrificatis* in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est "[1]. Ita apostasia non erat peccatum reservatum. Ii vero qui per vitam pænitentiam agere noluerunt, et solum tempore periculosæ infirmitatis exomologesim deprecantur, non recipient communionem et pacem, quia " nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum "[2].

51. 2° **Novatianorum error.** (A) *Exponitur.* Quæ tamen decreta non placuerunt Novato et Felicissimo, qui Romam profugerunt, et Novatiano adhæserunt : hic presbyter, dolens quod non fuerat electus S. Pontifex, ab Ecclesia, secessit. (a) Novatianus ipse docuit Ecclesiam non posse remittere *peccatum apostasiæ :* qui error damnatus fuit in Concilio Romæ habito an. 251, sed per multos annos supervixit. (b) Ejus discipuli, Novatiani, postea docuerunt *omnia peccata ad mortem* non posse ab Ecclesia dimitti.

52. (B) *Novatianismus a Patribus impugnatur.* Contra quos scripserunt, inter alios, *S. Ambrosius* et *S. Pacianus.*

S. Ambrosius, in lib. de Pænitentia[3], contra Novatianos (an. circiter 384), probat Christum Ecclesiæ contulisse potestatem omnia peccata dimittendi, et quidem coram Deo : ex verbis Joannis[4] : " Quorum remiseritis peccata...", et ex verbis Matthæi[5] : " Tibi dabo claves regni cælorum...". Peccata autem remitti *coram Deo* demonstrat ex analogia cum baptismo : " In baptismo utique remissio peccatorum omnium est : quid interest utrum per pænitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum[6] sacerdotes vindicent. Unum in utroque mysterium est ". Posteaque addit in pænitentia sicut in baptismo conferri gratiam. — Tandem ostendit nulla peccata esse irremissibilia, explicando textus Scripturæ ab adversariis allatos[7], de quibus jam supra egimus, n. 32-33.

---

[1] *Ep.* LV, 17, p. 636 ed. *Vind.* — [2] Ibid. 23, p. 641-642 ed. *Vind.*
[3] *P. L.*, t. XVI, p. 465-524; R., 1292-1300.
[4] *P. L.*, XVI, 467. — [5] *P. L.*, XVI, 476.
[6] *De pænit.*, l. I, c. 8, *P. L.*, XVI, 477.
[7] *P. L.*, XVI, 480-482, 496, 499.

53. *S. Pacianus*, Barcinonensis episcopus, in epistolis tribus ad Sempronianum novatianum scriptis (an. circiter 380), doctrinam catholicam diserte propugnat contra Novatianos. (**a**) Probat non solum apostolis, sed eorum successoribus concessam fuisse a Deo potestatem peccata dimittendi : " Nunquam Deus non pænitenti comminaretur, nisi ignosceret pænitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est : sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit : *Quæ ligaveritis in terris*, etc...? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet " [1]. (**b**) Quia vero Novatiani dicebant inutilem fore baptismum, si pænitentibus remissio peccatorum datur, S. Pacianus ostendit discrimen esse inter utrumque sacramentum : " Baptismus enim sacramentum est dominicæ passionis; pænitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ Dei donum est, id est gratuita donatio; labor vero iste paucorum est qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt " [2].

(**c**) Cum hæretici contenderent remissionem peccati esse incitamentum ad peccandum, respondet *Pacianus :* " Quid ais? Ergo qui sæpius remedium criminis monstrat, crimen ostendit? Et medicus ille cum curat assidue vulnerari docet? Deus nec peccare vult hominem semel, et tamen liberat a peccato. Nec utique cum liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat " [3]. (**d**) Tandem ostendit *omnia* peccata posse remitti : " *Quæcumque solveritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quæcumque*, inquit : vel magna, vel modica " [4]. — Quia vero opponebatur condemnatio incestuosi, respondet hunc non fuisse Satanæ traditum ad mortem æternam, sed ad pænitendum : " Deinde vides quod hic ipse peccator incestus non morti traditur, sed Satanæ, ad emendandum, ad colaphizandum, ad pænitendum. Denique ait, *Ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritus; sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum " [5].

---

[1] *Ep. I ad Sympron.*, n. 6, *P. L.*, t. XIII, 1057; R., 1244-1245.
[2] *Ep. III ad Sympron.*, n. 8, *P. L.*, XII, 1068.
[3] *Op. cit.*, n. 9, p. 1069.
[4] *Op. cit.*, n. 12, p. 1071. — [5] *Op. cit.*, n. 18, p. 1075.

54. Multi alii Patres quarti sæculi hanc absolvendi potestatem tanquam *veritatem inconcussam* tradunt [1]. — Nec ulterius progredi necesse est, cum, fatentibus adversariis, potestas clavium jam a sæculo quinto ab Ecclesia exercita fuerit.

Ex controversia cum Novatianis inferre licet hic haberi *novam ampliationem decreti Callisti :* non solum fornicatio, sed etiam *apostasia* immo et *homicidium*, potestate clavium remittuntur ita ut nullum amplius peccatum Deo reservetur. Occasione enim arrepta hæresis novatianæ, Patres quarti et quinti sæculi diserte asserunt nulla peccata esse irremissibilia.

55. Conclusio generalis. Ex factis et testimoniis supra allegatis historice constat Protestantes omnino errare dum affirmant Ecclesiam per priora sæcula peccatores non reconciliasse nisi *in foro ecclesiastico.* (**a**) *Explicite* enim Patres quarti, immo et tertii sæculi, affirmant Ecclesiæ protestatem inesse vere dimittendi quædam saltem peccata, etiam gravia, coram Deo seu cum infusione gratiæ.

(**b**) *Implicite* idem constat e modo quo *progressive nata est hæresis contraria :* primum Tertullianus cum Montanistis, non negat ipsam potestatem, sed solum opportunitatem eam exercendi; postea Novatiani etiam quarto sæculo, hanc potestatem non omnino negant, sed coarctant ad peccata quæ non sunt ad mortem; Protestantes sæc. XVI primi sunt qui clavium potestatem penitus rejecerint.

Nova igitur non est doctrina catholica, quæ altas in antiquitate radices projicit; sed nova et falsa est Protestantium affirmatio antiquis Patribus penitus ignota.

56. *Solvitur difficultas.* Objiciunt tamen *Liberales* quarto sæculo vestigia inveniri sententiæ vi cujus peccata non vere remittuntur, sed solum remissa *declarantur. Hieronymus* enim, verba *Tu es Petrus*... exponens, comparationem instituit inter sacerdotes Veteris et Novæ Legis, et asserit similem esse priorum ac posteriorum

---

[1] Ita, inter alios, **S. Joannes Chrysostomus**, *De Sacerdotio*, t. III, c. 5, *P. G.*, LXVII, 643; **S. Gregor. Naz.**, *Orat.* 39 in SS. Lumina, n. 18-19, *P. G.*, XXXVI, 356-357; **S. Aphraates**, *Patrol. syriaca*, ed. *Graffin*, 1894, t. I, pp. 313-360; **S. Ephrem**, *Opera*, Romæ, 1740, t. II, p. 440; **S. Hilarius**, *Comment. in Matt.*, *P. L.*, t. IX, 1921, etc.

missionem; sicut sacerdos antiquus lepram non curabat, sed solum authentice de morbo et ejus sanatione judicabat, ita "alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos qui insontes sunt vel noxii, sed, pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus"[1].

Resp. (a) Etiamsi S. Hieronymus docuisset potestatem sacerdotum esse mere declarativam, hujus testimonium, utpote *unicum*, innumera Patrum anterioris aut sequioris ævi infringere non posset. (b) Valde probabiliter autem ejus verba sensu catholico intelligi possunt, eo sensu nempe quod sacerdotes non possunt modo *arbitrario* peccata dimittere, sed post accuratam investigationem, ut sciant quinam legitime ligandi sint aut solvendi, ut supra dictum est de natura hujus potestatis (n. 17); nam postea fatetur quodcumque ligant super terram esse ligatum in cælis[2].

§ IV. De antiqua pænitentiali disciplina[3].

Potestas clavium, ex dictis, eadem semper fuit in Ecclesia, sed modus eam exercendi diversus fuit secundum diversa tempora, prout postulabat fidelium vel Ecclesiæ utilitas : quod breviter exponere opportunum erit.

57. 1° Generalis indoles antiquæ pænitentialis disciplinæ describitur. Ecclesia fidelibus peccatoribus novum genus vitæ imponebat, vitæ religiosæ eremiticæ valde similem. (A) Primum pænitentia ab Episcopo injungebatur[4] : (a) peccatores specialem induebant habitum, ut in sacco et cinere austeram et laboriosam vitam ducerent : ita veluti authentice inter pænitentes recipiebantur; (b) multis privabantur privilegiis in ordine religioso

[1] *In Matth.*, XVI, 19, *P. L.*, XXVI, 118. — [2] *In Matth.*, XIX, 18.

[3] **Tertul.**, *De pænitentia, De pudicitia; Philosophoumena*, IX, 12; **E. Preuschen***, *Tertullians Schriften De pænitentia und de pudicitia*, mit Rücksicht auf Bussdisziplin untersucht, Gienen, 1890; **E. Rolffs***, *Das Indulgenz-Edict des römischen Bischofs Kallist kritisch untersucht und recönstruiert*, Leipzig, 1893; **A. d'Alès**, *La Théologie de Tertullien*, p. 339-355; **G. Rauschen**, *op. cit.*, l. II, § II; **P. Galtier**, *op. cit.*, th. XIV, XV, XVI, XVII; **E. Amann**, *D. T. C.*, XII, 845-948.

[4] Quam laboriosa fuerit hujusmodi pænitentia, ita describit **Tertullianus**, *De pænit.*, c. IX, *P. L.*, I, 1243-1244; **R.**, 315 ; "Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa : plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis injungere".

et civili : stantes ad portas ecclesiæ, vel intra ecclesiam speciali loco admissi, eucharistico sacrificio assistere non poterant; neque nuptias inire aut matrimonio jam inito uti; nec etiam honores ambire, militiam aut negotium exercere [1]; (c) variis autem mortificationibus corpus suum afficiebant, balneis et lautis epulis renuntiabant; brevi somno contenti, diuturnæ orationi vacabant, eleemosynis suæ conditioni proportionatis peccata redimentes : ita vitæ religiosæ, quæ postea instituta est, præludebant.

58. (B) Huic publicæ pænitentiæ tota Ecclesia cooperabatur non solum piis exhortationibus, sed etiam veniam a Deo petendo pro pænitentibus : hæc fuit veluti prima origo indulgentiarum.

59. (C) Quando pænitentia sufficiens judicabatur, absolutio ab Episcopo concedebatur, quæ consistebat in impositione manuum cum oratione quæ veniam peccatorum significabat. Hæc autem cuique pænitenti *semel* tantum dabatur, ne frequentiori concessione fideles ad multiplicanda peccata induci viderentur. Si vero iterum peccabant, divinæ misericordiæ committebantur. Generatim semel in anno solemniter coram fidelibus coadunatis absolutio concedebatur, et quidem in Cœna Domini, juxta usum romanum. Si vero urgebat periculum mortis, statim absolvebantur ægroti, ne absque communione e sæculo exirent [2].

60. 2° **Discrimina inter antiquam hodiernamque disciplinam recensentur.** (A) Præcipuum discrimen in eo situm est quod antiquitus *semel* tantum christiano peccatori *publica* pænitentia et absolutio dabatur, dum hodie toties conceditur absolutio quoties peccator attritus eam postulat.

(B) Ecclesia olim absolutionem impertiebatur iis tantum qui *longa* et *laboriosa* pænitentia suam conversionem *indubie* probaverant, simulque pro peccatis satisfactionem persolverant, ut ita certior esset de pænitentis dispositionibus et de efficacia absolutionis; dum hodie eam impertitur iis qui signa præbent *probabilia*

---

[1] Ita **Papa Siricius**, ad Himerium scribens, ep. I, *P. L.*, XIII, 1137, eos carpit " qui acta pænitentia tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes et militiæ cingulum et ludicras voluptates et nova conjugia et inhibitos denuo appetivere concubitus ".

[2] Quod constat ex ep. **S. Innocentii I Papæ** ad Decentium, episcopum Eugubinum (*P. L.*, XX, 559) : " De pænitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pænitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pænitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis ægritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat ".

conversionis et *serio promittunt* se pænitentiam impleturos, ut ita confidentius et frequentius peccatores ad sacrum tribunal recurrant.

Conclusio. Antiquitus sicut nunc tres actus pænitentis requirebantur, sed primæva Ecclesia præcipue *satisfactioni* insistebat, dum hodie magis *dolorosæ confessioni.*

Hæc autem disciplinæ immutatio ipsam potestatem clavium non attingit.

61. 3° Quæstiones disputatæ. Hodie tamen, inter catholicos auctores, duæ præcipuæ quæstiones agitantur : (a) num, per aliquod tempus, in universa Ecclesia, *absolutio tribus maximis peccatis denegata fuerit;* (b) num, quinque prioribus sæculis, præter pænitentiam publicam, viguerit etiam *pænitentia privata.*

62. (A) Ad primum quod spectat, (a) auctores maximi ponderis, ut *Morinus*, *d'Aubespine*, *Juenin*, *Petavius*, *Sirmond*, *Funk*, *Vacandard*, *Batiffol*, putant (non tamen omnium in omnibus concordante sententia), Ecclesiam, per tria priora sæcula absolutionem denegasse reis apostasiæ, fornicationis et homicidii[1], etiam in articulo mortis, eos remittens judicio Dei simulque preces fundens ut Deus eis ignosceret. — Quod probant : ex *Tertulliano;* hic enim asserit Callistum primum fuisse qui mœchis veniam daret, et ita non sibi consistere, quia idololatris et homicidis absolutionem denegare pergit[2]; ex *Cypriano*, qui testatur quosdam ex episcopis africanis adulteros absolvere noluisse[3]; ex concilio *Illiberitano* (an. 306), can. 1, ubi dicitur : "Placuit inter eos qui post fidem baptismi salutaris adulta ætate ad templum idoli idolaturus acceserit, et fecerit, quod est crimen capitale, quia est summi sceleris, placuit nec in finem eum communionem accipere"[4]; ex concilio *Arelatensi* (an. 314), can. 22, ubi similia habentur; ex *Origene*, qui reprehendit sacerdotes absolventes, ex ignorantia canonicæ disciplinæ, tria præfata delicta[5]. Ergo, inquiunt, in Ecclesia tum Latina tum Græca, praxis viguit usque ad quartum sæculum veniam denegandi horum criminum reis.

---

[1] **Morinus**, *op. cit.*, lib. X, c. 1-3; **d'Aubespine**, *De vet. Ecclesiæ ritibus*, c. 2; **Juenin**, *De pænit.*, q. VII, c. 1, a. 2, § 1; **Petavius**, in notis ad Epiphanii hæres. 59, ad calcem ejus operum; attamen, morti proximus priorem suam sententiam mutavit; **Sirmond**, *Hist. pænit. publicæ*, c. 1; **Funk**, *Theol. Quartalschrift*, 1906, p. 432 sq.; **Vacandard**, in *Rev. du clergé franç.*, t. XX, 1899, p. 575 sq.; **Batiffol**, *op. cit.*, p. 215.

[2] **Tertul.**, *De pudicitia*, c. 5-6; *P. L.*, t. II, p. 987-991.

[3] **S. Cyprian.**, *ep.* 52 ad Antonianum, n. 21.

[4] Ap. **Bruns**, *op. cit.*, t. II, p. 2.

[5] **Orig.**, *De oratione*, c. 28, *P. G.*, t. XI, p. 528-529.

63. (b) Aliunde multi theologi inter quos *Palmieri*, *Hurter*, *Pesch*, *Stufler*, *A. d'Alès*, *P. Galtier*, docent *nunquam* in Ecclesia prævaluisse praxim *universalem* graviorum criminum, in fine vitæ, absolutionem denegandi [1]. Quod probant duplici argumento : *indirecte*, auctoritate *Tridentini* definientis confessionem sacramentalem necessariam esse jure divino; ex quo infertur Ecclesiam non potuisse pænitentibus denegare, præsertim in articulo mortis, tam necessarium sacramentum; *directe*, exhibendo testimonia Patrum, præsertim Hermæ, S. Cypriani, S. Paciani, etc., quæ supra retulimus.

Ad auctoritates allegatas respondent : *Tertullianus* calumniatur Callisti doctrinam, forte ad imminuendam ejus auctoritatem apud Afros; *Cyprianus* affirmat *quosdam* episcopos, non autem omnes, absolutionem mœchis denegasse; concilia superius allegata loquuntur de communione, non autem de absolutione deneganda.

64. (c) *Judicium de hac controversia.* Hic non agitur de re dogmatica, sed *historica* et *disciplinari* quæ ex *factis* dirimenda est. Hæc autem sunt satis obscura. Certum videtur, mediante sæculo secundo, absolutionem denegatam non fuisse ob præfata peccata, ut constat ex auctoritate Hermæ. Pariter omnes concedunt jam a sæculo quarto horum peccatorum reservationem, si hæc aliquando exstitit, aboletam fuisse, in plerisque saltem ecclesiis. Sed res dubia manet quoad finem sæculi secundi et initium tertii. *Irenæus* et *Clemens Alexandrinus* supponunt quidem suo tempore adulterium et homicidium condonari posse [2]. Sed in quibusdam ecclesiis, præsertim in Africa, nonnulli episcopi ab his peccatis non absolvebant, teste *S. Cypriano :* "Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt" [3]. Eamdem praxim in quibusdam ecclesiis, etiam Romæ, receptam fuisse constat ex testimonio S. Hippolyti (*Philosophumena*, IX, 12). Sed exinde minime probatur hanc praxim fuisse *universalem;* non enim in Oriente viguit, et in Occidente non in omnibus ecclesiis nec ab omnibus recepta est. Testimonia Tertulliani jam montanistæ et Hippolyti, qui tunc rigorismo favebat, non omnino fide digna videntur, et *S. Cyprianus*

[1] **Palmieri**, th. 9, p. 92; **Pignataro**, *op. cit.*, p. 106 sq.; **Pellé**, *Le Tribunal de la Pénitence*, thèse, Paris, 1903, p. 86-136; **G. Esser**, *Die Bussschriften Tertullians*, 1905; **Stuffler** *in Zeitschrift f. Kath. Theol.*, 1908, p. 1-48; **A. d'Alès**, *L'Edit de Calliste*, p. 228 sq.; **P. Galtier**, th. XIII et XVI.

[2] **S. Iren.**, *l. cit.;* **Clemens Alex.**, *Liber quis dives salvetur*, c. 47, *P. G.*, IX, 647-651, ubi narrat S. Joannem in Ecclesiam recepisse quemdam latronum ducem, antea a se baptizatum, ideoque supponit homicidium non esse irremissibile. — [3] **S. Cyprianus**, *Epist.*, LV, 21.

merito tradit *quosdam tantum* episcopos isti praxi adhæsisse; concilium vero *Illiberitanum* rigorismum promovisse omnes fatentur.

Quapropter prior opinio immerito asserit praxim absolutionem denegandi tribus gravioribus delictis fuisse *universalem* [1].

65. (B) Quoad pænitentiam *privatam*, duplex pariter viget opinio.

(a) *Theologi*, de quibus supra [2], tenent prioribus sæculis duplex fuisse pænitentiæ genus : pænitentiam *publicam* pro publicis gravioribus delictis, *privatam* vero pro occultis. Quod probant : 1) *a priori;* nam, si obligatio viguisset publice confitendi peccata *occulta*, aut publice pro eis pænitendi, sigillum sacramentale fuisset violatum; insuper pænitentia publica *semel* tantum concedebatur, ideoque, sublata pænitentia privata, nulla esset spes veniæ pro recidivis. 2) Ex quibusdam *factis :* Cerdon, hæreticus, a *S. Irenæo* [3] describitur tanquam "in Ecclesiam veniens et exomologesim faciens... modo quidem latenter docens (hæresim), modo vero exomologesim faciens"; atqui pænitentia publica *semel* dabatur; ergo hic agitur de privata exomologesi. Idem fere narratur de Marcione, qui, semel et iterum ex Ecclesia ejectus, tandem pænitentiam subiit, pacem postea recepturus [4]. — Præterea *C. Nicænum*, can. 13, statuit ut omnibus moribundis (ideoque relapsis) non denegetur sacra communio; ergo eis prius ministrabatur pænitentia, eaque privata.

66. (b) Ex adverso autem *Critici*, de quibus supra, negant per quatuor sæcula fuisse pænitentiam *privatam* a publica distinctam [5]. Agnoscunt quidem *confessionem* peccatorum quandoque fuisse occultam et auricularem; sed *satisfactio* seu pænitentia semper publica erat; idem dicendum de *absolutione*, si excipias casum morientium : tunc enim peccatorum condonatio privatim fiebat. Etenim : 1) quoties Patres quatuor priorum sæculorum de pænitentia agunt, nempe Hermas, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Pacianus, Clemens Alex., Origenes, S. Gregorius Thaumaturgus, Dionysius Alexandrinus, etc., semper eam describunt ut *publicam*. 2) Pænitentia *privata* non exhibetur nisi quarto exeunte sæculo in *Oriente*, quando *Nectarius* (381-398) pænitentiarios abolevit, occa-

---

[1] **A. d'Alès**, *L'Edit de Calliste;* **Tixeront**. *Théol. anténicéenne*, ed. 8ª, pp. 361-377, 500-504.

[2] Quorum argumenta recenter exposuit **S. Harent**, in *Etudes des PP. Jésuites*, t. 80, 1899, p. 577, et t. 82, 1900, p. 577.

[3] **S Iren.**, *C. Hæres.*, l. III, c. 4, *P. G.*, VII, 857.

[4] **Tertullianus**, *De præscript.*, c. 30, *P. L.*, II, 42.

[5] Quorum argumenta lucide exponebat **Vacandard**, in *Rev. du Clergé français*, t. XXIX, 1900, p. 258-264.

sione cujusdam scandali[1]; in *Occidente* autem, sæculo sequenti. 3) Paucissima facta in contrarium allegata nil probant: Cerdon et Marcio, hæretici, non aliam exomologesim susceperunt nisi *publicam*, quæ sola tanto crimini competebat, sed, propter inconstantiam suam, pluries eam abruperunt; ex canone *Nicæno* nihil aliud infertur nisi condonationem peccatorum *moribundis* concedi privatim, per modum *privilegii*, sed exinde minime probatur modo generali pro aliis christianis viguisse pænitentiam privatam; imo si moribundi supervixerint, juxta Concil. *Arausicanum I*, can. 3, in ordine pænitentium stare debent, ideoque pænitentiam agere publicam.

67. (c) *Judicium de hac controversia.* In re tam difficili et obscura, hæc animadvertere liceat: — 1) Non satis constat, ex documentis et factis hucusque notis, per tria priora sæcula, *duas* fuisse *pænitentiæ vias*, seu pænitentiam *privatam* in usu fuisse tanquam omnino a publica *distinctam*. Sed, ut recte scribit *P. Galtier*[2], sacerdotes, pro sua in peccatores potestate, pænitentiæ modum ac durationem attemperare poterant, et peccata sive graviora sive minus gravia dimittere sine aggregatione peccatorum *ordini pænitentium*. 2) Pænitentiæ publicæ subjiciebantur non solum tria maxima peccata, nempe apostasia, fornicatio et homicidium, sed etiam alia *minora*, quæ ut mortalia existimabantur; quod testatur *S. Cyprianus*: "Cum in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam, justo tempore et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communionis accipiant"[3]. 3) Pænitentia publica vere erat *sacramentalis*, quippe quæ tota tenderet in remissionem peccatorum non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam per ministerium et absolutionem sacerdotis, intercedentibus cum eo fidelibus, ut constat ex superius dictis de exomologesi, et ex dicendis de absolutione. 4) *Moribundis* concedebatur *absolutio sacramentalis*, etiam antequam canonicam pænitentiam absolverint, ut reconciliati cum Deo e vita excederent; insuper aliquando, ob confessorum et martyrum intercessionem, tempus pænitentiæ abbreviabatur.

[1] Quod narrant Socrates, *H. E.*, l. V, c. 19, *P. G.*, LXVII, p. 613 sq., et Sozomenes, *H. E.*, l. VII, c. 16, *P. G.*, LXVII, 1457 sq.

[2] P. Galtier, *De pænitent.*, thes. XV; A. d'Alès, *L'Edit de Calliste*, p. 422-455.

[3] S. Cyprian., ep. 9, n. 2, *P. L.*, t. IV, p. 251.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO IPSO.

68. Demonstrata *existentia potestatis clavium*, jam probandum est hanc potestatem in Ecclesia exerceri per *administrationem sacramenti* quod merito *sacramentum Pœnitentiæ* vocatur.

Pænitentia, prout *sacramentum*, a theologis definiri solet: *Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum, quo, per juridicam sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso et satisfactionem promittenti, remittuntur peccata post baptismum commissa.*

Dicitur: (a) *quo per juridicam sacerdotis absolutionem*, ut sic declarentur *forma* hujus sacramenti, videlicet sacerdotis absolutio; *minister*, seu sacerdos; et *modus* quo ministratur, nempe judicialis forma; (b) *homini contrito*, etc., quibus verbis designantur tum *subjectum*, tum subjecti *dispositiones*, contritio, confessio et votum satisfaciendi, quæ, juxta multos, sunt etiam *materia proxima* sacramenti; (c) *remittuntur peccata* etc., et ita exprimuntur non solum *effectus* præcipuus, sed etiam *materia remota* sacramenti, videlicet omnia peccata, sive mortalia, sive venialia, post baptismum commissa. Quam definitionem ex dicendis legitimam esse constabit.

Hujus autem sacramenti declarabimus: 1° *existentiam*; 2° *elementa constitutiva*; 3° *ministrum*; 4° *necessitatem*; 5° *effectus*.

Art. I. De existentia sacramenti Pænitentiæ [1].

69. Doctrina Tridentina. Contra Protestantes, qui communiter negabant Pænitentiam esse sacramentum a baptismo distinctum, Tridentinum duo declaravit: (a) Pænitentiam esse *sacramentum a Christo institutum*; (b) et quidem *a baptismo vere distinctum*: —

"Dominus autem sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens:

[1] **S. Thom.**, 3, q. 84, a. 1; **Suarez**, disp. XVII, sect. I; **S. Bellarminus**, l. I, c. 9; **Drouin**, q. 11, § 3; **Billuart**, diss. I, art. 1; **Billot**, th. 2; **L. de San**, n. 289-300; **P. Galtier**, n. 115 sq.

"Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt". Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit; et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem falso detorquent.

Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. "Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare?" Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pænitentes confugerint, possent liberari.

Alius est præterea Baptismi, et alius Pænitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum Pænitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Pænitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum Pænitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem *necessarium*, ut nondum regeneratis ipse Baptismus"[1].

Utrumque assertum in una eademque thesi propugnabimus.

70. *Thesis*: **Ritus quo potestas peccata dimittendi exercetur, est verum N. Legis sacramentum, a Baptismo distinctum.** *De fide est ex Trident.*[2]: "Si quis dixerit

Sess. XIV, cap. 1-2; **D. B.**, 894-895; **A. Michel**, *D. T. C.*, XII, 1069-1113. — [2] Sess. XIV, can. 1-2; **D. B.**, 911-912.

in Catholica Ecclesia Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; A. S." — "Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pænitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint... A. S." — Thesis breviter probatur, quia, per modum corollarii, infertur ex dictis circa potestatem clavium.

71. 1° **Scriptura.** Ad sacramentum N. Legis tria requiruntur et sufficiunt, ut probatum est in *Tr. de Sacramentis :* signum sensibile, gratiæ productivum, a Christo permanenter institutum. Atqui hæc tria in ritu quo peccata remittuntur invenire est : (**A**) *signum sensibile*, nam, ex dictis, peccata remittuntur *actu judiciali*, qui duo saltem importat, nempe sensibilem peccatorum manifestationem et externam judicis sententiam pænitentem absolventis. Præterea hujusmodi signum *a baptismatis ritu distinguitur;* nam Baptismus *ablutione* confertur, dum Pænitentia sub forma *judicii;* in Pænitentia possunt *judicialiter* retineri peccata, non sic in Baptismo.

(**B**) *Gratiæ productivum;* peccata enim gravia, ex dictis, per hunc ritum vere remittuntur; atqui deleri non possunt sine infusione gratiæ sanctificantis; nam, ex probatis in *Tr. de Gratia* (n. 132), justificatio essentialiter consistit in collatione gratiæ habitualis; ergo hujusmodi ritus est gratiæ productivus. — Hæc autem gratia differt a gratia baptismatis, cum sit proprie *remissiva* peccati ac possit *pluries* concedi, dum gratia in Baptismo collata est *regenerativa*, ac *semel* tantum confertur.

(**C**) *A Christo permanenter institutum;* demonstravimus enim hanc potestatem Apostolis collatam fuisse ab ipso Christo redivivo, quando dixit : "*Accipite Spiritum S.*" Jn 20:22 Eamdem vero esse in Ecclesia perpetuam constat : (**a**) ex generali principio, ab ipsis Protestantibus concesso, omnes nempe prærogativas, quæ ad Ecclesiam non solum fundandam, sed etiam conservandam, necessariæ sunt, Apostolis collatas fuisse non pro se tantum, sed etiam pro successoribus; atqui non minus necessaria est potestas remittendi

peccata hodie quam Christi tempore, cum homines facile in peccatum labantur; ergo talis potestas fuit permanenter concessa; quod jam animadvertebat *S. Pacianus*, et exinde contra Novatianos ita arguebat[1] : si potestas remittendi peccata non fuit apostolorum successoribus transmissa, cur dicitis potestatem baptizandi in perpetuum fuisse concessam? (b) Ex *historia*, quæ luculenter ostendit hanc facultatem ab Ecclesia fuisse perpetuo vindicatam et exercitam, ut probant testimonia jam allata.

72. 2° **Traditione.** Ex *Patribus*, qui sæpe Pænitentiam cum Baptismo conferunt, et asserunt utroque peccata remitti gratiamque conferri, licet *diverso* modo. Jam supra retulimus verba *S. Ambrosii*, n. 52. Item *S. Hieronymus*[2] asserit peccata remitti "sanguine Salvatoris aut in dono Baptismatis aut in Pænitentia, quæ imitatur Baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris". Nec aliter *S. Augustinus*[3] : "Si a catechumeno factum est (homicidium), Baptismo abluitur; si a baptizato, Pænitentia et reconciliatione sanatur". Ex his et aliis testimoniis quæ citari possent, sequitur Pænitentiam, non minus quam Baptismum, verum esse sacramentum, cum in utroque peccata deleantur gratiaque infundatur. — Ceteroquin, ex tota descriptione pænitentialis disciplinæ constat maximum esse discrimen inter baptismum et pænitentiam : hæc enim multo magis laboriosa erat quam præparatio ad baptismum.

73. 3° **Rat. convenientiæ**[4]. Decebat siquidem divinam misericordiam remedium instituere non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia peccata post Baptismum commissa; homo enim, etiam regeneratus, multis tentationibus obnoxius remanet et facile labitur; atqui optimum sane remedium est sacramentum, vi cujus de condonatis peccatis certiores esse possimus, per sententiam judicialem a ministro Dei latam, et sic pacatiores

[1] *Ep. 1a ad Sempron.*, n. 6; *P. L.*, t. XIII, p. 1057; *R.*, 1244.
[2] *Dialog. I adv. pelag.*, n. 33; *P. L.*, t. XXIII, p. 557.
[3] *De conjug. adult.*, lib. II, c. 16; *P. L.*, XL, 482.
[4] Cf. *Catech. Roman.* de Pænit., n. 14.

reddi : si enim de propria sua pænitentia cuique judicandum esset, via dubiis et anxietatibus lata pateret; vi cujus etiam Christi sanguis ad nos defluens mundat nos ab iniquitatibus nostris, et alacriores reddit ad pleniorem satisfactionem pro peccatis offerendam, necnon ad media adhibenda quibus in futurum nova delicta præcaveri valeant; ergo conveniens fuit institutio hujus sacramenti.

Absolute necessary

Disposition

Internal act of will & satisf.

External act: Confessio, contritatis & satisfactio

Art. II. De elementis constitutivis hujus sacramenti[1].

Scotist say: proxy matter & form is absol. of priest.

Thomist: proxy matter is external sign of penance

Forma - absolu

74. Quando Scholastici suam generalem theoriam de materia et forma sacris ritibus accommodarunt, docuerunt sacramenta duplici elemento essentiali constare, nempe materia et forma; quem loquendi modum Ecclesia usurpavit, præsertim in Conciliis *Florentino* et *Tridentino*. Quænam sit igitur *materia* et *forma* hujus sacramenti inquirere oportet. Jamvero utrumque Concilium declaravit tres actus pænitentis esse *quasi materiam* sacramenti Pænitentiæ, *formam* vero esse verba absolutionis.

De Externis actibus

§ I. De materia sacramenti Pænitentiæ[2].

75. 1° **Status quæstionis.** Duplex in sacramentis distinguitur materia : remota et proxima. Materia Pænitentiæ *remota*, vel melius, ut aliis placet, materia *circa quam* versatur sacramentum, sunt *omnia peccata post baptismum commissa.*

Sed quæstio oritur de *materia proxima* hujus sacramenti; disputant theologi in quo scilicet essentialiter consistat, utrum in *tribus pænitentis actibus*, an in *absolutione* aut *alia actione.* Tres præsertim hac de re prodierunt sententiæ.

76. (**A**) Nonnulli antiquiores theologi, ut *Gulielmus Antissiodor.* et *Alexander Alens.* putarunt materiam proximam sitam esse in *impositione manus* a sacerdote facta, dum pænitentem absolvit. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur. Triplex quidem

[1] **Merkelbach**, *De partibus pænitentiæ*, 1929, cap. I.

[2] **S. Thom.**, 3, q. 84, a. 2; **Suarez**, disp. XVIII, sect. 3; **Salmant.**, disp. I, dub. 2; **Billuart**, diss. I, a. 2; **Palmieri**, th. 14; **Billot**, th. 3; **L. de San**, n. 300-343; **P. Galtier**, th. XXIII.

Prox. matter = part of sign - and sacrament

commemoratur hujusmodi impositio apud auctores ecclesiasticos[1]: *prima*, quæ adhibebatur quando pænitentia publica imponebatur; *secunda*, quæ super pænitentes repetebatur, quoties ab ecclesia post catechumenos dimittebantur; *tertia* tandem in reconciliatione pænitentium. Sed iste ritus non ut essentialis habebatur, ut clare colligitur ex canone C. *Arausicani I*, ubi dicitur: "Qui recedunt de corpore, pænitentia excepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitionem Patrum"; jamvero si manus impositio necessaria fuisset ad remissionem peccati, certe morientes ea privati non fuissent.

77. (B) *Scotistæ*, quibus assentiunt *Maldonatus, Ballerini, Berardi* aliique[2], docent *totam essentiam* sacramenti in *absolutione* consistere, quæ quatenus externa est cæremonia, materiam constituit, et quatenus vim habet significandi, est forma. Juxta *Scotum veteresque* ejus discipulos, tres actus pænitentis sunt non solum *dispositiones* ad fructuosam sacramenti receptionem, sed etiam *conditiones* sine quibus præcedentibus non potest minister sufficienter cognoscere causam et sententiam ferre; sunt igitur partes non essentiales, sed *integrales*, sacramenti, et exterior harum dispositionum manifestatio est vere de necessitate sacramenti. Secundum *recentiores* Scotistas, hujusmodi actus sunt tantum *dispositiones* ad dignam sacramenti receptionem requisitæ: quare necesse non est ut actu *exteriori* manifestentur.

Sic autem arguunt: (a) imprimis res a *Tridentino* non fuit definita, ut a quibusdam Thomistis asseritur; nam, ut narrat *C. Pallavicini*[3], Synodus tres pænitentis actus non materiam, sed *quasi-materiam* appellavit, nec eos ad essentiam, sed solum ad *integritatem* sacramenti necessarios esse declaravit. (b) Sacramentum est id quod proprie confert gratiam; atqui sola absolutio Sacerdotis proprie gratiam sacramentalem confert; ergo sola proprie est essentia sacramenti. (c) Certum est, ex praxi Ecclesiæ, posse sacramentalem absolutionem iis dari qui nullum *exterius* edunt signum contritionis; atqui, si tres pænitentis actus essent materia

[1] Cf. **Sirmundus**, *Historia pænitent. publicæ*, c. VII; **Palmieri**, p. 159.

[2] **Scotus**, *in 4 dist.*, 14, q. 4 et dist. 16, q. 1; **Maldonat**, *de Pænitent.*, p. III, th. 7; **Ballerini-Palmieri**, *de Pænit.*, n. 5 sq.; **Berardi**, *Praxis Confessar.*, t. IV, n. 2. — [3] *Historia C. Trident.*, lib. XII, c. 12.

sacramenti, hoc invalidum esset, cum materia *sensibilis* esse debeat; ergo hujusmodi actus non sunt materia sacramenti, sed solum dispositiones, et tota essentia sacramenti in absolutione consistit.

(C) *Communior* tamen sententia, quam propugnant non solum *S. Thomas*, ejusque discipuli, sed et *Suarez*, *Salmanticenses*, *De Lugo*, *Bellarminus*, aliique multi, tenet tres actus pænitentis esse materiam proximam sacramenti.

78. 2° *Thesis* : **Tres pænitentis actus, contritio, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti Pænitentiæ.** Ita ~~commun~~ius. Soleit probabilis opinion

(A) *Florentinum*, in *Decreto ad Armenos* [1], post declaratam necessitatem materiæ et formæ in quolibet sacramento, hæc addit : " Quartum sacramentum est Pænitentiæ, cujus *quasi materia* sunt *actus pænitentis*, qui in tres distinguuntur partes ". Similiter *Tridentinum* [2] : " Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius *pænitentis actus*, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pænitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pænitentiæ partes dicuntur ". Unde sic : duo præfata Concilia materiam et formam ceterorum sacramentorum distincte commemoraverunt, et quando de Pænitentia egerunt, nullam aliam materiam designarunt nisi tres actus pænitentis; ergo illi actus sunt vere materia proxima hujus sacramenti, nisi forte dicatur hujusmodi materiam fuisse ex industria prætermissam : quod vix admitti potest in re tanti momenti. — Ex *Rituali* res firmatur, tit. III, c. 1. commil dist pars it up purpose

Nec objiciatur Concilia dixisse *quasi-materiam*, non autem materiam; " neque vero hi actus *quasi-materia* a S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materiæ non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione " [3]. Videlicet Pænitentia est sacra-

[1] **D. B.**, 699.

[2] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3; cfr. can. 4; **D. B.**, 896, 914.

[3] *Catech. C. Trident.*, de Pænit., n. 17. — Hinc **S. Thomas** ipse hoc dicendi modo usus est : " Quartum sacramentum est Pænitentia, cujus *quasi-materia* sunt actus pænitentis ". (*De artic. fidei et eccl. sacramentis*, t. XXVII, p. 180 ed. *Vivès*). Cf. **A. Michel**, *D. T. C.*, XII, 1125.

mentum *sui generis*, cujus materia non est corporeum elementum, ut in quibusdam aliis, sed ipsa virtus pænitentiæ ad dignitatem sacramenti evecta, proptereaque dicitur *quasi-materia*.

79. (B) Insuper Christus hoc sacramentum instituit per modum *judicii*, in quo duo elementa constitutiva invenire licet, nempe *materiam* ipsius judicii quam pænitens præbet, et *sententiam* quæ a judice fertur; atqui materia judicii tribus pænitentis actibus præbetur, videlicet humili peccatorum *confessione*, quam sincera *contritio* comitatur et *satisfactio* sequitur; ergo hujusmodi actus sunt vere materia proxima sacramenti.

Objicitur quidem absolutione tantum, non autem his actibus, gratiam conferri, proindeque illos ad sacramenti essentiam non pertinere; sed immerito, nam licet tales actus ex se gratiam non conferant, tamen quia ex positiva Christi institutione ad dignitatem materiæ sacramentalis evecti sunt, vere concurrunt cum forma qua, ut ita dixerim, fecundantur, ad gratiam producendam. Nec dicere juvat contritionem non esse quid sensibile; licet enim non sit sensibilis immediate et in se ipsa, mediate tamen fit sensibilis quatenus per actus exteriores confessionis, satisfactionis aliaque doloris signa manifestatur [1]. Aliunde sufficit ut materia sit virtualiter sensibilis; proinde etiam homo sensibus destitutus, qui antequam in hunc statum incideret, verbis aut signis contritionem manifestavit, eo ipso exhibet contritionem virtualem.

His tamen non obstantibus, libenter fatemur Scotistarum opinionem probabilitate non carere, neque in praxi despiciendam : proinde in casu *extremæ necessitatis*, etiamsi externa contritionis signa desint, pænitens sub conditione est absolvendus.

§ II. De forma sacram. Pænitentiæ [2].

80. Docet *Tridentinum* [3] " sacramenti Pænitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *ego te absolvo*, etc.; quibus quidem

[1] **S. Thom.**, 3 p., q. 90, a. 2, ad 1.

[2] **S. Thomas**, 3 p., q. 84, a. 3; **Suarez**, disp. XIX; **De Lugo**, disp. 13; **Salmantic.**, disp. III; **Morinus**, l. VIII; **Drouin**, q. II, c. 3; **Billuart**, diss. I, a, a. 3; **de Augustinis**, th. 23; **Palmieri**, th. 12; **Billot**, th. 3; **P. Galtier**, th. XXXIV-XXXVI; *D. T. C.*, V° *Absolution*.

[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3; **D. B.**, 896.

de Ecclesiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant ".

Hæc est quidem forma hodie in Ecclesia occidentali adhibita; cum vero antiquitus aliæ formæ usurpatæ fuerint, abs re non erit 1° has breviter describere, posteaque expendere 2° quid in forma hodierna ad *validitatem* et *liceitatem requiratur*, 3° num forma *conditionata* sit valida et licita.

I. Conspectus historicus diversarum absolutionis formarum.

81. 1° Facta exponuntur. (A) In utraque Ecclesia, per decem priora sæcula, formæ absolutionis adhibitæ fuerunt *deprecativæ*, nempe : " Deus, ei condona, eum absolve, etc. "; non autem indicativæ : " Ego te absolvo, tibi condono, etc. "

Quod constat : (a) ex testimonio Patrum, qui, cum S. Leone, dicunt in sacramento pænitentiæ indulgentiam Dei *supplicationibus sacerdotum* obtineri [1]; (b) sed præsertim ex *Sacramentariis* et *Pænitentialibus*, ubi nonnisi deprecativæ formulæ inveniuntur; ita, in Sacramentario *Gelasiano*, ad reconciliandum *publice* pænitentem hæc pronuntiatur oratio : " Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam " [2]. Posteaque variæ super eum recitantur orationes. Ibidem, ad reconciliandum *privatim* pænitentem ad mortem, variæ effunduntur preces, quæ ita concluduntur : " Respice propitius super hunc famulum tuum remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem " [3]. — Idem constat ex variis *Pænitentialibus* infra allegandis. Similes formulæ reperiuntur apud *Halitgarum* [4] († 831), atque auctores sequioris ævi, usque ad decimum sæculum. Attamen, sæculis octavo et nono, inveniuntur etiam formulæ *imperativæ* deprecativis conjunctæ, v. g. : " Sis namque absolutus a Deo Patre et Filio et sancto Spiritu, ab omnibus tuis peccatis " [5].

82. (B) A sæculo *undecimo*, in Ecclesia *latina* incipit *transitus* a formulis deprecativis ad indicativas, ambæque simul in iisdem

---

[1] S. Leo, *ep.* 108 ad Theodor., *P. L.*, LIV, 1011.
[2] *P. L.*, LXXIV, 1097. — [3] Ibid., 1098. — [4] *P. L.*, CV, 697, 704.
[5] Ita in Pænitentiali *Egberti*, archiep. Eboracensis (an. circiter 732), ap Morinum, *op. cit.*, Appendix, p. 19.

There are three forms in use: { deprecative - in form of prayer
declarative - your forgiven
indicative - I forgive

documentis inveniuntur. Ita, in quodam ordine Pænitentiæ formulis deprecativis hæc additur [1] : "Nos etiam, secundum auctoritatem nobis indignis a Deo commissam, absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, etc." Pariter, in ordine Ecclesiæ Remensis, sæc. XII, absolutionis forma legitur simul deprecativa et indicativa [2] : "Omnipotens Deus, qui beato Petro apostolo suo, ceterisque discipulis suis suam licentiam dedit ligandi atque solvendi, *ipse vos absolvat* ab omni vinculo delictorum; et, quantum nostræ fragilitati permittitur, sitis absoluti ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeatisque vitam æternam..." — Etiam initio sæculi XIII adhuc vigebat forma deprecativa; hæc enim scribit *Gulielmus Parisiensis* [3] : "Neque more judicum forensicorum pronuntiat confessor *absolvimus te*, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat". Quod pariter constat ex *Opusculo 18 S. Thomæ*, c. 5; cum enim adversarius dixisset : "vix triginta anni sunt, quod *omnes* hac sola forma deprecativa utebantur", Angelicus Doctor id absolute non negat, sed solum hoc modo corrigit : "Quomodo de *omnibus* potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?" — Paulo post autem forma *indicativa* communiter in Ecclesia Latina recepta fuit; attamen, antequam pronuntietur, recitantur preces "*Misereatur*, *Indulgentiam*, Dominus noster Jesus Christus *te absolvat*", quæ sunt veluti commemoratio antiquæ disciplinæ.

83. (C) In ecclesia *orientali*, post sæculum XIII, forma mansit deprecativa, imo et hodie apud quosdam manet. Ita, cum Morinus interrogaret quemdam græcum sacerdotem, qui in Collegio Romano græcis adolescentibus erudiendis præerat, hic respondit absolutionis formam Græcis usitatam hanc esse : "Domine, remitte, dimitte, condona peccata hujus N., quia tua est potentia, etc. [4] Hodie quidam Orientales, ut *Syri* et *Maronitæ*, Romanæ Ecclesiæ uniti, formam indicativam ab Ecclesia latina mutuaverunt; alii vero formam deprecativam retinent. — *Rutheni* vero, quanquam schismatici, forma utuntur quæ est simul deprecativa et indicativa.

84. 2° **Conclusiones ex factis deducendæ.** (A) Cum *Hurter* (n. 626), *Pesch* (n. 293), *Billot*, (p. 39) etc., indubi-

[1] *Magna Bibliotheca Patrum*, Coloniæ, 1618, t. VIII, p. 423-424.

[2] Ap. **Morinum**, *op. cit.*, p. 48; cfr. p. 71.

[3] *De sacram. Pœnit.*, c. 19, Venetiis, 1591, p. 472, col. 2.

[4] **Morinus**, l. VIII, c. 12, n. 7, p. 547. — Ita etiam **Denzinger** (*Ritus Orient.*, t. I, p. 101) : "Forma absolutionis apud Orientales (catholicos et non catholicos) si solos Armenos excipias, deprecativa est". — Cfr. *D. T. C.*, t. I, p. 205-214, ubi variæ describuntur Orientalium formæ.

tanter tenemus formam deprecativam validam fuisse, ubicumque modo generali prævaluit; non enim censemus absolutiones datas in magna Ecclesiæ parte, per multa sæcula, invalidas fuisse. Aliunde forma deprecativa, cum intentione absolvendi, et attentis circumstantiis, ostendit sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi auctoritate ejus absolvere, non autem impedit quin sacerdos sit judex vereque ministerialiter absolvat. Nec ægre hæc mutatio in forma conciliari potest cum sententia in *Tr. de Sacramentis* exposita, videlicet non omnes sacramentorum formas fuisse a Christo in *specie infima* determinatas; nam, si Ecclesia jus habet determinandi in specie hujusmodi formas, nil prohibet quin forma deprecativa, cum intentione sententiam judicialem ferendi, sit valida. Qui autem aliter sentiunt, videant quomodo suam theoriam cum factis conciliare possint.

(B) Quidquid sit, cum jam a pluribus sæculis Ecclesia *occidentalis* indicativæ formæ usum præscripserit, merito de valore formæ deprecativæ in Ecclesia *latina* dubitaretur. Ceterum fatemur formam indicativam magis convenire potestati *judiciali*, quæ ministris Ecclesiæ competit. Sedulo igitur in praxi adhibeatur sola formula indicativa quæ in Romano Rituali invenitur.

II. De requisitis ad validitatem et liceitatem [1].

Quæstio expendi potest quoad *verba* ipsa, quoad *modum* quo proferri debent, et quoad *locum* in quo proferri debent.

1° De verbis ad validitatem et ad liceitatem requisitis [2].

85. (A) Ad validitatem. (a) Ut certo constet de valore sacramenti, hæc verba requiruntur et sufficiunt : " *Absolvo*

[1] In his et sequentibus, non solum speculativas sed etiam *practicas* quæstiones de forma exponimus, ne bis de eodem subjecto disserere cogamur.

[2] Forma absolutionis, secundum Rituale Romanum, hæc est : Post injunctam pænitentiam, sacerdos dicit : Misereatur tui, etc. Deinde, dextera versus pænitentem elevata, dicit : — *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum

te a peccatis tuis". Ea enim verba ad validitatem requiruntur et sufficiunt, quæ effectum sacramenti, modum quo efficitur et subjectum recipiens satis declarant; atqui præfata verba *effectum*, id est, remotionem peccati distincte declarant, cum peccata sint vincula quibus peccatores ligantur, et verba *absolvo te a peccatis* hujusmodi vincula dissolvant; præterea clare manifestant peccata per modum *judicii* remitti, cum nihil aliud sint nisi sententia absolutoria; *subjectum* pariter indicant "*te, tuis*"; ergo præfata verba requiruntur et sufficiunt [1].

(b) Communiter asseritur sola verba "*absolvo te*" ad validitatem sufficere, cum hæc, post confessionem peccatorum, satis clare de peccatis intelligantur; et revera Græci multi hac simplici formula utuntur: "habeo te absolutum". Attamen, juxta *Lacroix* (n. 633) paucosque alios, requiruntur verba "a peccatis", quo clarius sensus formæ determinetur; et, cum de *valido* agatur, in praxi hæc non sunt omittenda, et, si omissa fuerint, forma sub conditione repetenda est. — Multo probabilius non requiritur vox *tuis*, quando jam dictum est *absolvo te*, cum *Rituale* eam non habeat indicando formulam adhibendam in casu necessitatis (v. infra 86, c.); sed *in praxi* nunquam omitti debet in forma ordinaria.

(c) Exinde sequitur *ego* non requiri ad validitatem, si sacerdos latine loquatur, quia jam in verbo *absolvo* continetur. — Pariter verba "*in nomiue Patris*, etc.," ad essentiam sacramenti non pertinent, quia nec a Christo præscribuntur, nec in antiquis formulis inveniuntur.

---

possum, et tu indiges; deinde, ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris † *et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Preces *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Passio Domini* "nisi justa de causa ne omittantur" (*Codex*, c. 885). Expedit quidem ut oratio *Passio Domini* non omittatur, cum, juxta S. Thomam aliosque non paucos, hæc oratio omnia bona pænitentis opera evehat ad dignitatem et efficaciam sacramentalis pænitentiæ (**S. Thom.**, *Quodlibet* 3, quæst. 13, a. 26). — Vox *suspensionis* omittitur, si de laicis agitur, quippe qui suspendi nequeunt.

[1] **S. Thom.**, 3, q. 84, a. 2.

(d) Verba essentialia suppleri possunt quoad *validitatem*, non autem quoad *liceitatem*, per alia æquivalentia; v. g., *te* per *vos*, vel *Excellentiam Vestram* etc.; *absolvo* per *condono* vel *remitto* tibi peccata tua.

86. (B) **Ad liceitatem.** Forma a Rituali Romano præscripta sedulo in Ecclesia Latina servari debet. Ad judicandum vero de gravitate peccati voluntariæ omissionis vel mutationis in forma, hæc duo notanda sunt, e *Tr. de Sacramentis* desumpta, n. 33-34 :

(a) Voluntaria omissio vel substantialis corruptio verbi essentialis, aut verbi quod probabiliter ut tale habetur, est semper peccatum mortale, quia sacramentum irritat, vel saltem periculo nullitatis exponit, et insuper pænitentem privat gratia sacramentali; ita omittere *te*, *absolvo*, *a peccatis* etc. mortale esset.

(b) Omissio autem voluntaria vel corruptio verbi non essentialis, absque sufficienti ratione, est peccatum grave vel leve, prout mutatio ipsa gravis vel levis reputatur judicio prudentium; nam, quamvis non invalidet sacramentum, importat actum irreverentiæ erga sacramentum; v. g., omissio verborum "*in nomine Patris et Filii etc.*" censetur peccatum leve, dum omissio prioris partis formæ circa absolutionem a censuris gravis esse potest, nempe si confessarius certo sciat pænitentem censuris innodari.

(c) In casu vero necessitatis omitti possunt verba non essentialia. Ita, juxta *Rituale Rom.*, in periculo mortis breviter dici poterit : "Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis. In nomine Patris, etc."

87. Corollarium. Hic quærunt theologi quid significent verba *absolvo te*. Non significant : ego te *declaro* a peccatis absolutum [1]; cum enim, ex dictis, Ecclesiæ ministri vera potestate polleant fideles absolvendi, verba eorum non mere declaratoria sunt, sed *efficiunt* quod significant. Juxta vero communem sententiam, sensus horum verborum est : ego te absolvo a peccatorum vinculo, seu tibi remitto delicta tua, conferens gratiam peccati remissivam [2]; proinde, juxta sententiam quam probabiliorem judicamus, *directe* significatur peccati remissio, *indirecte* gratia sanctificans, cum in præsenti ordine non remittatur gravis offensa

[1] *Petrus Lombardus* paucique alii theologi hunc esse genuinum sensum docuerant; sed hæc opinio communiter fuit reprobata. Cfr. *D. T. C.*, I, p. 196.

[2] Juxta **Suarez**, disp. XIX, sect. II, n. 13-20, *ego te absolvo* significat : "ego tibi gratiam sanctificantem confero remissivam peccati", hoc autem non placet Cardinali **de Lugo**, disp. XIII, n. 69-74, qui recte animadvertit verba absolu-

nisi per infusionem gratiæ. Hic est *proprius* sensus vocabuli *absolvo* secundum humanum usum, qui etiam in sacramentis retinendus est.

2° De modo quo forma proferri debet.

Forma debet esse 1° *ore prolata;* 2° in *præsentem* directa.

88. (A) **Ore prolata,** id est, non scripto, vel nutibus, sed viva voce. — Hoc quidem probari nequit ex ipsa natura rei, cum in foro civili judicium scripto valide proferri possit; sed ratio desumitur e positiva voluntate Christi, quæ non ex Scriptura quidem, sed ex usu et praxi Ecclesiæ constat, necnon ex *Decreto ad Armenos* declarante formam hujus sacramenti esse *verba* absolutionis, quæ sacerdos *profert :* hoc enim intelligitur de verbis ore prolatis. Res non est tamen de fide, nec absolute certa; unde, juxta *Sporer*, in casu extremæ necessitatis, sacerdos mutus posset, deficiente omni alio sacerdote, absolutionem nutu vel scripto dare.

Non est necesse ut verba audiantur, sed sufficit ut sint *audibilia*. Prudentia postulat ut non alta, sed *submissa* voce proferantur, ne, si quis dimittitur non absolutus, circumstantes id advertant.

89. (B) **In præsentem directa.** (a) Etenim verba formæ "*te absolvo*" supponunt pænitentem esse *moraliter præsentem*. Præsentia autem *moralis* ea est, intra quam homines communi, quamvis *altiori*, voce loquentes, inter se loqui et audiri possunt. *S. Alphonsus* (n. 429), cum aliis multis, putat talem præsentiam extendi posse ad 20 circiter passus, præsertim ubi pænitens nondum est egressus ab aspectu confessarii [1]. Si vero pænitens et confessarius sunt in diversis cubiculis quæ nullo modo inter se communicent, absolutio dubia erit, quia dubitatur utrum sint moraliter præsentes.

---

tionis *ex se* non significare directe gratiæ collationem, quamvis eam producant ex institutione Christi. — Cfr. *D. T. C.*, t. I, p. 194.

[1] *Speculative* loquendo dici posset, cum quibusdam, præsentiam moralem etiam longius extendi posse, v. g., ad 40 vel 50 passus, quia etiam intra hanc distantiam vox humana audiri solet; sed *in praxi*, extra necessitatis casum, tutior pars est sequenda.

90. (b) Hinc, *in praxi*, 1) si pænitens a confessionali exeat antequam absolutio detur, ut aliquando accidit, tuto potest absolvi, si certo cognoscatur eum intra paucos passus esse; secus, benigne revocetur ad sacrum tribunal; si vero jam longe absit, nec inveniri possit, res Deo committenda est; postea autem, si ad eumdem confessarium redeat, moneatur ut de omnibus suis peccatis, etiam præteritis, doleat, et absolvatur.

2) Pariter absolvi potest moribundus jam e porta cubiculi. — In prælio multitudo militum absolvi potest, quamvis quidam multum distent, quia efformant unum morale, quod est sufficienter præsens.

3) Insuper, in casu necessitatis, sub conditione absolvi possunt ii omnes qui aliquo sensu percipiuntur, etiam in confuso, v. g. e tecto ruentes, labentes in flumen vel mare, etsi a longe tantum aspiciantur, quia *probabile* est illos moraliter esse præsentes qui aliquo modo sensibili sunt coram confessario.

91. (C) **Corollaria.** (a) *Invalida et illicita est absolutio absenti data, qui sive per litteras, sive per internuntium peccata sua confitetur.* Constat ex hac propositione a *Clemente VIII* damnata, 20 Junii 1602[1] : "Licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere". Insuper *Paulus V*, 14 Jul. 1605, in congregatione *S. Officii* declaravit hoc decretum valere etiam in sensu diviso, id est de confessione *vel* de absolutione seorsim. Proinde *invalida* est absolutio 1) si quis præsens confiteatur et absens absolvatur; 2) si absens confiteatur et præsens absolvatur. — Dixi absolutionem non solum illicitam, sed invalidam esse; nam *Clemens VIII* prohibuit ne *unquam quovis modo* ad praxim deduceretur damnata propositio; jamvero id prohibere non potuisset pro articulo mortis, nisi talis absolutio invalida esset.

Attamen *Clemens VIII* vivæ vocis oraculo declaravit se non intendere casum moribundi sensibus destituti, quem adstantes absolutionem antea petiisse testentur; hic enim absolvendus est, non quidem vi confessionis in absentia factæ, sed quia, utpote sen-

[1] **D. B.**, 1088. — Hic agitur tantum de absolutione a *peccatis*, non autem de absolutione a *censuris*, quæ concedi potest per litteras, internuntium, telegraphum, telephonium aliaque media hujusmodi, ut exponetur in *Tr. de Censuris*; nam quando agitur de pœnis *mere ecclesiasticis*, Ecclesia potest ab eis absolvere omni modo sibi bene viso.

sibus destitutus, dispensatur ab explicita confessione. — Pariter invalida non est, neque illicita, justa existente causa, absolutio data pænitenti, qui per litteras confessus est, et postea *præsens* modo generali dicit se confiteri peccata jam per epistolam exposita : ita enim sufficienter repetitur confessio.

92. (b) *Valde dubia est absolutio per telephonium data.* Inter hodiernos theologos, nonnulli tenent non constare hanc absolutionem esse certo invalidam [1]; nam qui telephonii ope loquuntur, quamvis physice sint distantes, *moraliter præsentes* esse dici possunt, quia vere inter se loquuntur, et vox ipsa colloquentis vere ab altero auditur, ita ut tanquam vox talis talisve personæ possit agnosci. — Alii putant eam invalidam esse [2]; nam sacramenta, secundum normam institutionis divinæ, non humani cujusdam inventi, administrari debent (supra n. 88); jamvero collocutio per telephonium est modus artificialis colloquendi *cum absente*, et ita colloquentes, in morali hominum æstimatione, non censentur præsentes, sed absentes. — Res ad *S. Pænitentiariam* delata fuit, sed proposito dubio " utrum in casu extremæ necessitatis dari possit absolutio per telephonium "? rescripsit die 1 Jul. 1884 " nihil esse respondendum "; quod quidem significare potest dubii solutionem non ad *S. Pænitentiariam* spectare, cujus est solum casus particulares solvere, sed ad *S. Officium.*

Unde *in praxi*, extra extremæ necessitatis casum, telephonio absolvere omnino illicitum est, ne sacramentum periculo nullitatis exponatur. Sed in casu *extremæ necessitatis*, damnandus non est sacerdos conditionate per telephonium absolvens pænitentem, qui, subito et gravissimo morbo correptus, absolutionem a peccatis suis peteret [3].

3° De loco ad absolutionem impertiendam.

93. Ad confessiones excipiendas ideoque absolutionem dandam, hæc statuit *Codex :*

Can. 908. Sacramentalis confessionis *proprius* locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum.

---

[1] **Ballerini P.**, n. 1155, Notanda quædam circa ritum; **Genicot**, qui tamen eam censet " multo probabilius invalidam ", n. 267; **Sabetti**, n. 728, q. 7[a]; **Berardi**, *Praxis Confess.* n. 1132, qui tamen sententiam mutavit. *N. R. T.*, XIX, 393 sq. et 655; **Ciolli**, *Directoire*, I, p. 180-182; *Ami*, 24 oct. 1929, p. 689.

[2] **Eschbach**, *N. R. T.*, XIX, 393; XX, 305; **Noldin**, n. 239; **Haine**, III, p. 218-219. Cfr. *D. T. C.*, I, 242-243.

[3] **Sabetti**, n. 728. — Res practica esse potest in regionibus ubi telephonia in multis privatis domibus invenire est, præsertim si pauci sint sacerdotes et longe a quibusdam parochianis dissiti.

Can. 909. § 1. Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato.

§ 2. Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter pænitentem et confessarium sit instructa.

Can. 910. § 1. Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliæve veræ necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas judicaverit.

§ 2. Confessiones virorum etiam in ædibus privatis excipere licet.

N.B. Only one absolution

III. De forma conditionata.

Hucusque de forma absoluta, quæ regulariter adhiberi debet. Quandoque tamen uti expedit *forma conditionata*, quæ videlicet non absolute, sed sub aliqua conditione pronuntiatur.

94. 1° De ejus validitate. *Gersonius* (sæc. XV) primus esse videtur qui conditionatæ absolutionis validitatem explicite propugnaverit[1]; cujus opinionem acriter impugnavit *Cajetanus*[2]; communior tamen et moraliter certa evasit sententia hanc absolutionem, positis ponendis, validam esse.

N.B.

95. *Principium generale :* **Sed conditio invalidat absolutionem quæ in suspenso relinquit effectum sacramenti, non autem ea quæ minime suspendit effectum**[3].

Jamvero conditio *de futuro incerto*, v. g., *absolvo te, si infra mensem restitueris*, suspendit effectum sacramenti; nam tempore quo sacramentum confertur, effectus non producitur, cum incerta sit conditionis executio, et aliunde remaneat suspensa et ipsa Sacerdotis intentio; tempore autem quo conditio verificatur, jam non existit sacramentum, nec proinde suum effectum sortiri valet.

Conditio autem *de præterito* vel *de præsenti*, v. g., *te absolvo*

---

[1] *De Schismate tollendo*, inter *Opera omnia*, Antuerpiæ, 1706, t. II, p. 79; *De Unitate Ecclesiæ*, p. 118.

[2] *Summula de peccatis*, Lugduni, 1551, p. 3.

[3] Quod probavimus in *Tr. de Sacramentis*, n. 101.

N.B. If can, clear it up and when you cannot clear it up + exhaust all possibilities, then give conditionally absolution. You must be sure

si jam restitueris, vel si sis vivus, sacramenti effectum non suspendit, nec proinde, ex hoc saltem capite, absolutionem invalidam reddit, nam eo tempore quo sacramentum conficitur, conditio jam verificatur, vel non : si prius, absolutio statim suum producit effectum; si posterius, statim invalida est.

Neque dicatur formam conditionatam obstare naturæ hujus sacramenti, quod per modum *judicii* administratur. Nam, etiam in humanis judiciis, sententia aliquatenus conditionata haud raro fertur, v. g., *in carcerem ibis, nisi infra tres dies debitum solveris;* vel *ad carcerem te condemno, sed, si in culpam non reincidas, pro tempore a pœna immunis eris.* Aliunde judicium civile ab hominibus executioni mandatur, dum confessarii sententiam Deus ipse exsequitur : sufficit igitur ut Deus noverit utrum conditio adimpleta fuerit vel non.

96. Pauci tamen theologi, ut *Lovanienses* et *Collet*[1], dixerunt conditionem etiam de præsenti invalidare sacramentum, si non sit conditio *facti* (v. g., si vivis, si es capax), sed *juris* (v. g., si es dispositus, si vis restituere); nam per hujusmodi conditionem destruitur natura judicii, cum ad ipsum confessarium spectet judicium ferre de his dispositionibus pænitentis. — Hæc autem ratio non valet; nam confessarius de dispositionibus pænitentis utique judicare debet, sed *modo humano*, in quantum fieri potest; jam vero aliquando judicat rem esse dubiam, proindeque, si gravis accedat ratio, absolutionem sub conditione concedendam esse. — Melius tamen adhibentur conditiones quæ respiciunt *capacitatem* pænitentis (v. g., si es capax), ne *forsan* impediatur validitas sacramenti in casu quo deficiunt debitæ dispositiones ac proinde etiam impediatur reviviscentia effectus sacramenti (Cf. n. 335).

N. B.

97. 2° **De ejus liceitate.** (**A**) Absolutio conditionata licita est, quando hæc duo *simul* concurrunt : (**a**) *gravis ratio judicandi formam absolute prolatam exponere sacramentum periculo nullitatis;* (**b**) *notabilis utilitas pro pœnitente absolutionem statim recipiendi.* — Imo talis absolutio dari *debet*, si necessitas urget, v. g., in periculo mortis.

Etenim (**a**) ipsa natura sacramenti postulat ut per modum judicii administretur; atqui judicium regulariter loquendo absolutum esse debet, præsertim in sacro tribunali; nam vel

[1] **Collet, (Migne,** *Theol. Cursus*, t. XXII, 732). — Recenter eadem opinio a quibusdam theologis Belgii propugnata est, sed sententia communis, cui subscribimus, omnino tuta in praxi manet.

confessarius moraliter certus est pænitentem esse capacem ac dispositum, et tunc absolute absolvere debet; vel certo judicat eum esse incapacem aut indispositum, et tunc absolutio denegari debet; vel dubitat, et tunc regulariter absolutio differri debet, nisi specialis adsit ratio sacramentum statim suscipiendi. (b) Aliunde, si facile conditionata absolutio daretur, tum pænitentes tum ipse confessarius facile in quamdam inciderent socordiam, nec multum curarent de necessariis dispositionibus excitandis; ex quo etiam fieret ut paulatim sacrilegia multiplicarentur.

98. (B) Præcipuæ causæ propter quas absolutio conditionata dari potest, sunt:

(a) Ex parte *confessarii:* si positive dubitet utrum absolverit necne, — utrum verbum essentiale omiserit an non; tunc dicat, vel potius intendat (melius est enim conditionem sola mente concipere): *si tu non es absolutus*, ego te absolvo. — Si autem dubitet num jurisdictionem habeat, vel jurisdictio sibi data expiraverit, ad talem pænitentem, vel ad talem casum extendatur, et simul gravis adsit ratio pænitentem statim absolvendi, tunc (ex can. 209) supplet Ecclesia jurisdictionem, et ideo *sine conditione* absolutio dari potest.

(b) Ex parte *pænitentis:* in casu *necessitatis*, si moribundus dubiam materiam vel dubias dispositiones exhibet, vel si dubitatur num adhuc sit vivus aut absolutionis capax.

Etiam, extra casum necessitatis, si dubie dispositi matrimonium contracturi sint, vel locum derelicturi, aut velint, propter gravem rationem, v. g., ad infamiam vitandam, mox sacram communionem recipere; — aut si fundatus adsit timor ne dubie dispositi, si dimittantur sine absolutione, ad sacrum tribunal non redeant, vel in desperationem cadant; — vel si agatur de semi-fatuis, de pueris quorum dubius est rationis usus, et qui ceteroquin per longum tempus sacramenti beneficio privarentur; — aut de piis, qui materiam solum dubiam præbent, et a quibus obtineri nequit materia certa, propter eorum peculiares dispositiones; hi enim aliquoties conditionate absolvi possunt, ne diutius careant absolutione. In his enim et similibus casibus verificantur duæ conditiones supradictæ: ex una parte absoluta formæ prolatio sacramentum nullitatis periculo exponit, et ex altera sufficiens adest ratio statim pænitentem absolvendi.

99. (C) **Corollaria.** (a) *Pænitens sub conditione absolutus regulariter a communione abstinere debet*, cum secus periculo materialis saltem sacrilegii sese exponat. Hinc confessarius non

potest *positive* tali pænitenti dicere ut sacram communionem recipiat. Si vero a pænitente interrogetur, prudenter respondeat secundum varias circumstantias; dicat v. g. : "tuæ conscientiæ dictamen sequere".

(b) Non datur autem stricta obligatio iterum accusandi peccata conditionate absoluta, ut melius intelligetur ex dicendis ubi de confessione. Nam *prudenter* existimari potest ea fuisse remissa; aliunde, si pænitens sit in bona fide, ut supponitur, in sequenti confessione remittentur.

Art. III. De ministro Sacramenti Pænitentiæ.

100. Ex dictis in primo capite jam inferri potest non omnibus christianis, sed solum quibusdam Ecclesiæ ministris competere potestatem clavium : cum enim hæc ipsam conscientiam omnium fidelium attingat, peccataque remittat etiam coram Deo, evidens est eam exerceri non posse nisi ab iis qui divinitus deputati sunt ad regendos fideles eosque sanctificandos. Ad eam exercendam, seu ad Sacramentum Pænitentiæ ministrandum, duplex requiritur potestas, juxta *Tridentinum*, nempe potestas *ordinis sacerdotalis* et *jurisdictionis*.

101. (a) Et primum potestas *ordinis sacerdotalis* : —

"Circa ministrum autem hujus sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter *Episcopos* et *Sacerdotes*, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini : "Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo", et : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt" ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, cuicumque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt"[1].

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 6, D. B., 902.

In eodem sensu loquitur *Codex*, can. 871 : "Minister hujus sacramenti est solus sacerdos".

102. (b) Potestas *jurisdictionis* requiritur insuper ad validum hujus potestatis usum, quia nonnisi modo judiciali exercetur : —

"Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem"[1]. Ita etiam *Codex*, can. 872 : "Præter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas jurisdictionis, sive ordinaria, sive delegata, in pænitentem".

§ I. De potestate ordinis ad remittenda peccata.

103. Status quæstionis. (A) Errarunt hac de re :

(a) *Montanistæ*, qui tenebant solos pneumaticos seu spirituales, id est eos qui Spiritu Sancto inspirabantur, posse peccata condonare; (b) *Waldenses* et *Wicleffitæ*, qui potestatem absolvendi peccata bonis laicis concedebant, pravis autem sacerdotibus denegabant; (c) Protestantes *liberales* qui tenent primis Ecclesiæ sæculis potestatem clavium exercitam fuisse a *charismaticis*, id est ab iis fidelibus qui speciali dono seu charismate gaudebant : contendunt siquidem hierarchiam non fuisse a Christo institutam, sed varia charismata, inter quæ charisma dimittendi peccata, a Spiritu Sancto fuisse inter fideles distributa[2].

104. (B) Præterea, Medio Ævo, quidam auctores catholici tenuerunt diaconos aut inferioris ordinis clericos esse aliquo sensu *extraordinarios* ministros pænitentiæ, quatenus, deficientibus sacerdotibus, confessiones excipere, imo juxta quosdam, ad peccatorum absolutionem aliquid conferre poterant[3]. — Insuper *Morinus* putat, ob aliquot difficilia Patrum loca, antiquitus diaconos tanquam ministros pænitentiæ extraordinarios habitos fuisse. — Tandem pauci dixerunt, deficientibus sacerdotibus et clericis, laicis confitendum esse[4].

---

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 7, **D. B.**, 903.

[2] **Müller**, in *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, 1895, p. 1 sq., 187 sq.; cfr. **Vacandard**, in *Rev. du Cl. fr.*, t. XIX, 1899, p. 337.

[3] Quorum opiniones expositas vide in *D. T. C.*, t. I, p. 183-189; **Laurain**, *De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence*, Paris, 1897, p. 69. — [4] Ap. **Laurain**, *op. cit.*, p. 18 sq.

105. *Thesis :* **Soli sacerdotes, id est episcopi et presbyteri, sunt ministri potestatis clavium, seu valide possunt a peccatis absolvere.**

De fide est ex *Tridentino*, can. 10[1] : "Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : "Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo"; et : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt"[2] : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; A. S.".

106. 1° *Scriptura* probatur, nempe ex duobus textibus a *Tridentino* allegatis, quos supra (n. 21-30) declaravimus. Ex his enim, adjuncta Patrum interpretatione, sequitur potestatem, apostolis eorumque successoribus collatam, modo *judiciali* exercendam esse. Jamvero auctoritate judiciali non gaudent omnes fideles, sed solum ii qui Ecclesiæ præsunt, quos "Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei"[2], ut constat ex probatis in tractatu *de Ecclesia.* — Quinam vero hac potestate induti fuerint, ex *doctrina* et *praxi* Ecclesiæ determinari debet[3].

107. 2° *Traditione.* (**A**) Secundo sæculo, nonnisi quædam *vestigia* colligere possumus, ob rationes jam allatas ubi de ipsa potestate clavium. *S. Ignatius* constanter commendat et præcipit obedientiam episcopo præstandam, nec promittit peccatoribus remissionem peccatorum nisi redeant ad episcopum; ex quibus infertur potestatem absolvendi, quæ potestatem judicialem involvit, nonnisi ab episcopis aut dependenter ab eis exercitam fuisse.

108. (**B**) Id autem *diserte* affirmatur sæculis tertio et quarto, statim ac errores hac de re oriuntur. Ita, teste *Ter-*

---

[1] **D. B.**, 920. — [2] *Act.*, XX, 28.

[3] Hi sunt sacerdotes, id est episcopi et presbyteri, ut ex factis allatis constat. Per quatuor priora sæcula, hæc potestas fere exclusive ab episcopis exercebatur; quarto autem sæculo, presbyteris quibusdam, nempe pænitentiariis, concessa est auctoritas confessiones audiendi et peccatores absolvendi; a quinto ad octavum sæculum hæc potestas ad plures alios presbyteros extensa est; et jam a sæc. VIII ad omnes sacerdotes. (**Tixeront**, *Hist. des Dogmes*, III, 253).

tulliano, Callistus sibi vindicat potestatem remittendi peccata, et quidem vi textus " Quodcumque ligaveris ". — Montanistæ contendunt quidem hanc auctoritatem *spiritualibus* competere[1], sed eorum error ab universali Ecclesia rejicitur. Tertullianus ipse, dum adhuc catholicus, exomologesim describens, dicit peccatores ingemiscere, lacrymari et "*presbyteris* advolvi "[2]. *S. Cyprianus*, Tertulliani discipulus, peccatores ad pænitentiam hortatur, "dum satisfactio et remissio facta per *sacerdotes* apud Dominum grata est "[3]. Alii cum *S. Ambrosio* explicite dicunt *solis sacerdotibus* inesse potestatem ligandi atque solvendi, ideoque remittendi peccata : " Jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet : hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet "[4]. Jam diximus (n. 46), episcopis, ipsa ordinatione, conferri potestatem absolvendi.

109. Idem asserunt Patres *græci*. *Origenes* diserte asserit potestatem remittendi peccata apostolis eorumque successoribus collatam fuisse, vi verborum " Quorum remiseritis "...; et ex contextu locisque parallelis constat hos successores esse *sacerdotes* : ita loquitur de peccatore qui " non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam "[5]. — *S. Athanasius*, in Fragmento ex libris contra Novatianos, scribit : " Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus, Spiritus Sancti gratia illuminatur; ita qui confitetur in pænitentia, per sacerdotem Christi gratia remissionem accipit "[6]. — Quarto sæculo, Constantinopoli instituti sunt *presbyteri pænitentiarii*, quorum munus erat pænitentiam imponendi et confitentes absolvendi[7].

---

[1] Quod sic declarat **Tertullianus**, *De pudicitia*, c. 21 : " Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit ; sed Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus episcoporum ".

[2] *De Pænitent.*, n. 9. — [3] *De Lapsis*, c. 29.

[4] **S. Ambros.**, *De Pænit.*, lib. I, c. 2, *P. L.*, XVI, 468.

[5] **Origenes**, *in Levit.*, hom. II, n. 4, *P. G.*, XII, 418; cfr. 560, 561; t. XI, 528, 529; XIII, 1846.

[6] *P. G.*, XXVI, 1315.

[7] **Socrates**, *H. E.*, l. V, c. 19, *P. G.*, LXVII, 614-615. Probabile est etiam Romæ pariter constitutos esse pænitentiarios ineunte sæculo quarto. Quidam tamen catholici id negant, putantes pænitentiæ impositionem et peccatorum absolutionem, in Ecclesia occidentali, fuisse episcopo reservatam. Ita **Vacan-**

110. Solvuntur difficultates. (A) Pauca tantum animadvertere liceat de *pneumaticis*. Non diffitemur quidem quosdam, in primæva Ecclesia, specialibus charismatibus fuisse donatos, quæ describuntur a S. Paulo[1]; sed nullibi dicitur ipsis concessam esse potestatem remittendi peccata. — Tertullianus, jam montanista factus, hanc potestatem *spiritualibus* adscribit, sed, non obstante ejus ingenio, hæc assertio mox universim reprobata fuit, etiam a S. Cypriano, ejus discipulo. Nil igitur exinde deduci potest contra nostram thesim.

111. (B) Nonnulli objiciunt *confessores* et *martyres* privilegium obtinuisse *libellos pacis* concedendi, ideoque remissionem peccatorum. — Verum est quidem libellos pacis ab eis datos fuisse, quo facilius lapsi veniam consequerentur; sed ex epistolis S. Cypriani evidenter constat hanc martyrum intercessionem fuisse quidem unum e motivis propter quæ pænitentia mitior aut brevior impônebatur, sicut hodie vi communionis sanctorum conceduntur indulgentiæ, sed minime fuisse veram absolutionem a peccatis. Fatetur quidem lapsos posse precibus martyrum juvari; sed quibusnam et quandonam reconciliatio concedi debeat, episcopi judicare debent[2] Jamvero hæc doctrina approbata fuit non solum ab episcopis africanis, sed etiam ab Ecclesia Romana, ut jam supra notavimus, n. 50. Exinde non parum confirmatur thesis, cum constet ipsos martyres nonnisi *privilegio intercessionis* ad peccatorum condonationem aliquid contulisse.

112. (C) Alia tamen difficultas exsurgit ex interventu *diaconorum* in administratione pænitentiæ. *S. Cyprianus*, de lapsis scribens qui in periculo mortis erant, dicit eos *exomologesim* facere posse apud presbyterum, aut, si presbyter desit, apud *diaconum*[3]: "Si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra, apud presbyterum quemdam quemcumque præsentem, vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus cœperit, apud *diaconum* quoque *exomologesim* facere delicti sui possint, ut manu eis in pænitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt".

Res diversimode explicatur. (a) Quidam, cum *Morino*, putant sanctum Doctorem revera tenuisse diaconos esse *extraordinarios* pænitentiæ ministros in casibus urgentioribus. (b) Alii dicunt hic

---

dard, in *Revue du Clergé français*, t. XLII, 1905, p. 361; cujus tamen argumenta confutat **Batiffol**, ibid., p. 449.

[1] *I Cor.*, XII, 3-11; XIV, 2-40; *Ephes.*, IV, 11.

[2] *Epistolæ*, 9, 10, 11, 13, 17, 26, 30, etc., *P. L.*, IV, 252, 255, 257, 260, 270, 304-305.

[3] *Epist.*, 12 ad clerum, de Lapsis, *P. L.*, IV, 259.

agi de *reconciliatione externa* cum Ecclesia, quæ, quoad peccatores, præcedere debebat administrationem viatici. Quæstio enim erat de *lapsis* qui libellum pacis a martyribus acceperant, simulque gravi infirmitate laborabant, et in periculo mortis versabantur. Episcopus permittit presbyteris, et, si desint, diaconis pænitentiam infirmis imponere, per impositionem manuum, ut, pænitentia accepta, atque actu contritionis elicito, morituri possint communionem accipere, et ita ad Dominum accedere cum pace; sæpe enim diaconi, deficientibus sacerdotibus, viaticum ministrabant moribundis qui actu contritionis perfectæ justificati fuerant. Quod confirmatur canone 32 C. *Illiberitani* (306) : "Apud presbyterum si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pænitentiam non debere, sed potius apud episcopum; cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum *communionem* præstare debere et *diaconum*, si ei jusserit sacerdos". Ita explicatur quomodo nonnulli diaconi, antequam viaticum ministrarent, audirent confessiones, ut videlicet peccatores excitarent ad contritionem; quod inferri potest ex *Odonis*, episcopi Parisiensis, statutis (1197), ubi legitur [1] : "Item prohibetur districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in *arctissima necessitate;* claves enim non habent, *nec possunt absolvere*".

113. (D) *Objicitur* etiam aliquando *monachos*, qui sacerdotio initiati non erant, confessiones audiisse.

Resp. Fatemur equidem Medio Ævo, præsertim in Oriente, rem aliquando se ita habuisse, quia videlicet populus christianus, pravis moribus sæcularium sacerdotum scandalizatus, regularibus peccata confiteri sæpe malebant, etiam iis qui sacerdotes non erant : hic autem erat abusus ex ignorantia ortus qui non diu perseveravit.

114. (E) *Urgent :* Medio Ævo invaluit usus ut in periculo mortis, deficiente sacerdote, confessio laicis fieret; hanc praxim commendarunt doctissimi theologi, imo ejus necessitatem docuerunt, v. g., *Lanfrancus* [2], *Petrus Lombardus* [3], *Rob. Pullus* [4], *Albertus Magnus* [5], *S. Thomas* [6], aliique; ergo etiam laici absolvere possunt.

Resp. Præfati Doctores minime docent laicos potestatem habere absolvendi, quamvis teneant, in casu necessitatis, utile aut necessarium esse peccata laico confiteri [7]. Hanc opinionem acceperunt ab auctore libri *de vera et falsa pænitentia* qui *S. Augustino* immerito

---

[1] Apud **Mansi**, XXII, 653; cfr. **Laurain**, p. 88 sq.
[2] *De Celanda confessione*, *P. L.*, c. 4., 629 sq. — [3] *Sentent.*, lib. IV, dist. 17.
[4] *Sentent.*, lib. VI, cap. 51, 301-302, ap. *Migne*, t. 186, p. 897.
[5] *In IV Sent.*, dist. 17, art. 58-59. — [6] *In IV. Sent.*, dist. 17, q. 3, a. 3, sol. 2. — [7] Cf. **A. Teetaert**, *La confession aux laïques dans l'Eglise latine depuis le VIIIe jusqu'au XIVe siècle*, 1926.

adscribebatur; en verba Pseudo-Augustini[1] : "Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere... *Tanta itaque vis est confessionis, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo...* Etsi ille cui confitebitur, *potestatem solvendi non habeat*, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio". Ex quo sequitur laicos potestate absolvendi carere. Idem tenet *S. Thomas* (l. c.) ubi dicit : "Sed quando necessitas imminet, debet facere pænitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, et confiteri cui potest; qui, quamvis *sacramentum perficere non possit*, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet". Laici igitur, dum confessiones audiebant in casu necessitatis, potestate absolvendi non gaudebant; sed Christus ipse, occasione hujus humilis confessionis, remissionem peccatorum bene dispositis impertiebatur. Attamen, propter hunc interventum, diaconi a quibusdam theologis hujus ætatis vocabantur ministri *extraordinarii* sacramenti Pænitentiæ[2].

Ex hoc pariter inferri potest quantum necessaria confessio existimata fuerit, cum, deficiente sacerdote, coram laico facienda diceretur.

115. (**F**) Nil dicimus de *abbatissis*, quæ aliquando potestatem monialium confessiones audiendi usurparunt; hoc enim tanquam absonum et absurdum reprobatum est in utraque Ecclesia, Græca et Latina, "quia, ut aiebat *Innocentius III*, licet Beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus claves regni cælestis permisit"[3].

§ II. De potestate jurisdictionis.

116. *Status quæstionis.* (**A**) Præter potestatem ordinis, in ministro Pænitentiæ ~~desideratur~~ sit necessaria potestas jurisdictionis. (**a**) Jurisdictio ecclesiastica *in genere* definitur potestas regendi subditos in iis quæ ad finem supernaturalem spectant. Differt a potestate *ordinis* : hæc enim est potestas ministrandi sacramenta, sacra ordinatione collata, et indelebiliter subjecto inhærens; dum jurisdictio est potestas regendi, externo actu superioris collata, quæ revocari potest. Quæ quidem triplex est *legislativa*, ad leges ferendas, *judiciaria*,

[1] *P. L.*, 40, 1122.

[2] Quas opiniones Scholasticorum expositas vide in *D. T. C.*, t. I, 182-189.

[3] *P. L.*, CCXVI, 356; pro Ecclesia orientali, vide *P. G.*, CXIX, 1066; cfr. **Laurain**, *op. cit.*, p. 1-67.

ad sententias auctoritative ferendas, et *coactiva*, ad pœnas contra delinquentes infligendas.

(b) Jamvero jurisdictio, quæ ad *sacramentum Pænitentiæ* requiritur, est *judiciaria*, cum hoc sacramentum sub forma judiciali ministretur. Potestas autem judiciaria duplex esse potest: *fori externi*, quando directe et primario publicam Ecclesiæ utilitatem respicit; *fori interni*, quando directe et primario privatam cujuslibet fidelis utilitatem respicit. Cum igitur sacramentum Pænitentiæ primario ad privatorum sanctificationem institutum fuerit, jurisdictio ad ejus administrationem necessaria, est *potestas judiciaria fori interni*, et quidem fori *pænitentialis*, ut sic distinguatur a jurisdictione fori interni *extra-pænitentialis*, quæ extra confessionem sacramentalem exerceri potest, v. g., dispensando in voto, tollendo censuram cum effectu in foro interno tantum.

(c) Unde jurisdictio confessarii definiri potest *potestas supernaturalis, jure* vel *externo superioris actu collata, qua sacerdos judicium exercere potest erga subditos in foro interno ac pænitentiali.* Confertur autem designando *subditos* in quos exerceri valeat potestas absolvendi, vel *locum* ubi legitime exerceatur.

117. (B) Jamvero nonnulli veteres theologi, ut *Durandus*, tenuerunt jurisdictionem dari ipsa ordinatione, quamvis agnoscerent ejus usum Ecclesiæ prohibitione ligari; quam opinionem ut antiquatam rejiciunt communiter theologi. Longius etiam a veritate distabat *Synodus Pistoriensis*, dum asserebat conveniens quidem, non autem necessarium esse, ad validitatem absolutionis, ut confessarius jurisdictione polleret [1].

118. *Thesis :* **Præter potestatem ordinis requiritur, ad validam absolutionem, potestas jurisdictionis, quæ non accipitur vi solius ordinationis, sed superiorum ecclesiasticorum concessione.** Certum est.

1° *Prius*, videlicet jurisdictionem ad validam absolutionem requiri, a *Tridentino* et a *Codice* explicite declaratur, supra, n. 102. Præiverat *Decretum pro Armenis* [2] : "Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absol-

[1] D. B., 1537. — [2] D. B., 699.

vendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris"; id est jurisdictionem ordinariam aut delegatam.

(**A**) Ratio hujus asserti desumitur, ut recte tradit *Tridentinum*, ex ipsa natura absolutionis. Siquidem potestas remittendi vel retinendi peccata per modum *judicii* exercetur; atqui potestas judicialis valide exerceri nequit nisi in *subditum*, id est in eum qui judicis auctoritati seu jurisdictioni subjectus fuit a legitimo superiore; sicut, in rebus civilibus, non quilibet judex quamlibet causam cognoscere potest, sed quisque eas causas cognoscit quæ explicite vel implicite a legitimo superiore assignantur; si enim judices indiscriminatim quaslibet causas tractarent, nulla esset inferiorum ac superiorum subordinatio, sed totus justitiæ ordo turbaretur.

Ex hoc pariter intelligi datur cur jurisdictio in ceteris sacramentis ad licitam, non autem ad validam administrationem requiratur, dum ad validam absolutionem necessaria est : alia enim sacramenta per modum judicii non conferuntur, nec proinde jurisdictionem ex se postulant.

119. (**B**) Res etiam *historice* constat. Ex dictis enim, potestas remittendi peccata primis Ecclesiæ sæculis, ab Episcopo cujusque diœcesis exercebatur, et quidem in proprios subditos, ut patet ex epistolis *S. Cypriani;* quare S. Doctor reprehendit sacerdotes qui lapsos reconciliaverant, inconsulto Episcopo [1]. — Postea vero, a quarto et quinto sæculis, aucto fidelium et peccatorum numero, Episcopi *designare* cœperunt presbyteros pænitentiarios speciali alicui ecclesiæ *addictos*, qui ibi exciperent confessiones pænitentium [2]. — Quando in pagis et villis parœciæ institutæ fuerunt, potestas absolvendi, sicut cetera ecclesiastica munera obeundi, parochis commissa est. Hinc, quando Conc. *Lateranense IV* decretum tulit de annua confessione, præcepit ut fideles confiterentur *proprio sacerdoti*, id est parocho in subditos jurisdictionem habenti aut sacerdoti ab eo vel a legitimo superiore delegato. — Regularibus quidem, parœciam non habentibus, data est facultas

[1] **S. Cyprian.**, *ep.* 11, *P. L.*, IV, 257. — Constat pariter ex can. 4 *C. Carthaginensis II :* " Si quisquam in periculo fuerit constitutus et se reconciliari divinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem ejus præcepto reconciliare ". (Ap. **Bruns**, t. I, p. 119.)

[2] **Thomassin**, *Anc. et nouv. discipline de l'Eglise*, Bar-le-Duc, 1864, t. I, P. I, l. II, ch. 10 et 11, p. 381 sq. et ch. 23-26.

confessiones excipiendi, sed vi *delegationis* a S. Pontifice vel Ordinariis concessæ[1]. Semper igitur necessaria fuit aliqua jurisdictio ad exercendam absolutionis potestatem.

120. 2° *Posterius* autem, videlicet *hanc jurisdictionem non conferri vi solius ordinationis, sed superiorum concessione*, ex jam probatis sequitur. Nam *Tridentinum*, declarando absolutionem sacerdotis jurisdictione carentis esse nullius momenti seu valoris, supponit posse esse sacerdotem, qui jurisdictione careat; atqui si jurisdictio vi solius ordinationis concederetur, amitti non posset, cum potestas ordinis, sicut ipse sacerdotalis character, sit indelebilis; ergo jurisdictio non ab ipsa ordinatione profluit.

Quod etiam sic declarari potest. Omnis jurisdictio est vel *ordinaria*, id est ipso jure annexa officio quod conceditur, vel *delegata*, seu ex speciali commissione superioris ecclesiastici obtenta; atqui neutra vi solius ordinationis confertur; non prior, quia nemo vi ipsius ordinationis determinatam diœcesim aut parochiam accipit; non posterior, quia superiores ecclesiastici hanc specialem commissionem vi ordinationis concedere non intendunt, sed postea speciali ac distincto actu missionis conferunt.

121. *Objicitur* quidem Apostolis collatam fuisse a Christo completam potestatem absolvendi, proindeque jurisdictionem, his verbis : "*Accipite Spiritum S.; quorum remiseritis etc.*"; atqui eadem verba neo-ordinatis sacerdotibus dicuntur; ergo et ipsi eamdem potestatem accipiunt vi ordinationis. — *Resp.* Apostoli a Christo acceperunt utramque potestatem ordinis et jurisdictionis non præcise vi verborum "*Accipite etc.*", sed vi intentionis Christi, quæ sufficienter manifestatur præcedentibus verbis "sicut misit me Pater, et *ego mitto vos*". Unde licet verba "*Accipite*" neo-sacerdotibus dicantur, non exinde sequitur eos accipere potestatem jurisdictionis, quia Ecclesia his verbis eam concedere non intendit; neganda est igitur paritas.

122. Corollaria. 1° *Jurisdictio variis modis limitari potest a legitimis superioribus*, præsertim vero a R. Pontifice, qui supremam jurisdictionem habet in universa Ecclesia. Etenim superiores ecclesiastici, qui jurisdictione ordinaria pollent, eam concedere possunt vel non; ergo a fortiori possunt eam conferre modo plus minusve limitato, prout in Domino id expedire judicaverint. Hinc jurisdictio limitari

[1] **Thomassin**, *op. cit.*, c. 12, p. 401 sq.

potest *quoad homines*, quatenus facultas absolvendi certis hominibus aut hominum generibus restringatur; *quoad locum*, v. g., intra limites unius parœciæ; *quoad tempus*, ita ut elapso certo tempore expiret; *quoad peccata*, quatenus superior sibi reservare potest absolutionem a quibusdam gravioribus peccatis.

123. Quod *historice* constat. Quando episcopi presbyteris permiserunt a peccatis absolvere, sibi quædam gravissima reservarunt, ut facile probari posset ex multis *Conciliorum* particularium canonibus [1]. Ipsi *Romani Pontifices* sibi reservarunt quædam graviora crimina, ut ita fideles ab his perpetrandis efficacius deterrerentur. Ait enim *Tridentinum* [2]: "Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices maximi pro suprema auctoritate sibi in ecclesia universali tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare".

124. 2° *Jurisdictio requiritur etiam ad absolutionem peccatorum venialium.* Hoc quidem negarunt multi veteres theologi, etiam primi nominis, ut *S. Thomas* et *Scotus* [3], quia venialia etiam aliis sacramentis, in quibus non requiritur jurisdictio, remitti valent. Alii dixerunt quoslibet sacerdotes ab Ecclesia accipere jurisdictionem ad absolvendum a venialibus vi consuetudinis, absque speciali concessione; quod olim verum esse potuit, sed hodie in desuetudinem abiit; nam *Innocentius XI* decreto *Cum ad aures* prohibuit ne Episcopi permitterent ut venialium confessio fieret simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario [4]. *Codex* autem in can. 872 inter peccata non distinguit, et ideo tenendum est jurisdictionem requiri etiam ad venialium absolutionem; nam in Sacramento Pænitentiæ etiam venialia remittuntur per modum judicii; atqui judex validam sententiam ferre nequit absque jurisdictione; ergo.

---

[1] Hos canones invenies ap. **Thomassin**, *op. cit.*, P. I, l. II, ch. 13-14, t. I, p. 406-417. — [2] *Trid.*, sess. XIV, cap. 7, **D. B.**, 903.

[3] **S. Thom.**, in 4, dist. 18, q. 2, a. 3, sol. 1 ad 3; **Scotus**, in 4, d. 18, q. 4, a. 2, sol. 3.

[4] Pauci cum **Ballerini**, *Opus Morale*, De Pænit. n. 555, contrarium tenebant et decretum *Innocentii* intelligebant de liceitate, non autem de validitate absolutionis.

Art. IV. De necessitate Sacramenti Pænitentiæ.

125. Demonstravimus in priori capite (n. 17-56) Christum Ecclesiæ contulisse potestatem remittendi peccata, deinde (n. 69-73) talem remissionem per Sacramentum Pænitentiæ perfici. Nunc probandum assumimus in Nova Lege Sacramentum Pænitentiæ, *in re* vel saltem *in voto* susceptum, *unicum esse modum illius remissionis.* Cum autem peccator teneatur Deo reconciliari, tenetur pariter Sacramentum Pænitentiæ suscipere, sine quo reconciliatio fit impossibilis.

Duo expendemus : 1° Utrum *necne* sit *necessarium* Sacramentum Pænitentiæ; 2° *quomodo* et *quandonam* sit necessarium.

§ I. Utrum necne necessarium sit Sacramentum Pænitentiæ?

N.B. This sacrament must be received by those who commit mortal sin after Baptism

126. Cum ex tribus pænitentis actibus, confessio, ut jam passim exploratum est, non semper quidem oculis magis apparens, attamen omni tempore fuerit actus præparatorius ad pænitentiam, præceptum sacramenti pænitentiæ idem est ac *præceptum confessionis*, et hoc posteriori verbo, brevitatis causa, præcipue utemur.

127. Status quæstionis. 1° *Errores de Sacramenti Pænitentiæ necessitate.* Hanc negarunt Protestantes eorumque præcursores : (a) *Wicleffus*, dicens : " Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis "; quæ propositio damnata fuit a C. *Constantiensi* [1]; (b) *Lutherus*, qui tamen sibi consistens non fuit, asserens modo confessionem esse " cruentissimam carnificinam, quæ miseras torquet conscientias ", modo " afflictis conscientiis optimum remedium " [2]; (c) *Calvinus* [3], qui contendit auricularem confessionem, prout existit apud Romanistas, non a Christo, sed ab *Innocentio III* in Conc. *Lateranensi* fuisse institutam, et rem esse Ecclesiæ noxiam; (d) *moderni Protestantes*, etiam *Ritualistæ*, qui, licet ejus utilitatem agnoscant, tamen ejus necessitatem rejiciunt [4].

---

[1] D. B., 587.
[2] Apud Moehler, *Symbolik* (La Symbolique, Symbolism), § 33.
[3] *Instit.*, l. III, c. 4.
[4] " Absolutio in ecclesia anglicana — nos enim sacramentum Pænitentiæ in

128. Argumenta, quibus *hodierni protestantes* divinam institutionem simul et necessitatem confessionis impugnant, ab historia desumuntur et ad hæc reducuntur : (**a**) Inveniuntur quidem, apud auctores sacros et Patres, testimonia quædam de confessione : sed ibi agitur de confessione coram Deo, non autem apud sacerdotes facta; (**b**) aliunde confessio, quam antiqui Patres commemorant, non est auricularis, nec proinde sacramentalis, sed publica et ad reparandum scandalum communitati datum; (**c**) a sæculo septimo, in *Pænitentialibus*, describitur quidem auricularis confessio, sed ex modo quo peragitur, ex multis precibus recitatis, jejuniis ad hanc requisitis, aliisque adjunctis, clare colligitur eam fuisse valde extraordinariam; (**d**) ceterum, etiam sæculo XII, de ejus necessitate dubitatur, et quidam asserunt confessionem Deo factam sufficere, quin opus sit sacerdotibus confiteri. Ex quibus patet nonnisi sæculo XIII confessionem auricularem tanquam necessariam habitam fuisse [1].

129. 2° *Doctrina catholica.* Contra hos errores, *Tridentinum* [2] exponit doctrinam catholicam (**a**) de *divina institutione* et *necessitate* confessionis sacramentalis : —

" Ex institutione sacramenti Pænitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, *institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem*, et omnibus post Baptismum lapsis *jure divino necessariam* existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo, pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pænitentibus *omnia peccata mortalia*, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint ".

Tria hic asseruntur : *divina institutio* confessionis, ejus *necessitas*, necnon ejus *objectum*, videlicet *omnia peccata*

sensu Romanorum (catholicorum) non habemus — fidelium privilegium tantum censeri debet. Nulla adest obligatio peccata secreto aperiendi presbytero, cum lex generalis non sit; quique ita agunt, de altiori perfectione in religionis officiorum observantia gloriari non possunt; quique a confessione abstinent, jure accusari nequeunt se ab officio defecisse ". (**Morgan Dix***, *op. cit.*, p. 90).

[1] Quæ argumenta fuse exponit **Lea**, *op. cit.*, t. I, p. 168-273.

[2] *Trid.*, sess. XIV, cap. 5, **D. B.**, 899; **A. Michel**, *D. T. C.*, XII, 1069-1113.

mortalia post baptismum commissa, quorum conscientia habetur.

130. (b) Quoad *modum* vero *confitendi* [1], secretum aut publicum, addit S. Synodus : —

" Ceterum, quoad modum confitendi *secreto* apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua *publice* confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.

Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur ".

Ex quibus colligitur confessionem, sive *secretam* sive *publicam*, esse vere sacramentalem; neque tamen expedire ut præcipiatur confessio *publica* delictorum præsertim occultorum. Aliunde asseritur, etsi non definiatur, confessionem secretam *ab initio* Ecclesiæ in usu fuisse.

Ad quod melius intelligendum, sciendum est hanc quæstionem diligenter a theologis et episcopis Concilii fuisse perpensam; quidam censebant secretam seu auricularem confessionem a Christo institutam esse; alii vero putabant Christum confessionem quidem instituisse, sed nullo modo determinasse utrum secreta an publica esse deberet [2]. Concilium rem definire noluit, sed solummodo declaravit modum confitendi secrete non esse alienum ab institutione Christi, id est, juxta *Suarez* [3], non esse contrarium nec repugnare divino præcepto, imo esse consentaneum.

Quare duplex erit thesis : prior de *ipsa confessione;* posterior de *modo confitendi.*

---

[1] D. B., 901.

[2] Cfr. Theiner, *Acta genuina C. Trid.*, t. I, pp. 531, 540, 549, 557, 562, 580, 592, etc. — [3] Suarez, *De Pænit.*, disp. XXI, sect. II, n. 12.

131. *Thesis 1ª :* **Confessio sacramentalis est jure divino necessaria iis omnibus qui gravia peccata post baptismum commiserunt, eisque obligatio incumbit omnia et singula mortalia peccata confitendi.**

De fide est ex Tridentino[1] : "Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel *institutam* vel ad salutem *necessariam* esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; A. S. — Si quis dixerit in sacramento Pænitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri *omnia* et *singula peccata mortalia*, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta... A. S."

Diximus : (a) "*confessio sacramentalis*", abstrahendo a quæstione utrum *publica* sit, an *privata* seu *auricularis;* certum est confessionem publicam non requiri, imo sæpe inopportunam esse, ut ait *Tridentinum;* sed si de facto quandoque adhibeatur, in ordine ad absolutionem, hæc quoque erit confessio vere sacramentalis.

(b) "*Jure divino necessaria*", et quidem *stricte*, sub pœna damnationis quia confessio non est præceptum mere ecclesiasticum, sed divinum, quatenus implicite continetur in potestate remittendi peccata modo judiciali; hæc autem necessitas oritur ex præcepto *positivo*, ideoque quasdam patitur exceptiones, de quibus infra dicemus.

(c) "*Peccata gravia*", seu mortalia, cum venialia possint absque confessione remitti; hic autem notare expedit multa peccata, quæ hodie ut mortalia a theologis habentur, a quibusdam Patribus vocari venialia seu *minuta* : ita *Cæsarius Arelat.* inter *minuta* peccata commemorat juramenta, perjuria, detractiones, otiosos sermones, odium, iram, gulam, invidiam etc.[2]; jamvero illa sola peccata accusare tenebantur fideles, quorum gravitatis conscii erant. Nomine autem peccatorum gravium comprehenduntur peccata *interna* et *occulta*, ut expresse ait *Tridentinum.*

---

[1] Sess. XIV, can. 6-7, **D. B.**, 916, 917.

[2] Minuta enim peccata recensens, ait : "Cogitemus ex quo sapere cœpimus quid pro juramentis, quid pro perjuriis, quid pro maledictis, quid pro detractionibus, quid pro otiosis sermonibus, quid pro odio, quid pro ira, quid pro invidia, quid pro concupiscentia mala, quid pro gula, quid pro somnolentia, quid pro sordidis cogitationibus, quid pro concupiscentia oculorum, quid pro voluptuosa delectatione aurium..." (*Sermo* 257, *P. L.*, XXXIX, p. 2220).

N.B. Christ did not say it was explicitly but gave the powers - "judicial powers" [illegible]

(d) *Omnia* autem mortalia et *singula distincte* accusari debent, in quantum fieri potest.

Fundamentum hujus doctrinæ in *Scriptura* habetur; plena probatio ex *Traditione* desumitur; *ratio* autem hujus dogmatis *convenientiam* ostendit.

I. Confessionis institutio et necessitas ex Scriptura infertur [1].

132. 1° Ex verbis *S. Matthæi* de potestate clavium, necnon *S. Joannis* circa potestatem remittendi et retinendi peccata, legitime infertur *divina institutio* confessionis; Christus enim potestatem clavium concessit per modum *judicii*, ita ut sacerdos non possit, pro libitu, ligare aut solvere, remittere aut retinere, sed solum juxta leges æquitatis et prudentiæ. Atqui tale judicium proferri nequit sine prævia confessione omnium mortalium; nam judicium æquum et sapiens ferri non potest nisi causa cognita, et quidem in particulari; et aliunde causa regulariter cognosci nequit absque pænitentis confessione, qui *solus* peccata sua *secreta* revelare potest, aut etiam externorum peccatorum veram *malitiam*, quæ ex interno actu voluntatis pendet.

Præterea potestas Apostolis eorumque successoribus collata amplectitur facultatem tum *remittendi* tum *retinendi* peccata; porro talis potestas indiscriminatim exerceri nequit : antequam spiritualis judex sententiam ferat, debet scire utrum peccata commissa fuerint an non; imo eorum *numerum* et *gravitatem* cognoscere tenetur, necnon peccatoris *interiores dispositiones*, ut prudenter judicare valeat utrum remitti an retineri debeant, et qualis satisfactio imponenda sit. Porro ad hoc generaliter requiritur *integra* et *distincta* mortalium confessio : secus plerumque judicium nec æquum nec prudens erit. Ergo Christus, concedendo Ecclesiæ potestatem remittendi peccata per modum judicii, eo ipso instituit confessionem.

133. 2° Ex iisdem textibus colligitur confessionem necessariam esse omnibus qui in peccatum grave lapsi sunt.

---

[1] **Cambier**, *De divina institutione confessionis* (thesis), Lovanii, 1884; **Palmieri**, Th. 33, p. 401-419; **L. de San**, n. 756-780; *D. T. C.*, t. III, verbo *Confession*.

Xst gave power & expect the men to use their head, hence institute a preceding. He gave power men must use it.

(**A**) Etenim, ex verbis "*Quorum remiseritis...*" Dominus in Ecclesia sua tribunal constituit ad remissionem aut retentionem peccatorum; porro quando princeps tribunal statuit in regno suo ad causarum cognitionem, satis clare manifestat hanc esse viam jure communi *necessariam* ad lites terminandas : nam, si judices non possent reos cogere ad se sistendum coram tribunali, eorum potestas vana esset, cum posset impune contemni. Ita si Christus, sacrum tribunal instituendo, non præcepisset peccatoribus ad hoc recurrere, sed reliquisset aliud medium ordinarium quo justificari possent, sacerdotum potestas illusoria esset : quis enim humili confessioni et laboriosæ pænitentiæ sese subjiceret, si præsto esset aliud medium minus laboriosum ad veniam peccatorum consequendam?

Quæ sane conclusio firmatur ex loco parallelo, ubi de potestate clavium agitur. Potestas enim peccata remittendi nihil aliud est nisi quædam specialis attributio seu exercitium potestatis clavium, ut jam dictum est, n. 24. Potestas igitur peccata remittendi eamdem vim habet ac potestas clavium. Porro potestas clavium supponit vim obligandi omnes fideles, in peccatum mortale post Baptismum lapsos, ut ad illam recurrant pro istiusmodi vinculi solutione : "Tibi dabo claves regni cælorum; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo..." Sicut enim nemo in domum, quæ clausa est, ingredi potest, nisi janitor ostium aperiat, ita nemo, cui porta cæli per peccatum mortale clausa est, regnum Dei ingredi potest, nisi porta a janitore, cui Christus claves tradidit, aperiatur; secus potestas clavium illusoria esset : quid enim prodest claves habere, si absque eis, invito ostiario, aditus patet? Ergo potestas remittendi peccata, sicut ipsa potestas clavium, vim habet obligandi peccatores ut ad sacrum tribunal recurrant.

(**B**) Confirmatur ex Johannei textus ultima parte "*et quorum retinueritis retenta sunt*"; cujus sensus est : si retinueritis vos, retineo et ego. Peccatum igitur non remittitur a Deo, Apostolis retinentibus; et ideo peccator Apostolica potestate eget pro venia assequenda; nam aliter, Apostolis retinentibus, Deus non retineret; vana evaderet Apostolorum potestas, et falsa Christi verba. Ergo potestas retinendi peccata supponit apostolos eorumque successores posse obligare peccatores ut ad sacrum tribunal recurrant, ad consequendam remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi.

134. In medium proferuntur quidam alii textus qui ad confessionem sacramentalem spectare videntur; de quibus pauca adnotare liceat,

(a) In libro *Actuum* (XIX, 18) legitur : "Multique credentium veniebant *confitentes* et annuntiantes actus suos. Non pauci theologi, cum *Bellarmino*, putant hic agi de fidelibus et de confessione sacramentali; nam græca vox ἐξομολογούμενοι hic adhibita, ea est qua Græci utuntur ad confessionem sacramentalem designandam. Multi vero alii, quales sunt *Beelen*, *Patrizi*, tenent hic sermonem esse de Judæis et Gentilibus nondum baptizatis sed, ob visum prodigium, conversis et credere incipientibus; proinde non de confessione sacramentali, sed de illa generali peccatorum accusatione, quæ baptismum præcedebat. Hanc ultimam sententiam ut probabiliorem habemus.

(b) Allegantur etiam verba *Jacobi*[1] : "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra". Multi sane Patres[2] et theologi hæc intelligunt de confessione sacramentali; proferuntur enim post verba de remissione peccatorum per sacram unctionem : sensus est igitur infirmos debere confiteri peccata sua, et vox *alterutrum* designat unum e sacerdotibus in præcedenti versiculo designatis. — Sed non pauci alii, ut *Beelen*, censent hic agi de confessione facta viro prudenti, ad petendum ab eo consilium et auxilium ejus orationis impetrandum. Quæ pariter interpretatio vere probabilis est.

II. Confessio sacramentalis ex Traditione probatur[3].

Called it confession

135. Status quæstionis. Contendunt Protestantes confessionem non esse jure divino institutam, cum, etiam sæc. XII°, inter Doctores quæstio agitaretur utrum *sacerdotibus* peccata confitenda essent an *soli Deo;* ut constat ex verbis *Decreti Gratiani* (1150).

Gratiani decreti sensum mox exponemus. Interea Protestantium difficultates melius solvi nequeunt quam confessionis *historiam* breviter delineando. Jamvero tria præsertim stadia in hac historia delineari possunt : 1° quatuor prioribus sæculis *prævalet pœnitentia publica*, cujus pars erat

[1] *Jacob.*, V, 16.

[2] Inter quos **Origenes**, *homil.* 2 in Levit., *P. G.*, XII, 419.

[3] **Morinus**, *op. cit.*, lib. II; **Palmieri**, th. 33-35, p. 401-449; **Cambier**, *op. cit.*, p. 96-323; **L. de San**, n. 779-870; **Pignataro**, *op. cit.*, p. 25-56; **Pellé**, *op. cit.*, p. 279-449; **Vacandard**, *La Confession sacramentelle dans l'Eglise primitive*, Paris, 1903; *D. T. C.*, verbo *Confession*.

confessio peccatorum sive publica sive occulta; 2° a quinto ad duodecimum, pænitentia minus rigorosa evadit, et confessio *privata* fit frequentior; 3° a sæculo duodecimo, cessante pænitentia publica, *sola* remanet *privata* confessio et satisfactio. Duo priora stadia delineare sufficit.

1° Confessio sacramentalis per quatuor priora sæcula floruit.

Duplex argumentum afferemus : prius e *disciplina pænitentiali;* posterius e *Patrum testimoniis.*

136. 1° Probatur *argumento generali* ex ipsa **pænitentiali disciplina** desumpto. Talis siquidem erat hujusmodi disciplina ut aliquam *confessionem, sive publicam sive occultam*, necessario supponeret.

(**A**) *Facta exponuntur.* Disciplina pænitentialis consistebat in complexu operum pœnalium quæ Ecclesia christiano peccatori *imponebat*, et ex indole hujus obligationis necessitas confessionis clare apparet. Etenim : (**a**) hæc obligatio erat *strictissima*, sub pœna æternæ damnationis : quando fideles de severitate hujus pænitentiæ querebantur, Patres respondere non dubitabant medium non dari inter hanc et pœnas inferni; (**b**) *auctoritate Dei ipsius* imponebatur : quando martyres lapsis libellos præbebant quibus a pænitentia liberarentur, S. Cyprianus aliique episcopi id reprobant, asserentes neminem posse dispensare a lege divinitus statuta; (**c**) obligatio pænitendi se extendebat ad *omnia peccata* quæ Ecclesia tanquam *gravia* existimabat ideoque non solum ad gravissima crimina, nempe ad apostasiam, fornicationem et homicidium, sed ad communia delicta, quæ a receptione sacræ communionis arcebant, v. g., furta, impudicitiæ, fraudes, judicia temeraria, violatio fidei, etc., quatenus distinguuntur a levioribus culpis quæ potestati clavium non subjiciuntur[1]; — nec solum ad publica et externa, sed etiam ad *occulta* et *interna*, prout docet *S. Pacianus :* " Addo etiam non solum manus in homicidio plecti,

[1] **Tertul.**, *De pudicitia*, c. 18, *P. L.*, 1017; c. 19, *P. L.*, 1028; **S. Cyprian.**, epist. IX, n. 2, *P. L.*, IV., 251; **S. Pacianus**, *Ep. ad Sempronianum*, c. 24; *P. L.*, XIII, 1079; *Paænesis ad pænit.*, c. 4, *P. L.*, XIII, 1083.

sed et omne *consilium* quod alterius animam impegit in mortem; nec eos tantum qui thura mensis adolevere profanis, sed omnem prorsus libidinem extra uxorium thorum et complexus licitos evagantem" [1].

(**d**) *Modus pænitendi* arbitrio peccatoris non relinquebatur, sed ab *ipsa Ecclesia* determinabatur : ad consequendam peccatorum remissionem, peccator ab Episcopo aut ejus vices gerente primum inter pænitentes recipi debebat, eique se subjicere quoad tempus et modum pænitendi.

137. (**B**) *Conclusio eruitur.* Porro hæc omnia necessario *supponunt aliquam peccatoris confessionem episcopo factam*, sive agnoscendo veritatem peccatorum quæ auctoritati ecclesiasticæ denuntiata fuerant, sive spontanee confitendo delicta a se commissa : quomodo enim Ecclesiæ minister potuisset inter pænitentes accipere posteaque absolvere eos quorum delicta ejus judicio subjecta non fuerant? Aliunde hæc confessio ut *necessaria ad salutem*, et quidem *jure divino*, existimabatur; et, ut diximus, ad *omnia peccata gravia* se extendebat. Ergo ex ipsa institutione disciplinæ pænitentialis constat thesis nostra, quæ cæteroquin multis Patrum testimoniis confirmatur.

138. 2° Probatur *testimoniis Patrum.* Antequam singula afferamus, prænotamus aliquem fuisse *progressum* in expositione hujus dogmatis et in praxi confessionis. (**a**) Divina institutio et necessitas *confessionis* non explicite, sed *implicite* tantum in allatis Scripturæ textibus continentur quatenus includitur in *potestate clavium :* nonnisi modo *generali* et *confuso* designatur materia confessionis. (**b**) De *tempore* quo urget confessionis præceptum nil statuitur. (**c**) Pariter nil Christus definit circa *modum* confitendi, secretum aut publicum. (**d**) Tandem præceptum ligat tantum eos qui conscii sunt peccati mortalis; jamvero, ut supra dictum est, n. 131, his temporibus tanquam *minuta* habebantur multa peccata quæ hodie, propter christianæ conscientiæ educationem, ut mortalia agnoscuntur [2]. Multi proinde fideles,

[1] *Parænesis ad pænit.*, c. 5, 6, 7, *P. L.*, XIII, 1084 sq.

[2] Attamen notatu dignum est Sanctum Paulum ut a regno cælorum excludentia habere quædam ex peccatis quæ *S. Cæsarius* æstimat esse *minuta*.

qui immunes erant a gravioribus peccatis, ad sacramentum Pænitentiæ non accedebant : tunc enim usus non vigebat confitendi venialia, devotionis causa. (e) Ex altero capite, non pauci peccatores a confessione deterrebantur ob laboriosam et diuturnam pænitentiam quæ tunc imponi solebat; et, cum nullum speciale tempus præfiniretur ad confessionem instituendam, multi eam plus æquo differebant.

Confessio igitur minus frequens erat quam nostris temporibus, ideoque non sæpe a Patribus commemoratur.

139. (A) Sæc. *secundo*, *S. Irenæus* de confessione loquitur tanquam *necessaria* ad gratiam recuperandam. Narrat enim quasdam mulieres a Marco, mago et hæretico, fuisse corruptas, et addit : "Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas valde illum dilexisse"[1]. Hanc autem confessionem esse *necessariam* infertur ex sequentibus : "Quædam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt; quædam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, *desperantes* a vita Dei"[2]; nam quæ, ob pudorem, peccata sua confiteri noluerunt, gratiam Dei non receperunt et in desperationem lapsæ sunt.

140. (B) Sæculo *tertio*, plura jam habemus testimonia, in Ecclesia tum latina tum græca, non solum de confessione publica, sed etiam de privata.

(a) Publicam confessionem describit *S. Cyprianus :* "Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti *confessio* ejus potest, dum satisfactio et remissio facta *per sacerdotes* apud Dominum grata est"[3]. Ibidem[4] laudat eos qui, licet idololatriam externe non commiserunt, "quoniam tamen de hoc *cogitaverunt*, hoc ipsum apud *sacerdotes* Dei dolenter et simpliciter confitentur". Hic sane agitur de confessione sacramentali, quam sequitur peccatorum remissio, facta sacerdotibus, et in qua manifestantur etiam interna peccata seu cogitationes.

---

[1] *C. hæres.*, l. I, c. 13, n. 7, *P. G.*, VII, 587.

[2] *Ibid.*, n. 7, *P. G.*, VII, 591. — Cf. tamen **Amann**, in *D. T. C.*, v° *Pénitence*, col. 765. — [3] *De Lapsis*, c. 29, *P. L.*, t. IV, 489; **R.**, 553.

[4] *Ibid.*, c. 28, *P. L.*, IV, 488.

(b) *Origenes* de variis mediis loquens, quibus obtineri possit peccatorum remissio, sacramentalem confessionem sic commemorat[1] : "Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per pænitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis suis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, et cum non erubescit *sacerdoti Domini indicare peccatum* suum et quærere medicinam"... Hujus confessionis *necessitatem* diserte asserit atque comparatione illustrat[2] : "Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam".

(c) Quibus verbis addi possunt quæ scribit *S. Petrus Alexandrinus* de occulto raptore[3] : "Deinde per *confessionem* peccatum suum *sacerdoti* manifestans, nitens in contrarium, eleemosynas scilicet faciens, curabit infirmitatem".

141. (C) Sæculo *quarto*, frequentius adhuc Patres de utroque confessionis genere disserunt.

(a) Ita, apud *Latinos*, *S. Ambrosius*, ad pænitentiam et confessionem peccatores sic hortatur : "Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est ut unusquisque crimina sua prodat; sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas[4]... Sed si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.[5]" Hic autem agi de confessione non soli Deo facta, sed etiam ejus ministris, ex sequentibus patet[6] : "Nonnulli ideo poscunt pænitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt quam *sacerdotem ligare :* suam enim conscientiam culpa non exuunt, et sacerdotis induunt, cui præceptum est : *Nolite sanctum dare canibus*"... Ibi enim supponitur sacerdotes esse *judices*, eosque peccato ligari, si citius absolvunt.

S. Pacianus, qui tam explicite asseruerat potestatem remittendi peccata sacerdotibus inesse, supra n. 53, non minus diserte confes-

---

[1] *Homil. in Levit.*, II, 4, *P. G.*, t. XII, p. 418; **R.**, 493.
[2] *Homil.* II in Ps. XXXVII, n. 6, *P. G.*, XII, 1386.
[3] *Ap.* **Mai**, *Spicilegium Romanum*, t. VII, p. 465.
[4] *De pænitent.*, l. II, c. 1, *P. L.*, t. XVI, p. 497.
[5] *Ibid.*, c. 6, *P. L.*, XVI, 507. — [6] *Ibid.*, c. 9, p. 517-518.

sionis, etiam occultorum peccatorum, necessitatem urget : "Quid facies, tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos... Peccator timebit? Peccator erubescet perpetuàm vitam præsenti pudore mercari?... Quod si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum timere nolite "[1].

142. (b) Inter *Græcos*, hæc speciali notatu sunt digna.

Aphraates, sapiens Persa dictus, de pænitentiæ et confessionis necessitate ita loquitur (an. circiter 340) : "Ita eum qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri, illudque relinquere, et pænitentiam in remedium postulare. Qui vulnus suum prodere erubescit, gangræna corripietur, totumque corpus damno inficiet; quem autem non pudet vulnus manifestare, sanabitur et ad prælium iterum descendet... Ita prorsus ei qui in agone nostro superatus est, hæc superest via sanitatem recipiendi, ut scilicet dicat : *Peccavi*... Vos igitur, medici, qui insignis Medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est ". Hic sane agitur de confessione *sacerdotibus* facta, qui nomine spiritualium medicorum designantur; et quidem de confessione occulta; nam sacerdos peccata accusata non debet aliis manifestare; sacerdotes enim ita alloquitur : "Cumque ipsam (infirmitatem spiritualem) vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt, innocentes in culpa esse judicentur "[2]. — Brevius, sed non minus directe *S. Gregorius Nyssenus*[3] : "Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per *enuntiationem peccatum suum sacerdoti aperuerit*, vitii studio in contrarium mutato ægritudinem curabit ".

143. Conclusio. E præfatis testimoniis inferre licet Ecclesiam, publicam pænitentiam imponendo, eo ipso confessionis necessitatem affirmasse, non tantum verbis, sed modo practico, nempe seriem actuum præscribendo ad remissionem peccatorum necessariam, inter quos inveniebatur confessio quæ eo magis necessaria reputabatur quod esset veluti janua qua christiani peccatores viam salutis denuo ingredi valebant.

---

[1] *Paræsis ad pœnitentiam*, *P. L.*, XIII, 1086.
[2] Demonstratio VII, n. 3-4; Patrol. syriaca, curante *Graffin*, t. I, p. 318-319
[3] *Ep. canonica*, can. 6, *P. G.*, XLV, 234.

2° Confessio sacramentalis a sæc. V° ad XII^um^.

144. (A) Jam a sæculo V°, prima vestigia invenimus cujusdam *immutationis*, non quidem in ipsa doctrina, sed in *disciplina pœnitentiali* sive in genere sive quoad confessionem : paulatim videlicet abrogatur obligatio longam et laboriosam pœnitentiam perficiendi ante absolutionis susceptionem, non obstantibus paucorum hæsitationibus, ideoque, frequentior fit confessio. Cujus immutationis præcipua causa ex eo desumitur quod fideles, pœnitentiæ severitate perterriti, exomologesim magis ac magis differebant, sæpe usque ad mortem. Exinde duplex nata est mitigatio.

145. (a) Quoad *moribundos*, absolutio peccatoribus concessa est antequam pœnitentiam compleverint, ne ex hac vita sine communione migrarent, ut constat ex *ep. Innocentii I :* " Quæsitum est quid de his observari oporteat qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiæ simul et reconciliationem communionis exposcunt... Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in extremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur "[1].

146. (b) Quoad *sanos*, paulatim mitior etiam agendi ratio prævaluit.

1) Jam enim sæculo quinto, *S. Augustinus* testatur suo tempore duplicem esse pœnitentiam, unam *mitiorem* pro peccatis *occultis*, etiam gravissimis ut adulterio, alteram *strictiorem* pro peccatis *publicis :* sed hæc etiam mitigabatur[2]. Pariter *S. Leo*, *publicam* pœnitentiam a *privata* distinguens, priorem imponit pro idololatria, homicidio et fornicatione, sed declarat alia peccata gravia, v. g., comedere de escis immolatitiis, posse jejuniis et manus impositione purgari; alibi peccatores hortatur, qui inter publicos pœnitentes non recensentur, ut quotannis, præsertim ante Pascha, mitiorem pœnitentiam peragant, in qua supplicationibus sacerdotum juvabuntur[3]. Quod et lucidius exponit *S. Cæsarius Arelatensis :* " Et ille quidem qui pœnitentiam publice accepit poterat eam secretius

---

[1] *P. L.*, XX, 498; **D. B.**, 95. Ibi etiam alia datur ratio, " et ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem et duritiam sequi videamur ".

[2] *Sermo* LXXXII, 11, *P. L.*, XXXVIII, 511; cfr. *De fide et operibus*, 48; *Enchiridion*, 80; *Cont. lit. Petil.*, III, 44.

[3] *Epist.* CLXVII, inquisit. 19, *P. L.*, LIV, 1209; *Epist.*, CVIII, 2, *P. L.*, LIV, 1011; *Sermo* XLIII, 2, 3; XLIV, 1; XLIX, 1, 2; L, 1, 2; *P. L.*, LIV, 282, 285, 301, 305 sq.

agere; sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia mala solum non sufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere "[1]. — In Ecclesia græca similis mitigatio invenitur [2].

2) Eodem tempore non semel tantum, sed *sæpe absolutio* pænitentibus conceditur. Ita *S. Chrysostomus* peccatores benigne excipiebat, ita ut in synodo *ad Quercum* ab episcopo Isaacio insimulatus fuerit "quod licentiam peccantibus præbeat, sic docens : si iterum peccasti, pæniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo "[3]. *S. Basilius* et *S. Joannes Climacus* etiam supponunt monachos satis frequenter absolvi [4].

3) Mox ad omnes fideles, etiam *non ægrotantes* extenditur privilegium moribundis olim concessum nempe absolutionem accipiendi *statim confessione peracta*, quia nempe, ob perturbationes temporum, reapse aliquo modo in periculo mortis versantur. Ita inter *statuta S. Bonifacii* († 755) legitur (n. XXXI) : "Et quia varia necessitate præpedimur canonum statuta de conciliandis pænitentibus pleniter observare, propterea omnino non dimittantur. Curet unusquisque presbyter statim post acceptam confessionem pænitentium singulos data oratione reconciliari. Morientibus vero sine cunctamine communio et reconciliatio præbeatur "[5].

147. (B) Aliunde, non tantum privati Doctores, sed *Ecclesia* ipsa *directe et explicite* confessionis necessitatem variis modis inculcavit : (a) statuendo, jam a quinto sæculo, *sacram communionem* certis temporibus recipiendam esse, et aliunde peccatoribus necessitatem incumbere *peccata confitendi ante communionem;* ideoque confessariorum augendo numerum, quo facilius pænitentes ad eos recurrere valerent.

(b) *Libros pænitentiales* edendo, in quibus exponebatur quænam pœnæ cuique peccato responderent, et tradebantur formulæ ad interrogandos pænitentes [6]. Hujusmodi libri jam sæculo sexto in

---

[1] *Sermo* CCLXI, 1, *P. L.*, XXXIX, 2227.

[2] **Pseudo-Areopagita**, epist. VIII, 1, *P. G.*, III, 1088; *De ecclesiast. hierar.*, III, 2-3, 7. *P. G.*, III, 436, 452; **S. Joannes Climac.**, *Liber ad Pastorem*, *P. G.*, LXXXVIII, 1196.

[3] **Labbæus**, *Concilia*, t. II, p. 1328.

[4] **S. Basil.**, *Regulæ brevius tractatæ*, interrog. 229, 288; *P. G.*, XXXI, 1236, 1285; **S. Joan. Climac.**, *Scala*, grad. IV, *P. G.*, LXXXVIII, 705.

[5] *P. L.*, LXXXIX, 823.

[6] Quosdam ex his libris invenies ap. **Morinum**, *op. cit.*, Appendix; præcipue vero ap. **H. G. Schmitz**, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche*, 1883; *Die Bussbücher und das Kanonische Bussverfahren*, 1898. Cf. **Tixeront**, *Hist. des Dogmes*, III, 387 sq. — Pauca, exempli gratia, excerpere liceat ex Pænitentiali *S. Columbani*, (an. circiter 600) : "Si quis igitur per

Hibernia et Anglia recepti, ineunte sæculo septimo, a S. Columbano in Galliam et Italiam introducti sunt, et quidem eo fine ut ostenderetur viam ordinariam peccatorum veniam consequendi esse confessionem privatam, quam sequebatur absolutio. Quapropter frequentiores jam fuerunt confessiones primum quidem in monasteriis, moxque inter ipsos fideles.

148. (c) *Pœnas canonicas* ferendo contra eos qui sine confessione peccatorum moriebantur; ita, v. g., Concilium *Chalcutense* (*Kent*) in Anglia habitum, an. 787, explicite loquitur de confessione *sacerdoti facta*, ejusque necessitatem his verbis inculcat : " Si quis autem (quod absit) sine pœnitentia aut confessione de hac luce discessit, pro eo minime orandum est " [1].

(d) *Tempora definiendo* pro confessione facienda. Secundum regulam *Chrodegangi*, Metensis episcopi, canonici bis in anno confiteri debent episcopo, una vice in initio quadragesimæ ante Pascha, altera vice a medio mense Augusto ad Kalendas Novembris [2]. Alia concilia præfiniunt tempora ipsis laicis; sic *C. Strigonense* (Gran), an. 1114, statuit laicos debere peccata confiteri et communionem accipere ter in anno, festis Paschæ, Pentecostes et Nativitatis Domini [3]. Hinc *C. Parisiense VI* præcipit sacerdotibus ut in suis parœciis maneant, " ne homines sine confessione et infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur " [4]. Ita paulatim via parabatur statutis *C. Lateranensis IV* (1215), in quibus decretum est fideles saltem semel in anno proprio sacerdoti sua peccata confiteri debere.

149. *Solvitur difficultas ex decreto Gratiani* [5]. Ex dictis patet necessitatem confessionis sæc. XII° aperte ab omnibus agnitam fuisse. Attamen *Gratianus* in parte *Decreti* ubi de pœnitentia agit, dubitare videtur tum de *necessitate* tum de *efficacia* confessionis.

1) Quoad *necessitatem*, scribit [6] : " Quidam *Deo* solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero *sacerdotibus* confitenda esse percensent, ut fere tota sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita

---

cogitationem peccaverit, id est concupierit hominem occidere, aut fornicari, aut furari, aut clam comedere et inebriari; vel certe aliquem percutere... majora dimidio anno; minora quadraginta diebus, in pane et aqua pœniteat... Si quis furatus fuerit, anno pœniteat. Si quis percusserit per rixam fratrem suum, et sanguinem fuderit, tribus annis pœniteat, etc. " (*P. L.*, LXXX, 225).

[1] **Mansi**, XII, p. 949. — [2] **Mansi**, XIV, p. 320.

[3] **Hefele-Leclercq**, t. V, p. 542.

[4] Can. 29, ap. **Mansi**, XIV, p. 558.

[5] Cfr. **P. Galtier**, *op. cit.*, n. 362-372.

[6] *Decretum*, De pœnit. dist. I, c. 90, p. 1189 ed. *Friedberg*.

dumtaxat ut Deo, qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, et hoc perfectorum est... sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque, quæ soli Deo fit, quod justorum est, purgat peccata. Ea vero, quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata".

Quando autem *Gratianus* Græcis opinionem tribuit soli Deo esse confitendum, id asserit ex *Burchardo*, qui et ipse hoc assertum desumpsit e Theodoro Cantuariensi. De hac quæstione *facti* deceptus est igitur auctor *Decreti*, sed ipse asserit *sacerdotibus* confitendum esse, ut docet *fere tota sancta Ecclesia;* et, nisi deceptus fuisset, vocem *fere* omisisset, et, cum tota Ecclesia rem ut certam tradidisset.

2) Quoad confessionis *efficaciam*, sciendum est inter Doctores Medii Ævi diu agitatam fuisse *speculativam* quæstionem utrum remissio peccati *in ipsa confessione* fieret an *in actu contritionis* ante absolutionem elicito cum *voto* peccata confitendi. *Gratianus* ipse, in *Decreto*, can. 33, 34, 36, eamdem quæstionem expendit. Ita exemplum adducit *leprosi*, qui a morbo sanatur antequam ad sacerdotes accedat : "*Antequam* ad sacerdotes perveniat, emundatur, dum per contritionem cordis *ante* confessionem oris peccati venia indulgetur". Iterum, post can. 36, ait : "Cum ergo ante confessionem sumus resuscitati per gratiam, evidentissime apparet quod sola contritione cordis sine confessione oris peccatum remittitur". Ex his aliisque textibus patet hic agi de quæstione speculativa de instanti quo fit peccatorum remissio, non autem de ipsa efficacia confessionis.

150. Conclusio. (**A**) Ecclesia igitur *tota sua agendi ratione* profitetur a primis sæculis, confessionem sacramentalem esse medium divinitus institutum, et quidem necessarium iis omnibus qui post baptismum graviter peccaverunt. Id apparet : (**a**) primum *indirecte* ex eo quod confessio habetur ut conditio prævia ad satisfactionem et absolutionem peccatorum necessaria; (**b**) postea magis *directe* quando, mitigata pænitentiali disciplina, Ecclesia confessionem habet tanquam conditionem necessariam ad privatam pænitentiam et absolutionem. Si qua orta sunt dubia, hæc explicantur tum ex reluctantia quorumdam fidelium, tum ex insufficentia argumentorum quibus propugnabatur doctrina; sed Ecclesia ipsa nunquam de hac obligatione dubitavit.

(**B**) Attamen admitti potest ac debet quidam profectus in frequentia confessionis et modo confitendi : hæc enim,

utpote a Christo non distincte declarata, auctoritati Ecclesiæ relinquebantur, pro diversitate et opportunitate temporum, definienda.

III. Confessionis utilitas ratione ostenditur [1].

151. Posita divina confessionis institutione, ejus convenientia ostendi potest :

1° **Ex parte Dei.** Peccatum siquidem includit actum *superbiæ* et *inobedientiæ* qui reparari debet; atqui meliori nequit reparari modo quam per peccatorum sinceram confessionem; qui enim dixerat saltem æquivalenter : *non serviam*, per confessionem Deo *se subdit* dicens : *peccavi*, et delicta sua recogitans in amaritudine animæ suæ, ministroque Dei candide ac *humiliter* aperiens, superbiam edomat et offensam Deo irrogatam in quantum fieri potest compensat : siquidem "cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies".

152. 2° **Ex parte hominis.** (a) Confessio *pacem* et *securitatem* animis præbet; unum e præcipuis bonis quibus frui possumus est profecto pax animæ; atqui peccator vix pacem animique securitatem invenire potest absque confessione sacramentali; quamvis enim dolorem de peccatis concipere nitatur, et pro eis satisfacere, nescit tamen utrum amore vel odio dignus sit, nam *nemo judex in propria causa;* ex adverso, si omnia gravia peccata Dei ministro humili confessione pandit, hic de eis judicare potest, necnon de dispositionibus pænitentis et de æquitate satisfactionis jam præstitæ vel præstandæ, sicque evanescunt animi angores et conscientiæ remorsus [2].

(b) Pariter confessio *a peccatis deterret :* nam si desola-

---

[1] **J. de Maistre**, *Du Pape*, l. III, ch. 3; **P. Félix**, *De la confession : pourquoi on se confesse et pourquoi on ne se confesse pas?* Paris, 1892; **Bougaud**, *Le Christianisme et les temps présents*, 6e éd., 1902, t. V. ch. 6, p. 145-182; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, II, 464-468.

[2] Quod candide fatentur non pauci Protestantes, v. g., *E. Naville* (apud **de Baudry**, *La Religion du Cœur*, p. 84 sq.) : "Quis enim peccator cupiditatis oculos ad tribunal pænitentiæ non convertit? Quis non concupivit, in amaritudine animæ suæ et incertitudine divinæ remissionis, ex ore ejus qui Christi auctoritatis particeps est, hæc verba audire : Vade in pace, remissa sunt peccata tua"?

tione desolata est terra, quia nemo est qui recogitet corde, qui conscientiam suam frequenter discutit ut omnia peccata a se commissa confiteatur, hujusmodi periculum evadit; siquidem conscientiam scrutando, occasiones peccandi videt et fugit, media ad tentationes superandas discit; præterea obligatio omnia, etiam secretissima, aperiendi eum vigilantiorem efficit, ita ut nullum sit efficacius frænum ad coercendos peccatores quam sacramentalis confessio.

(6) Confessio etiam *virtutum praxim* maxime promovet. Cum enim debiles et inconstantes simus, amico et duce indigemus in vita spirituali : "Fluctuamus inter varia consilia, inquit *Seneca* (Ep. 52); nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. Nemo per se satis valet ut emergat; oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat... Non duce tantum opus est, sed adjutore et ut ita dicam coactore". Atqui in confessione sacramentali invenimus *amicum* fidelissimum, cui, sub secreti inviolabili sigillo, delicta, infirmitates et vulnera cordis aperire possumus; *ducem* spiritualem qui vias Domini nos edocebit, ostendendo quid vitare, quid agere debeamus non generali modo, ut fit in prædicatione, sed speciali, nostris infirmitatibus accommodato, juxta illud : "Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur *tibi* quid *te* oporteat facere"[1]; *adjutorem*, qui zelo Dei flagrans, nos veluti coget ad vitia expellenda virtutesque colendas,

Hinc *Leibnitzius*[2] ait : "Totum autem hoc institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in christiana religione præclarum et laudabile est quod et Sinenses ac Japonenses sunt admirati; nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem præstat, ut adeo putem pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem; prodest enim consilium ejus ad regendos affectus, ad animadvertenda vitia, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituendum ablatum... ad dubia eximenda, ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique mala aut tollenda aut mitiganda; et cum fideli amico vix quidquam in rebus humanis præs-

[1] *Act.*, IX, 7.
[2] *Systema theol.*, Parisiis, 1819, p. 270.

tantius reperiatur, quanti est, cum ipsa sacramenti divini inviolabili religione, ad fidem servandam opemque ferendam astringi? "[1]

153. 3° **Ex parte societatis.** Societas enim, sine legum custodia, secura vix consistere potest; atqui ad legum custodiam confessio multum inservit; prudens enim confessarius legum humanarum simul ac divinarum observantiam urget, societatem domesticam, quæ societatis civilis est fundamentum, recte ordinat, lites et dissidia componit, inimicos reconciliat, bonorum ablatorum restitutionem procurat, scandala prævenit vel reparat; imo confessio hanc æqualitatem, de qua nostra ætas gloriatur, maxime promovet, cum lex confitendi omnes afficiat, reges seu præsides æque ac subditos, nobiles ac divites æque ac pauperes, nec in sacro tribunali ullum fiat discrimen inter diversæ conditionis pænitentes[2].

154. *Objiciunt* quidem adversarii confessionem sacramentalem ansam præbere multis abusibus et sæpe pænitentibus æque ac ministris perniciosam esse. — *Resp.* Aliquando abusus in hanc praxim *per accidens* irrepere concedimus, sed raro; nam Ecclesia, tum gravibus pœnis plectendo sollicitantes ad turpia, tum excommunicando absolventes complicem in peccato turpi, cogendoque illos qui ad malum sollicitati fuerint ut confessarium denuntient, ne tales abusus multiplicarentur sapienter providit. Pauca vero incommoda, quæ aliquando ex hominum fragilitate vel perversitate oriuntur, ratio sufficiens esse nequeunt cur deleatur institutio,

---

[1] Nec aliter loquuntur hodierni Anglicani non pauci, inter quos *H. P. Liddon*, ut ex ejus epistolis constat :

" *Christ Church*, Oxford, March 1883. — Carissime X., Ab anno 1847 confessorem adivi quotiescumque opus habui, et numquam hoc me piguit. Nihil melius quod animam reficiat esse posse videtur; et absolutio, quæ confessionem sequitur, est potestatis absolvendi forma magis directa ac authentica, quam illæ universaliores formulæ, quæ in officio quotidiano et in Eucharistiæ administratione adhibentur. Expertus sum quoque, quod ad me attinet, doctrinam Episcopi Butler relate ad tutiorem viam sectandam circa rationem se habendi, hujusmodi praxim apertissime confirmare... Minister terrenus, qui absolutionem impertitur, est indubie finitus et imperfectus, dum Summus Sacerdos Noster cælestis infinite intelligens et bonus. Attamen minister hic, vi missionis a Christo receptæ, subsidio nobis venit, ut omni cordis ac animi nisu, nostrorum peccatorum, si velimus, nos pæniteat, quod propriis viribus difficulter adimpleremus ".

[2] Hanc socialem confessionis utilitatem agnoverunt Increduli et Protestantes; ita **Voltaire**, *Diction. philos.*, art. catéch. du Curé; protestans auctor operis *Letters of Atticus*, lett. 5 th.

quæ aliunde tum privatis hominibus tum societati ipsi tot et tanta confert beneficia; si enim res, quibus homines abutuntur, statim tollendæ essent, quid tandem in societate civili vel ecclesiastica remaneret?

155. *Thesis IIª :* **Confessio secreta seu auricularis, quæ hodie sola prævalet, etiam ab initio in usu fuit.** Certum est.

Ad thesim probandam, *methodo ascendente* utemur, statuendo nempe rem jam a sæculo quinto esse omnino certam, et ab hoc sæculo ad tempora apostolica regrediendo.

156. 1° *Sæculo quinto* privatam confessionem in usu fuisse certissime constat e testimonio *S. Leonis Magni.* Audiens siquidem Pontifex nonnullos sacerdotes publice legisse peccata pænitentium libellis scripta, hanc praxim condemnat tanquam illicitam usurpationem, *apostolicæ regulæ* contrariam; " cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare *confessione secreta* ". Quamvis enim pænitentibus liceat publice peccata quædam confiteri, humilitatis causa, id tamen minime præscribitur, ne ita quidam a confessione arceantur : " Sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur; tunc etiam sacerdoti qui pro delictis pænitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pænitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis " [1]. Ex quo sequitur jam tempore S. Leonis duplicem fuisse confessionem sacramentalem, publicam, quæ quandoque fidelibus permittebatur, et privatam, seu auricularem, quæ peccatoribus præcipiebatur.

157. 2° *Quarto* sæculo vigebat etiam *secreta* confessio, etsi quandoque indirecte panderentur occulta peccata susceptione *publicæ pænitentiæ.*

(A) Confessionem esse secretam testantur, inter alios, *S. Aphraates,* (supra, n. 142), qui, sacerdotes alloquens eis præcipit ne aliis manifestent peccata in confessione revelata : " Cumque ipsam (infirmitatem spiritualem) vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt, innocentes in culpa esse ju-

[1] *Epist.* 168 ad episcopos Campaniæ, *P. L.*, LIV, 1211.

dicentur"[1]. — S. Ambrosius ipse secreto confessiones audiebat; hæc enim de eo scribit *Paulinus*, diaconus, in hujus sancti Vita[2] : "Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus; siquidem quotiescumque ille aliquis, ob percipiendam pænitentiam, *lapsus suos confessus esset*, ita flebat ut et flere illum compelleret... Causas autem criminum quas illi confitebantur, *nulli* nisi Domino soli, apud quem intercedebat, *loquebatur*".

Idem confirmatur institutione *pænitentiariorum* seu sacerdotum, quorum munus speciale erat *privatas* confessiones audire.

(**B**) Attamen, etsi confessio *in se* occulta esset, aliquando peccator, suscipiendo publicam pænitentiam, eo ipso indirecte coram christiana communitate confitebatur se gravium delictorum reum esse[3]. Pariter canonicarum pœnarum impositio, v. g. clerici depositio, indirecte pariter manifestabat etiam occulta delicta. Tunc enim forum internum non penitus a foro externo distinguebatur : Christiani, se invicem considerantes tamquam membra ejusdem corporis, minus invite sua peccata manifestabant, ut, fratrum precibus et satisfactionibus adjuti, facilius Dei misericordiam consequerentur.

158. 3° Sæculo tertio, idem constat ex variis testimoniis. Ita *Origenes* de confessione *privatà*, quæ publicam præcedit pænitentiam, scribit[4] : "Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere... Si intellexerit et præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex

---

[1] Demonstratio VII, n. 3-4 (*Patrol. syriaca*, curante **Graffin**, t. I, p. 318-319).

[2] *P. L.*, XIV, 40.

[3] Aliquando etiam indirecte prodebatur peccatum complicis, prout evenit tempore Nectarii (391) in ecclesia Constantinopolitana, ubi, occasione confessionis cujusdam mulieris, notum est grave delictum alicujus diaconi qui cum ea peccaverat. Ad tales abusus præcavendos, Nectarius abolevit officium pænitentiarii, imo, juxta quosdam, ipsam obligationem peccata confitendi ante communionem. Quidquid est, hæc aboletio diuturna non fuit; nam successor Nectarii, S. Joannes Chrysostomus, peccatores hortabatur ad confitenda peccata et ad privatam pro eisdem pænitentiam. Cf. **Batiffol**, *op. cit.*, p. 149 sq.; **P. Galtier**, *S. Jean Chrysostome et la confession*, in *R. S. R.*, 1910, pp 209,313.

[4] *Homil. II* in Ps. 37, n. 6, *P. G.*, XII, 1386.

quo fortassis et ceteri ædificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est"; ex quo patet jam tempore Origenis distinctionem fuisse inter *publicam* et *privatam* confessionem, et utramque fuisse in usu.

Pariter *S. Cyprianus* supponit secretam esse confessionem, dum loquitur de iis qui "quamvis, nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel *cogitaverunt*, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt" [1].

Quoad sæculum *secundum*, non invenimus quidem explicitum testimonium, cum textus S. Irenæi supra allegatus, n. 139, æque intelligi possit de publica aut secreta confessione. Sed, cum jam tertio sæculo, privata confessio in usu esset apud Græcos et Latinos, nec ullum hac de re inveniatur alicujus mutationis vestigium, merito infertur eam usque ad apostolica tempora ascendere, prout reapse docet S. Leo, n. 156.

159. Conclusio. (**a**) Privata igitur confessio semper in usu fuit, etsi non absolute secreta, cum peccata aliquo modo indirecte manifestarentur publicæ pænitentiæ impositione. Qua manifestatione fovebatur christiana humilitas et solidaritas, dum videlicet omnes fideles precibus et operibus pænitentes juvarent. Attamen non pauca erant *incommoda :* quidam verecundia a confessione deterrebantur, alii indiscreta confessione scandala excitabant.

(**b**) Ad quos abusus tollendos, Ecclesia paulatim publicam confessionem posteaque publicam pænitentiam abolevit; ita tutius servata sunt jura cujuslibet christiani, et gradatim fideles frequentius ad sacrum tribunal accesserunt.

§ II. Quomodo et quandonam sit necessarium Sacramentum Pænitentiæ? [2]

I. Quomodo necessarium?

160. Duplici modo necessarium esse potest : *in re*, vel *in voto*. *In re*, si realis susceptio requiratur; *in voto*, si

[1] *De lapsis*, 28, *P. L.*, IV, 488; J., 553.
[2] **S. Thom.**, 3, q. 84, a, 5; **Suarez**, disp. XXXV-XXXVI; **Lugo**, disp. XV;

sufficiat firmum propositum illud recipiendi tempore debito. Quid hac in re tenendum declarant sequentia verba *Tridentini*[1] : " Docet præterea (Sancta Synodus), etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse ascribendam ". Unde triplex propositio statui potest de necessitate Sacramenti Pænitentiæ :

1° *Sufficit semper votum Sacramenti cum contritione perfecta.* Nam valor intrinsecus ipsius contritionis perfectæ minui non potuit in Nova Lege. Si in Veteri Lege hominem Deo reconciliabat, ita et nunc.

2° *Requiritur votum Sacramenti*, ex probatis in thesi de necessitate Sacramenti, ubi probatum est Sacramentum Pænitentiæ esse modum ordinarium, imo unicum reconciliationis post Baptisma. In omni autem contritione, si interna sit et sincera, includitur votum observandi omnia Domini præcepta, et imprimis præceptum sua confitendi peccata. Sufficit ergo votum *implicitum.* — Neque requiritur votum Sacramentum recipiendi quamprimum; nullibi enim datur tale præceptum; sufficit votum suscipiendi, quando primum confessio ex alio titulo erit necessaria, v. g. ad communionem recipiendam, ad confessionem annuam.

3° *Requiritur postea realis susceptio Sacramenti*, id est accusatio et directa remissio peccati jam per contritionem remissi; secus, si voluntarie, quando urgebat, ut supra dictum est, omissa fuit illius peccati confessio, novum exsurgit peccatum, Sacramenti nempe indigna tractatio.

II. Quandonam necessarium?

Quoad tempus, duplex considerari debet præceptum : *divinum*, quod obligationem determinat, non autem tempus quo impleri debet; *ecclesiasticum*, quod præfinit tempus aliasque circumstantias.

---

n. 26-183; **Salmant.**, cap. II, n. 18-23; **Lacroix**, lib. VI, p. 11, *de Pænit.*, n. 2002 sq.; **Billuart**, diss. I, a. 4, § 2; **Baller. P.**, n. 1059-1084; **Lehmk.**, t. I, n. 1449-1454; **Marc**, n. 1684; **Genicot**, n. 321-323.

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 4, **D. B.**, 898.

161. 1° De divino præcepto. Etsi Christus non explicite definierit quandonam præceptum confessionis obliget, ex ipsa natura hujus præcepti et Patrum doctrina inferri potest legem divinam confessionis aliquoties obligare, tum per se, tum per accidens.

(**A**) Obligat *per se* : (**a**) certo in *articulo* et in *valde probabili periculo mortis*, ex quacumque causa hoc periculum oriatur, sive ex morbo, sive ex pugna, aut periculoso puerperio vel ex operatione chirurgica; nam qui, in tali periculo positus, divinam legem non implet, temere se exponit periculo eam nunquam implendi : quod sane idem est ac divinum præceptum violare.

Hinc idem dicendum est de casu, hodie rarissimo, quo quis prævideret sibi per reliquam vitam nullam fore copiam confessarii.

(**b**) Probabiliter, juxta *S. Alphonsum* (n. 663) multosque alios, illud præceptum obligat etiam *aliquoties in vita*, quia peccator tenetur non diu remanere in peccato mortali. — Sed non pauci theologi tum antiqui tum moderni id negant, quia peccator potest Deo reconciliari alio modo, videlicet contritione perfecta cum voto sacramentum tempore opportuno recipiendi. — Quidquid sit, in praxi nulla est difficultas, cum Ecclesia decreverit omnes fideles ad confitendum teneri semel in anno.

(**B**) *Per accidens* autem obligat : (**a**) quando sacra communio recipienda est, si communicaturus in peccato mortali versatur, ut diximus in *Tr. de Eucharistia*, n. 140; multis enim videtur legem in can. 856 expressam, non esse nisi determinativam juris divini; (**b**) quando requiritur status gratiæ, et simul peccator non potest actum contritionis perfectæ elicere; (**c**) quando gravis tentatio aut pravus habitus sine confessione superari nequit; hoc autem raro occurrit, cum alia sint media ad tentationes superandas. Unde *hortandi*, non autem cogendi sunt peccatores ad frequentem hujus sacramenti susceptionem.

162. 2° De præcepto ecclesiastico [1]. Variæ fuerunt hac de re leges ecclesiasticæ variis temporibus; sed jam a

[1] **Suarez**, disp. XXXVI; **Lugo**, disp. XV, n. 88-183; **Ballerini-P.**, n. 1059.

sæculo XIII viget lex universalis [1] semel in anno confitendi peccata, a Concilio *Lateranensi* IV (1215) [2] promulgata, et cujus verba aliquantum immutata in *Codice* (can. 906) sic referuntur : " Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad usum rationis pervenerit, tenetur omnia peccata sua, saltem semel in anno fideliter confiteri ". Quatuor ibi declarantur : —

(**a**) *Subjectum præcepti : " Omnis utriusque sexus fidelis ";* quibus verbis indicantur omnes *fideles*, seu baptizati, qui conscii sunt mortalis peccati nondum declarati in valida confessione; etiam *pueri*, qui ad annos discretionis pervenerint, id est qui capaces sint mortalis peccati.

Hinc pastores animarum tenentur *pueros* instruere circa confessionem jam a septimo ætatis anno, et quandoque antequam hunc attigerint, si jam *rationis usu gaudeant;* absolvere debent eos qui peccatum mortale, etiam dubium, accusarunt, dummodo sint bene dispositi, ne forte in peccato tabescant. Quæ obligatio præsertim urget in periculo mortis. In dubio autem utrum necne sufficientem discretionem attigerint, sub conditione absolvi possunt.

163. (**b**) *Objectum præcepti : " omnia peccata ".* Quod certo intelligendum est de solis mortalibus; nam Ecclesia suo præcepto solum determinavit tempus quo divinum præceptum obligat; porro divinum præceptum non obligat nisi ad confessionem mortalium, ut aperte declarat *Tridentinum.* [3]

Ex hoc sequitur eum qui mortaliter per annum non peccavit, stricte loquendo ad confitendum non teneri. Expedit tamen ut etiam illi qui venialia tantum commiserunt ab annuali confessione non abstineant, ne forte, gratia sacramenti orbati, facilius in peccatum mortale incidant.

Ex hoc etiam probabilius ac communius inferunt Theologi legi annuæ confessionis non satisfieri confessione venialium. Quare, si initio anni vel tempore paschali quis sola venialia confessus est,

---

1084; **Lehmk.**, vol. I, n. 1202-1205; **Marc**, n. 1685; **Konings**, n. 547-548; **Genicot**, n. 323.

[1] Dico *universalis*, nam jam vigebant antea leges *particulares*, quibus præcipiebatur fidelibus peccata confiteri proprio episcopo aut sacerdoti : de quo vide **P. A. Kirsch**, in *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 4e trim. 1904 : *Der sacerdos proprius in der abendländischen Kirche vor 1215.*

[2] **D. B.**, 437. — [3] Sess. XIV, cap. V, **D. B.**, 899.

et postea, ante finem ejusdem anni, in mortale incidit, tenetur denuo confiteri; nam, accusando venialia in præviis confessionibus, non adimplevit præceptum annuæ confessionis, quod ad mortalia restringitur. — Nonnulli tamen theologi [1] sive antiqui sive moderni, probabiliter putant legem impleri quacumque confessione valida etiam venialium : et revera fideles qui semel confessi sunt, quæcumque peccata accusaverint, generatim putant se præcepto satisfecisse. Unde in praxi consulenda est quidem in hoc casu nova confessio, sed non stricte urgenda.

164. (c) *Modus :* " tenetur *fideliter* confiteri "; quo significatur non satisfieri præcepto per confessionem *voluntarie invalidam*, ut constat ex *Codice*, can. 907 : " Præcepto confitendi peccata non satisfacit, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam " [2]. Et merito; nam qui voluntarie invalidam facit confessionem, eo ipso sacrilegium committit; porro lex ecclesiastica confessionis, quæ est determinativa præcepti divini, peccato sacrilegii adimpleri nequit.

165. (d) *Frequentia confessionis* his verbis determinatur : " *saltem semel in anno* ". Quia vero Concilium non determinabat tempus quo hæc obligatio compleri deberet, variæ sunt opiniones circa modum computandi annum. Quidam putant annum incipere a tempore quo primum mortale committitur, — alii a Januario ad sequentem Januarium, — alii tandem *a Paschate ad sequens Pascha.* Quæ ultima opinio videtur probabilior, et in praxi facilior; cum enim fideles communionem accipere teneantur tempore paschali, usus invaluit ut annua confessio eodem tempore fieret; quem morem *Tridentinum* probavit ut pium ac merito retinendum [3].

Hinc qui incœpto anno, prævidet se non habiturum amplius copiam confessarii ante annum elapsum, et aliunde est conscius peccati mortalis, tenetur confessionem instituere, dum habet copiam confessarii; cum enim præceptum obliget semel in anno, compleri debet tempore quo id moraliter possibile est.

Si quis, mortalis peccati conscius, non confessus fuerit intra præscriptum tempus, quamprimum moraliter confiteri debet, juxta communem sententiam, cum lex tempus assignet ad determinan-

[1] Cfr. **Ballerini P.**, n. 1061 et **Genicot**, n. 323.
[2] Cfr. **Viva**, Damnatæ Theses, Alex. VII, prop. 14ª; *D. T. C.*, I, 737.
[3] **Sess. XIV**, cap. 5, **D. B.**, 901.

dam, non autem ad finiendam obligationem. Contradicunt quidem pauci graves Doctores qui putant tempore præfinito obligationem cessare; "quorum non est spernenda sententia", ait *S. Alphonsus* (n. 297 et 660).

Sanctus Alphonsus probabilius docet (n. 669) eum qui prævio anno sua peccata non confessus fuerat, et in confessione manifestat peccata mortalia tam antecedentis quam præsentis anni, satisfacere utriusque anni obligationi, nec proinde teneri bis confiteri.

166. (e) Olim præcipiebatur confiteri "*proprio sacerdoti*" seu *parocho*, vel saltem ejus veniam obtinere ad confitendum alteri; sed hodie abrogata est hæc dispositio, ita ut quilibet possit confiteri cuilibet sacerdoti rite approbato, etiam alius ritus (*Codex*, c. 905). Unde parochi non solum suos parochianos obligare non debent ut sibi confiteantur, sed recte agunt si eis suadeant ut quandoque alium confessarium adeant, quo facilius ita vitentur sacrilegæ confessiones [1].

(f) Tandem *duplex pœna* infligebatur transgredientibus præceptum, videlicet prohibitio ab ingressu ecclesiæ, seu excommunicatio, et privatio ecclesiasticæ sepulturæ, sed utraque, quæ erat *ferendæ sententiæ*, pariter abrogata est.

167. Alia dantur præcepta ecclesiastica de Sacramento pænitentiæ recipiendo, non tamen æqualis gravitatis, nempe: 1° Sacerdos qui, conscius peccati mortalis, contritus tamen, urgente necessitate missam celebravit, tenetur quamprimum confiteri (can. 807), et hoc sub gravi. 2° Superiores et Episcopi curare debent ut omnes religiosi et alumni seminarii ad pænitentiæ Sacramentum accedant semel saltem in hebdomada (can. 595, 1367).

Art. V. De effectibus sacramenti Pænitentiæ.

168. Sacramentum Pænitentiæ producit gratiam *reconciliationis*: "Res et effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, *reconciliatio est cum Deo*, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus conscientiæ pax ac serenitas cum

[1] *S. Thomas*, scribens eo tempore quo lex confitendi proprio sacerdoti adhuc vigebat, hæc habet: "peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam *tali* sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis laqueum injiciunt, et per consequens sibi ipsis". (*Supplem.*, q. 8, a. 4 ad 6).

vehementi spiritus consolatione consequi solet". (*Trid.*, sess. XIV, c. 3; **D. B.**, 896).

(**A**) Quando pænitens *in peccato mortali* versatur : (**a**) gratia huic sacramento *propria* est gratia *sanctificans prima* seu *peccati remissiva.* Quæ variis nominibus appellatur, quibus hic effectus lucidius declaratur : gratia *resurrectionis* qua spiritualiter mortui vitam gratiæ recuperant; *sanationis*, qua eorum vulnera, ipsis cooperantibus, curantur; *reconciliationis*, qua, reparata injuria Deo irrogata, in divinam amicitiam recipiuntur. (**b**) Huic annectitur *jus ad gratias actuales* ejusdem ordinis tempore opportuno recipiendas, quibus pro *præteritis peccatis* pænitens satisfacere valeat, *futuraque* in posterum vitare. (**c**) Remittitur insuper *pœna æterna* et saltem minuitur *pœna temporalis* peccato debita. (**d**) *Merita* autem per peccatum mortificata *reviviscunt.*

(**B**) Quando pænitens autem jam *in statu gratiæ* versatur : (**a**) *augmentum gratiæ* sanctificantis accipit cum jure ad gratias actuales, ut supra; (**b**) *venialium remissionem* tutius et efficacius consequitur; (**c**) necnon saltem partialem *pœnæ temporalis* condonationem.

Cum plura ex his jam declarata fuerint, satis erit breviter agere : 1° *de remissione mortalium;* 2° *de remissione pœnæ* peccato debitæ; 3° *de reviviscentia meritorum.* — Pauca addemus de *remissione peccati venialis*, sive intra sive extra sacramentum.

§ I. De remissione peccatorum mortalium.

169. (**A**) *Sacramentum* **vere remittit peccata.** Ex dictis supra de potestate clavium (n. 20 sq.) jam inferre licet, per sacramentum Pænitentiæ, vere *coram Deo condonari omnia peccata* post baptismum commissa, nec ullum peccatum esse irremissibile. Id jam probavimus ex multis testimoniis, simul explicando textus Scripturæ et Patrum, ex quibus adversarii difficultates proponunt. — Eadem vere deleri et non tantum radi, ita ut non redeant propter subsequens peccatum, in *Tr. de Gratia* probatum est, ubi de justificatione.

Hic sufficiat difficultatem solvere quam hodierni Protestantes et Rationalistæ proponunt, et quæ tempore Augustini jam ab hæreti-

cis et paganis urgebatur : "Vos, inquiebant, facitis ut peccent homines, cum illis promittitis veniam, si egerint pænitentiam". Quod eloquenter confutat Augustinus, ostendendo promissione veniæ animos ad pænitentiam induci, eos ex adverso, hac spe sublata, in desperationem cadere, et consequenter in vitiorum cænum : "Si clauderetur aditus pænitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi : ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus, pænitentia infructuosa est, damnandus sum; quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hic saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam? Ibi mihi locus omnis clausus est : hic quidquid non fecero, perdo, quia vita, quæ post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam et saturem?... Ergo si tuleris portum pænitentiæ, desperatione augebunt peccata". Qui vero veniam speraverit, non potest augere peccata sicut vult; nam eum monet Scriptura ne pænitentiam differat et in peccato obduretur; subito enim morte percuti potest, et in manus Dei viventis incidere. Ita igitur concludit : "Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pænitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus"[1].

170. Corollarium. Exinde sequitur *non posse unum mortale peccatum remitti sine alio.* Etenim : (a) peccatum non tollitur nisi per infusionem gratiæ habitualis; atqui quodlibet peccatum mortale directe gratiæ habituali contrariatur eamque excludit; ergo unum lethale peccatum non potest sine alio remitti : nam, si unum maneat in anima, totaliter gratiam excludit; (b) peccatum non potest remitti sine vera pænitentia, ad quam pertinet peccatum detestari quatenus est offensa Dei; atqui eadem ratio est de uno ac de ceteris lethalibus peccatis, quæ omnia vere Deum offendunt in re essentiali, ita ut prorsus ab eo separent; ergo non potest quis vere de uno peccato pænitens esse quin de omnibus aliis pæniteat, si de eis actu cogitet[2].

all or nothing

171. (B) *Sacramentum Pænitentiæ*, sicut cetera sacramenta, **suos effectus producit ex opere operato,** proindeque non solum declarat peccata esse remissa, sed hanc remissionem *vere causat.* Id aperte definivit *Tridentinum*

[1] **S. August.**, *sermo* 352, n. 9; *P. L.*, XXXIX, 1559-1560.
[2] **S. Thom.**, 3, q. 86, a. 3.

contra Protestantes, qui contendebant peccata per *fidem* remitti, et absolutionem sacerdotis nihil aliud esse nisi nudum ministerium pronuntiandi et declarandi peccata esse remissa [1] : " Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum... A. S.".

Antequam vero res definiretur, quidam Scholastici tenuerant, cum *Petro Lombardo*, absolutione sacerdotis non proprie dimitti peccata, sed *ostendi* ea esse remissa (infra, n. 297). Horum vero sententia maxime differebat a Protestantium erroribus. Non enim docebant peccata sola fide aut fiducia dimitti, sed simul per contritionem et ministerium sacerdotum. Attamen non rite intellexerant quam partem sacramentum Pænitentiæ habeat in remissione peccatorum; juxta ipsos, Deus operabatur hanc remissionem *cum* sacerdote, non autem *per* sacerdotem [2]. Postea, re melius inspecta, *S. Thomas* et *Scotus* eorumque discipuli intellexerunt, ex Scripturæ et Patrum dictis, sacramenta non solum esse *conditiones sine quibus non*, sed etiam *causas secundarias* et *instrumentales* gratiæ, ut expositum est in *Tr. de Sacramentis*, n. 44-45.

172. (C) **Peccatum remittitur definitive,** ita ut nunquam redeat, per subsequens peccatum, nec quoad culpam, nec quoad pœnam. — " Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua " [3]. Peccatum enim subsequens, etsi ingratitudinem et perversitatem denotare possit, nequit tamen peccatum antiquum prorsus abolitum reducere; quo fit ut nunquam Deus aliquem pœna mulctabit pro peccatis jam deletis.

---

[1] *Trident.*, sess. XIV, can. 9, **D. B.**, 919.

[2] Hanc opinionem jam confutaverat **Richardus a S. Victore** (*De potest. ligandi atque solv.*, c. 12) : " Exstat quorumdam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola ut ridenda potius videatur quam refellenda. Putant enim et prædicant, sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dicit : quodcumque ligatum *ostenderis* erit ligatum, et quodcumque solutum *ostenderis*, erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque *ostendendi*, cum Dominus hoc non dicat ". Ipse tamen non recte sentiebat ; dicebat enim peccata per contritionem remitti, antequam absolutio daretur, sed solum *conditionate*, id est sub conditione ut postea reciperetur absolutio : hæc igitur non erat causa remissionis, sed solum *conditio sine qua non*. Cfr. *D. T. C.*, I, 174.

[3] *Ez.*, XXXII, 16.

§ II. De remissione pœnæ peccato debitæ.

173. (**A**) *Sacramentum Pœnitentiæ semper* **remittit pœnam æternam cum culpa.** Certum est; (**a**) docet enim *Tridentinum*[1] pœnitentem post receptam absolutionem teneri satisfacere per jejunia, eleemosynas et orationes, "*non quidem pro pœna æterna*, quæ vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur; sed pro *pœna temporali*, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis"... (**b**) Ratio patet ex dictis; remissio enim peccati mortalis fit per infusionem gratiæ habitualis; atqui gratia habitualis nos facit divinæ consortes naturæ, Dei amicos ejusque filios adoptivos cum jure ad æternam beatitudinem, ut demonstravimus in *Tr. de Gratia* (n. 139 sq.); ergo pœnam æternam remittit.

absolution takes away eternal punishment & reduces to temporal punishment. Cuts temporal by part of sacrament by giving penance. disposition cuts down temporal punishment considerable

174. (**B**) *Sacramentum Pœnitentiæ* **minuit etiam pœnam temporalem peccato debitam,** et quidem duplici modo:

(**a**) Ratione *absolutionis*; nam, ut ait *Lugo*[2], certum quippe est Deum, quando commutat pœnam æternam in pœnam temporalem, posse eam mutare in pœnam temporalem graviorem et diuturniorem. Debemus ergo gratias Deo tum quia remisit pœnam æternam, tum quia non commutavit illam in aliam temporalem majorem, prout justissime poterat; et in hoc sensu nunquam remittitur æterna pœna quin simul remittatur aliquid de pœna temporali in quam commutari potuisset.

(**b**) Ratione *satisfactionis*, seu pœnitentiæ a Sacerdote impositæ; nam, juxta *Tridentinum* (cap. 3), satisfactio una est ex tribus partibus quæ ad integritatem sacramenti pertinent et ad plenam perfectamque remissionem pœnæ + (culpæ) ~~peccatorum~~ concurrunt; atqui satisfactio non concurrit directe ad remissionem culpæ, cum hæc remittatur ante satisfactionem peractam; ergo concurrit ad *remissionem pœnæ*. Quod quidem præstat *ex opere operato*, ~~juxta communem sententiam~~, quæ tenet tres actus pœnitentis esse materiam proximam sacramenti. (because Scotist solid probable opinion.)

Penance imposed by the priest. must have disposition of penance & civil no satis

(suppose deposition)

and only actual + commu another

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 14, D. B., 807. — [2] **Lugo**, disp. VIII, n. 64.

4, 13, B) Purpose to do penance. Mortal sin is commuted to temporal punishment. Confessor cuts the temporal punishment by sacramental value & power of keys. Purpose to do

175. (C) Sacramentum Pænitentiæ **non** *semper tollit* **totam pœnam temporalem**, ut infra probabimus, sed *quandoque id præstat*, si videlicet contritio sit *intensissima*. Cum enim hujusmodi temporalis pœna sit finita, contritio ita intensa esse potest ut eam adæquate et totaliter remittat.

(Shape it)

§ III. De meritorum reviviscentia[1].

176. Status quæstionis. Quando quis sacramento Pænitentiæ justificatur, accipit, simul cum gratia habituali, virtutes infusas quas per peccatum amiserat : cum enim virtutes hujusmodi a gratia profluant, sicut proprietates ab essentia, restituta gratia, restituuntur pariter virtutes, et quidem eo intensiores quo perfectior est subjecti dispositio. Sed insuper quæstio est utrum merita per peccatum mortificata reviviscant.

Ad cujus intelligentiam pauca sunt prænotanda de variis operibus in ordine ad meritum. (a) *Viva* dicuntur opera quæ in statu gratiæ fiunt, excitante et adjuvante gratia actuali, tum quia sunt a principio spirituali vivente, tum quia vitam æternam merentur. (b) *Mortua* vero ea sunt quæ, licet bona et supernaturalia, fiunt in statu peccati, nec proinde meritoria sunt vitæ æternæ. (c) *Mortifera* ea sunt quæ hominem vita gratiæ privant, ut peccata mortalia. (d) *Mortificata* autem dicuntur ea opera quæ, in statu gratiæ facta, per subsequens mortale peccatum impediuntur a suo effectu, quatenus hominem ad vitam æternam ducere non amplius valent. Jamvero quæstio est utrum merita sic *mortificata* reviviscere possint. Affirmative respondent theologi fere omnes, sed de modo et gradu quo reviviscant, controvertitur.

177. *Thesis :* **Remisso per pænitentiam peccato, opera prius in caritate facta, et per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt.** Certum est : " Conveniunt theologi cum S. Thoma quasi in dogmate" (*Lugo*).

(a) *Scriptura* sola res probari nequit; sed Patres duobus textibus utuntur ad proponendam suam de reviviscentia doctrinam.

Primum allegant hæc verba *ep. ad Hebræos :* " Non enim injustus Deus ut *obliviscatur operis vestri et dilectionis*, quam ostendistis

[1] **S. Thomas**, 3 p., q. 89; **Suarez**, Opusc. V, De meritis mortificatis; **Salmantic.**, de Merito, disp. V; **Billuart**, diss. III, a. 5; **Palmieri**, th. 19; **Billot**, q. LXXXIX; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, I, 285-299.

in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis"[1]; atqui, ut arguunt Patres et theologi, hic agitur de operibus in gratia factis et mortificatis; nam Apostolus Hebræos alloquitur, quorum nonnulli in peccatum lapsi fuerant; ergo Deus non obliviscitur bonorum operum eorum qui pænitentiam agunt, sed ea remunerat. Ad rem *S. Epiphanius*[2]: "In quo vides, quemadmodum et instaurationem illam secundam fieri non posse omnino pronuntiaverit, neque tamen a salute illos excluserit quos peccati sui pæniteret; sed et saluti propinquos esse dixerit, et *Deum recte ab iis factorum esse susceptorem*, qui delictorum suorum absolutam pænitentiam capesserent". Idem Patres deducunt ex alio loco[3]: "Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa"; ait siquidem *Hieronymus*, in h. loc.[4]: "Quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa passus fuisse dicitur dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem revertatur".

(b) Ex *Tridentino* etiam thesis colligi potest: nam declarat bona opera justi "vere mereri augmentum gratiæ et vitæ æternæ consecutionem, *si tamen in gratia decesserit*[5]; porro ibi non exigitur ut a prima justificatione quis usque ad mortem sine interruptione perseveret, sed solum ut *in gratia decedat*; ergo si quis mortaliter peccaverit et postea ipsum pæniteat, ejus merita reviviscunt.

Sed deus non punit hic.

(c) *Ratione* suadetur. Opera in caritate facta, si secundum se spectentur, semper in acceptatione divina manent, et ideo dumtaxat mortificari dicuntur quia per peccatum a suo effectu impediuntur, quatenus mortaliter peccans indignus est vita æterna; atqui tale impedimentum per pænitentiam tollitur; ergo opera prius mortificata, per pænitentiam recuperant vim in vitam æternam perducendi eum qui ea perfecit[6]. Aliunde Deus non vult aliqua pœna æterna punire peccatum remissum; atqui si merita prius comparata non restituerentur, culpa remissa, peccatum pœna æterna puniretur; nam privatio gloriæ iis meritis respondentis esset vera pœna, et quidem æterna; ergo.

---

[1] *Hebr.*, VI, 10.
[2] **S. Epiphan.**, *Hæres.*, 59, n. 2; *P. L.*, XLI, 1019.
[3] *Galat.*, III, 4.
[4] *Comment. ad Gal.*, l. I, c. 3; *P. L.*, XXVI, 350.
[5] *Trident.*, sess. VI, can. 32, **D. B.**, 842.
[6] **S. Thom.**, 3, q. 89, a. 5.

178. De *modo* autem et *gradu* quo merita reviviscunt disputatur inter theologos, et nil certi definiri potest :

(a) Prima opinio tenet, cum *Bannez* et *L. Billot*, opera mortificata reviviscere solum eo sensu quod gloria justo a peccato resurgenti dabitur *duplici titulo*, videlicet tum propter merita præcedentia, tum propter nova ab ultima justificatione comparata, non tamen major quam hisce ultimis debetur; erit tamen aliquod præmium *accidentale* pro operibus præcedentibus, quatenus de illorum reviviscentia gaudebunt electi. Hæc opinio a multis theologis graviter impugnata est, quum ipsam reviviscentiam negare videatur : quid enim prodest duplici titulo eamdem gloriæ quantitatem accipere?

179. (b) Secunda opinio docet omnia opera mortificata restitui quidem statim post pænitentiam, quoad *meritum vitæ æternæ*, non autem quoad quantitatem *gratiæ habitualis* antea habitæ; videlicet gratia ipsa habitualis antea amissa non restituetur nisi in mortis instanti, aut post mortem, primo glorificationis instanti. Ratio est quia gratia in justificatione non datur nisi secundum cujusque dispositionem et cooperationem [1]; non autem secundum merita prius acquisita. Ita *Scotus*, *Salmanticenses*.

180. (c) Juxta *tertiam* opinionem, quam propugnant *Dom. Sotus* et *Ledesma*, merita ita reviviscunt secundum præsentis dispositionis gradum, ut si quis actum contritionis eliciat ut *quinque*, *decem* gradus gratiæ recipiat, quinque ratione præcedentium meritorum, et quinque ratione actualis dispositionis.

181. (d) *Suarez* autem (*op. cit.*, disput. II) cum multis modernis [2], tenet omnia merita antea comparata statim peccatori pænitenti restitui sive quoad jus ad gloriam, sive quoad gratiam. Nam hujusmodi merita, ex dictis, semper in acceptatione Dei manent, et a suo effectu nonnisi per peccatum mortale impediuntur; ergo, remisso peccato, impedimentum statim tollitur, et nihil prohibet quin merita præterita statim omnem suum consequantur effectum.

In tanto opinionum conflictu fatemur solutionem hujus quæstionis a sola voluntate Dei pendere, quæ ex Scriptura et Traditione nobis sufficienter non innotescit.

---

[1] Quod principium ita exponit **S. Thomas**, q. 89, a. 2 : "Formæ quæ possunt recipere *magis* et *minus*, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti... Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in pænitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pænitens consequitur majorem vel minorem gratiam ".

[2] **Wirceburg.**, c. 3, art. 6, n. 69; **Palmieri**, th. 19; **Pesch**, prop. 24, n. 337; **de Augustinis**, th. 9.

Scholion : De remissione peccati venialis [1].

182. Hucusque de peccati mortalis remissione directe egimus : pauca tamen de venialium remissione subjungere expedit.

1° **Principia.** (A) *Peccatum veniale sine gratia remitti nequit;* nam, ex dictis in *Tr. de Gratia*, nil supernaturale sine gratia peragi potest; atqui remissio peccati venialis est aliquid supernaturale, cum tollat impedimentum quo retardamur a fine supernaturali. Hinc in C. *Arausicano II*, can. 14 (*Denzinger*, n. 157), legitur : "Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur".

183. (B) *Peccatum veniale conjunctum mortali* sine *gratiæ habitualis infusione remitti nequit.* Nam cujuslibet culpæ remissio supponit amicitiam divinam; est enim favor gratuito concessus, non debitus; atqui amicitia divina peccatori non redditur nisi per infusionem gratiæ habitualis. Sed peccatum veniale in eo qui jam in statu gratiæ versatur, remitti potest *per se* sine habitualis gratiæ infusione; nam, ut ait *S. Thomas* (3, q. 87, a. 2), unumquodque tollitur per suum oppositum; atqui oppositum peccati venialis non est gratia habitualis, quæ per eum non amittitur, sed fervor caritatis; ergo peccatum veniale tolli potest *ex se* per actum ferventem sine infusione gratiæ. Quod comparatione illustratur : sicut enim corpus dupliciter contingit maculari, per privationem decoris vel per superinductionem luti aut pulveris, ita etiam anima dupliciter maculatur, privatione decoris gratiæ vel inordinata inclinatione ad temporalia seu peccato veniali : prior macula nonnisi infusione gratiæ tolli potest, posterior autem removetur eo ipso quod actu fervoris cessat inordinata adhæsio ad temporalia.

184. (C) Potest *unum* veniale peccatum *sine aliis* remitti, si quis videlicet vere de uno doleat, non autem de ceteris. Unde tunc solum plena obtinetur omnium venialium remissio cum nullus retinetur affectus ad venialia. Ex dicendis enim non remittitur peccatum veniale nisi virtualiter saltem detestetur, et aliunde unum retractari potest quin alia displiceant.

Sometimes gra[illegible] necessary + gr[illegible]

185. 2° **Corollaria.** Remissio peccati venialis fieri potest tum *extra* Sacramentum, tum *in* Sacramento.

(A) *Si prius, extra sacramentum*, remittitur *ex opere operantis*, videlicet per actum contritionis aut caritatis perfectæ, juxta omnes, imo probabilius per actum attritionis.

---

[1] **S. Thomas**, 3 p., q. 87; **Suarez**, disp. XI-XII; **de Augustinis**, p. I, a. 9; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, I, 278-285.

1) *Requiritur semper aliqua contritio*, et sic probat *Angelicus Doctor* (3, q. 87, a. 1) : peccatum veniale, quamvis non sit aversio a Deo ultimo fine, aliquam deordinationem continet, quatenus retardat affectum hominis, ne prompte in Deum feratur; atqui talis deordinatio tolli nequit nisi dispositione contraria, nempe detestatione et retractatione peccati : si voluntas enim in illa inordinata adhæsione rebus temporalibus perseveret, peccatum ipsum animæ adhærebit, cum, manente causa, maneat effectus.

2) *Probabilius sufficit attritio.* Optima sane dispositio est contritio perfecta, cum peccatum etiam mortale tollat; sed probabilius sufficit etiam attritio; nam venialia, si mortalibus comparentur, levia sunt, nec proinde eadem dispositio requiritur ad venialium quam ad mortalium remissionem; sufficit igitur contritio minus perfecta seu attritio. Aliunde attritus de veniali protinus fit contritus per caritatem habitualem, ut infra dicemus de attrito sacramentum pænitentiæ suscipiente.

3) *Sufficit virtualis attritio.* Nec necesse est ut hæc attritio formalis sit; *virtualis* satis est, "puta cum aliquis hoc modo fertur in Deum, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de eo non cogitet". (*S. Thomas*, l. cit.)

186. (B) *In sacramento* fit *ex opere operato*, per susceptionem sacramentorum, dummodo non sit obex, id est virtualis aut actualis complacentia peccati venialis; quod quidem *certum est* de Baptismo, Pænitentia et Extrema Unctione, quæ peccatorum remissionem ut effectum proprium habent; probabilius etiam de aliis asseritur, quæ ad sanctificationem animarum instituta sunt, ideoque ad fervorem caritatis fovendum, cui venialia peccata opponuntur. Sacramentalia autem, ut alibi diximus, venialia *indirecte* remittunt, contritionis et caritatis sensus in anima excitando.

PARS II

DE PÆNITENTIS ACTIBUS.

187. Ex dictis sacramentum Pænitentiæ *modo judiciali* ministratur, ideoque quosdam *actus* supponit ex parte pænitentis : 1° *confessionem peccatorum* sacerdoti factam; 2° *contritionem* seu peccati odium et detestationem; 3° *satisfactionem* seu laboriosam delicti expiationem : de quibus seorsim dicendum.

CAPUT I.

DE CONFESSIONE.

188. 1° **Confessionis historica notio.** (**A**) In *veteri Lege*, etsi nondum institutum fuisset pænitentiæ sacramentum, nullaque esset confessio sacramentalis, agnoscebatur tamen quædam peccatorum confessio, et quidem triplex : —

(**a**) Confessio Deo facta, ad facilius remissionem peccatorum obtinendam : " Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur "[1]; (**b**) confessio generalis qua supremus Pontifex iniquitates populi Israel semel in anno publice recitabat : " Tunc offerat hircum viventem; et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel "[2]; (**c**) confessio magis specifica, quæ fiebat sacerdotibus, quando sacrificium pro peccato offerebatur, quia victima diversa erat pro peccatorum diversitate, vel etiam quando restitutio facienda erat[3]. (**d**) Judæi, qui a Joanne baptizabantur, sua peccata confitebantur[4], ut sic efficacius propositum pænitentiam agendi manifestarent : hæc autem confessio non erat sacramentalis[5].

(**B**) Postquam vero institutum est pænitentiæ sacramentum, confessio peccatorum fuit unus ex actibus ad remissionem peccatorum requisitis, et sæpe vocata est *exomologesis*.

---

[1] *Prov.*, XXVIII, 13; cfr. *Eccli.*, IV, 31. — [2] *Levit.*, XVI, 20-21.
[3] *Levit.*, IV, 3-35; V, 1-13; VI, 1-7; *Num.*, V, 6-7. — [4] *Matt.*, III, 6.
[5] Cfr. **Vacant**, in *D. T. C.*, vocabulo *confession*.

Jamvero vox græca ἐξομολόγησις, quæ apud Patres frequenter invenitur, duo significat : *totam actionem pœnitentiæ*, seu longam et laboriosam seriem actuum quibus remissio peccatorum obtinebatur; et primam partem hujus pœnitentiæ, nempe *peccatorum declarationem*, sive sit publica, sive sit privata seu auricularis.

189. 2° **Definitio.** Hodierno sensu intellecta, confessio sacramentalis est *accusatio propriorum peccatorum, post baptisma commissorum, legitimo sacerdoti facta, ad veniam per potestatem clavium consequendam.*

190. 3° **Divisio.** Cujus confessionis *necessitatem* jam in prima parte exposuimus, declarando tum præceptum *divinum*, tum præceptum *ecclesiasticum.*

Nunc solum de *dotibus* confessionis dicendum est, inter quas eminet *integritas.* Antequam ergo de integritate disseramus, pauca de *aliis dotibus* sermo sit.

Art. I. De Dotibus confessionis.

191. Confessio, quam Christus et Ecclesia postulant, quibusdam dotibus vestiri debet, quarum quædam sunt necessariæ, aliæ vero utiles. Non minus quam sexdecim a theologis numerantur, his versibus expressæ :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata [1].

Cum vero quædam ex iis qualitatibus in alias fere reincidant, præcipuas tantum exponemus. Confessio videlicet debet esse : —

192. (a) *Pura*, id est recta intentione instituta, non ad compassionem confessarii commovendam, vel benevolentiam captandam, a fortiori non ex joco vel irrisione, sed ad remissionem peccatorum obtinendam. Hinc si fiat *exclusive* propter finem mortaliter malum, v. g., ad extorquendam pecuniæ summam a confessario, vel ad eum seducendum,

[1] **S. Thom.**, Suppl., q. 9, a. 4, ubi has conditiones accurate expositas invenies; cfr. *Opusculum LVII* (ed. Rom. LXIV), p. 416-444; t. XXVIII, ed. *Vivès*, De modo confitendi.

invalida erit; si vero *principaliter* propter finem bonum, et secundario propter finem malum, v. g., propter vanam gloriam aut ex nimio affectu ad confessarium, erit valida quamvis illicita.

(b) *Simplex et nuda*, nempe non artificiose composita, nec superflua complectens, quæ ad confessionem non spectent, ut sunt, v. g., peccata aliena, vel longæ narrationes prorsus inutiles; hinc confessarius non interroget de nomine et familia pænitentis, sed solum de statu et conditione, in quantum hæc ad cognitionem ejus peccatorum inservire possunt.

193. (c) *Humilis et dolorosa*, seu cum propriæ indignitatis sensu et sincero dolore, exemplo publicani [1], qui percutiebat pectus suum, dicens : " Deus, propitius esto mihi peccatori "; non autem de peccatis aut bonis actibus gloriando; hinc pænitentes sua peccata non excusent, eorum malitiam aliis tribuendo (v. g., conjugi, parentibus, fratribus, vicinis).

Si quis autem jam modo historico sacerdoti peccata sua enarraverit, absque dolore, non tenetur ad eadem distincte accusanda eidem sacerdoti, qui postea ut confessarius eligitur, dummodo hic distinctam horum peccatorum servet memoriam, sed sufficit universim accusare quod antea fuit enarratum; si vero confessarius nonnisi confusam horum retinuerit notitiam, controvertitur utrum nova distincta accusatio requiratur : affirmat *S. Alphonsus* (n. 502) quia prima confessio non fuit sacramentalis, secunda autem non est integra, nisi sit distincta; negat tamen *Lugo* [2], eo quod " posterior accusatio, relata ad memoriam quam habet confessarius de illis peccatis distincte prius auditis, sit sufficiens notitia, qualis in confessario desideratur ". — Unde res vere dubia est, proindeque pænitens *non est cogendus*, sed *hortandus* ut distincte sua peccata de novo accuset, præsertim cum confessarius possit exinde opportunas interrogationes facere, et salutaria monita præbere.

194. (d) *Fidelis et integra*, id est vera et sincera, nullum grave peccatum reticens, neque pariter accusans peccata quæ revera non sunt commissa, sed certa ut certa, dubia ut dubia candide exponens, prout cognoscuntur; de quo fusius infra.

---

[1] *Luc.*, XVIII, 13.

[2] **Lugo**, disp. XVI, n. 638; cfr. **Ball. P.**, n. 468-471; vide tamen quæ in contrarium docent *Vindic. Alphons.*, p. 480-484.

(e) *Discreta* seu *prudens*, aliorum peccata aut defectus absque necessitate non manifestans; pudicis et cautis verbis peccata etiam turpia exprimens, in quantum fieri potest; inutiles circumstantias omittens, præsertim si periculosæ, odiosæ aut scandalosæ sint.

195. (f) *Vocalis*, id est verbis expressa, non autem nutu, signis aut scriptis; quod requiritur non ex ipsa sacramenti essentia, aut divino præcepto, sed ex consuetudine quæ vim legis obtinuit, ita ut graviter peccaret, juxta communem sententiam, qui, absque ulla causa, vellet tantum per signum aut scripturam confiteri, dum facile voce uti potest. Justa vero existente causa, confessio signis aut scripto licite fieri potest, v. g., si pænitens sit mutus aut, propter ægritudinem, nonnisi cum magna difficultate loqui potest; — aut, propter nimiam verecundiam vel scrupulos, integre sua peccata declarare nequiret; — item si confessarius sit surdaster et non possit pænitentem audire, quin adstantes illum etiam audiant. In his autem casibus, pænitens, si non est mutus, saltem dicat : "de peccatis quæ in hac charta scripta sunt, me accuso" : quod tamen ad validitatem non absolute requiritur.

196. (g) *Secreta*, non autem publica, sed soli sacerdoti facta. Valida quidem esset publica confessio, quæ revera in primis sæculis viguit : sed, teste *Tridentino* (cap. 5), nemo tenetur divino præcepto delicta sua publice confiteri, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Quod quidem adeo verum est ut, juxta communem theologorum doctrinam, pænitens ab integritatis lege dispensetur quando non potest sua peccata confiteri nisi publice, aliis audientibus.

Art. II. De integritate confessionis [1].

§ I. De necessitate integritatis in confessione.

197. 1° **Status quæstionis.** (A) Duplex integritas in confessione inveniri potest : (a) *materialis*, seu *objectiva*, quæ est accusatio uni eidemque sacerdoti facta omnium et singulorum peccatorum gravium, quæ post baptismum commissa sunt, nec unquam in valida confessione decla-

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 6, a. 1-3; q. 9, a. 2; **Suarez**, disp. XXII; **Lugo**, disp. XVI; **Salmant.**, cap. 8; **Lacroix**, n. 915-1139; **Billuart**, diss. V; **S. Alphons.**, n. 465-478; **Konings**, n. 1359-1366; **Lehmk.**, n. 301-326; **Ball. P.**, n. 346-364; **Berardi**, *Praxis*, n. 4488-4531; **Genicot**, n. 283-291; **Noldin**, n. 261-270; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, II, 444-450; **Gerster a Zeil**, *De integritate confessionis*, 1934.

rata; (b) *formalis*, seu *subjectiva*, est accusatio omnium mortalium quæ pænitens hic et nunc moraliter potest confiteri, id est, absque gravi damno infra determinando, et quorum memoria post diligens examen habetur. Siquidem contingere potest ut, propter justam causam, v. g., ignorantiam, oblivionem vel moralem impossibilitatem, quis non confiteatur omnia mortalia ab ultima confessione commissa : tunc confessio erit quidem *formaliter*, sed non *materialiter* integra.

Jamvero integritas *materialis* ad validam absolutionem non semper requiritur : Christus enim, pro sua sapientia ac misericordia, noluit nos obligare ad id quod physice vel moraliter impossibile est; ideoque dantur causæ excusantes a *materiali* integritate, ut infra dicemus. Sed *formalis* integritas, qualis definita fuit, jure divino necessaria est ad validam peccatorum absolutionem, ut ex sequenti principio patebit.

198. (B) Materia *necessaria* confessionis sunt omnia et singula mortalia, post baptismum commissa et nondum declarata in valida confessione. Sed *venialia* post baptismum commissa, et peccata jam directe remissa sunt materia *sufficiens* et *libera*, quatenus subjici possunt clavium potestati et absolvi [1]. Unde duplex erit principium : prius circa integritatem necessariam, posterius circa materiam sufficientem et liberam.

199. 2° *Principium 1um* : **Jure divino necessarium est confiteri omnia et singula peccata mortalia, etiam occulta, post baptismum commissa, quorum memoria, post diligens examen, habetur.** *De fide.*

(A) *Tridentinum* [2] hanc necessitatem integræ confessionis sic definit : "Si quis dixerit, in sacramento Pænitentiæ ad remissionem peccatorum *necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur*, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mu-

[1] *Codex*, cc. 901, 902. — [2] Sess. XIV, can. 7, D. B., 917

tant... A. S." Concilium tamen agnoscit peccata, quæ memoriam fugiunt, a Deo remitti: "Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eadem confessione, inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus [1]: "Ab occultis meis munda me, Domine." [2] De qua exceptione aliisque ejusmodi infra dicemus.

200. (**B**) Ratio hujus necessitatis desumitur ex ipsa voluntate Christi, qui ita decrevit, n. 132.

(**C**) *Convenientia* autem hujus perfectæ integritatis desumitur ex duplici confessoris officio: (**a**) quatenus *judex*, sacerdos æquam non potest ferre sententiam, nisi causa integre cognita, saltem substantialiter; quod quidem ita verum est ut, in judiciis humanis, si inveniatur aliqua substantialis omissio, judicium ut nullum declaretur vel reformetur a superiori auctoritate; atqui confessarius causam integre, etiam substantialiter, cognoscere nequit, nisi pænitens omnia et singula mortalia, etiam occulta, manifestet; nam unum mortale tanti momenti est ut æternam damnationem causare valeat; aliunde unum non remittitur sine ceteris; ergo omnia et singula sunt sincere exponenda.

(**b**) Ut *medicus*, sacerdos non potest spiritualibus pænitentis vulneribus mederi, nisi cognoscat ea omnia saltem quæ mortem animæ inferre valeant; medicus enim corporalis generatim vulnus aut morbum sanare nequit, nisi noverit alias graves infirmi ægritudines, quum unus morbus ex adjunctione alterius gravetur, et medicina, quæ uni morbo competit, alteri nocumentum præstare possit; ita pariter spiritualis medicus ægre potest pænitentem curare, nisi noverit omnes ejus graves spirituales morbos, seu omnia mortalia, quum unum pariter ex adjunctione aliorum aggravetur, et illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret. Necesse est igitur omnia mortalia declarare, ut remedia variis peccatis proportionari valeant [3].

---

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 5, **D. B.**, 900.
[2] *Ps.* XVIII, 13.
[3] Ita fere **S. Thomas**, *Suppl.* q. 9, a. 2.

201. Corollaria. Exinde solvi possunt duæ quæstiones inter theologos disputatæ : (**A**) *Num accusari* debeant *peccata* **in ipso baptismo** *commissa*[1], *puta ob defectum fidei, vel attritionis in adulto baptizato?*

In hoc casu baptismus est quidem validus et *characterem* imprimit, *gratiam* autem non producit, propter obicem. Juxta principium supra expositum, peccatum, quod ante characteris impressionem completum est, non debet accusari, quia est vere ante baptismum commissum; sed peccatum, quod post impressionem characteris perseveravit, seu potius renovatur, accusandum est, utpote post baptismum commissum. Jamvero peccatum sacrilegii, in receptione baptismi commissum, incœptum est et etiam plene commissum ante characteris impressionem, sed, *plerumque* saltem, post characterem receptum renovatum est; ac proinde sub hoc respectu accusari debet. — Quidam tamen dicunt vix discerni posse utrum hujusmodi peccatum post baptismum receptum perseveraverit an non, ideoque ut materiam dubiam habendum esse, nec *necessario* declarari debere. Sed sane *expedit* ut in sequenti confessione accusetur.

202. (**B**) *Num adultus, qui sub conditione rebaptizatus est, teneatur confiteri peccata ante conditionatum baptismum commissa?*

Distinguendum est : (**a**) Adultus *catholicus*, sub conditione rebaptizatus, non tenetur peccata jam sincere accusata iterum confiteri : si enim prior baptismus validus fuit, validæ fuerunt pariter absolutiones datæ; si vero invalidus, posterior baptismus omnia peccata abluet. — Peccata autem nondum ab eo accusata debent declarari, propter rationem mox afferendam quoad non catholicum.

(**b**) Adultus *acatholicus*, ad veram fidem conversus, et sub conditione rebaptizatus, præteritæ vitæ peccata regulariter confiteri debet.

Nam *S. C. Officii*, in casu *Caroli Wipperman*, qui sub conditione rebaptizatus est, post conversionem ab erroribus lutheranis,

---

[1] **S. Thom.**, 3, q. 69, a. 10, ad 2; **Lugo**, disp. XVI, sect. I; **S. Alphons.**, n. 427; **Lehmk.**, n. 356; **Genicot**, n. 258; **Noldin**, n. 224; **Müller**, lib. III, § III, n. 6.

declaravit 17 Junii 1715[1] : "ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur". Ita pariter decretum est in Synodo *Westmonasteriensi I*, pro Anglia, cum approbatione S. Officii, 17 dec. 1868[2]; pro *Statibus Fœderatis Americæ*, in Instructione data episcopo *Philadelphiensi* 20 Jul. 1859[3].

In præfatis itaque regionibus, confessio regulariter *imponenda* est cum ea tamen moderatione quæ legum positivarum propria est. In aliis regionibus, confessio hæc valde *consulenda* est, quo certior sit peccatorum antea commissorum remissio[4].

Ratio autem hujus decisionis hæc esse videtur : qui baptismum suscipit, sive certo sive dubie validum, præsumitur valide baptizatus, usquedum contrarium probetur, ideoque subest jurisdictioni Ecclesiæ; nam, ritum externum suscipiendo, Ecclesiam visibilem ingressus est, et omnibus obligationibus, quibus Ecclesiæ membra ligantur, se subjicit, easque implere tenetur, donec probetur baptismum fuisse invalidum; atqui una ex his obligationibus est confiteri peccata; ergo hanc obligationem adimplere tenetur.

Ordo sequendus in reconciliatione hæreticorum, de quorum baptismo dubitatur, hic est : hæresim abjurent et fidei professionem emittant, deinde sub conditione baptizentur, ac tandem conditionate absolvantur. Attamen confessio ipsa baptismum præcedere potest, dummodo absolutio post baptismum detur, pænitente summatim repetente peccata ante baptismum accusata[5].

203. *Principium 2um* : **Omnia peccata venialia, post baptismum commissa, et peccata tam mortalia quam venialia jam directe remissa, sunt materia sufficiens et libera confessionis.**

(**A**) Hujusmodi peccata esse materiam *liberam*, id est non necessario accusandam, manifesto constat; siquidem *Tridentinum* declarat venialia taceri citra culpam, multisque

[1] *Acta S. Sedis*, IV, 320-324; cfr. *Collectanea P. F.*, n. 644.

[2] *Collectanea*, n. 955.

[3] *Ibid.*, n. 1689. — Ita etiam ex Concilio *Quebecensi*, n. 481.

[4] Recenter quidem vulgatum est (*Analecta eccles.*, 1899, p. 489) decretum *S. C. Propap. Fidei*, jam 12 Julii 1869 datum, ubi dicitur : "Quoad dubium litteris diei 29 elapsi mensis Maii propositum, atque sacramentalem confessionem attingens a neo-conversis exigendam, observandum occurrit responsum *S. O.*, feria V, loco IV, diei 17 Decembris elapsi anni, licet Episcopis Angliæ tantummodo rogantibus datum, *universalem legem continere*, proindeque non solum in Anglia, sed in *aliis etiam regionibus obligare*". Sed professores romani theologiæ moralis putant hoc non esse proprie decretum, sed tantummodo privatum responsum Emi hujus Cong. Præfecti, ideoque vim legis non habere. Cf. **Bucceroni**, *Casus conscientiæ*, 120, p. 517-521.

[5] Ita *S. C. Officii*, 7 Dec. 1874, *Collect. P. F.*, n. 957.

aliis remediis expiari posse[1]; peccata autem jam remissa, eo ipso quod remissa sunt, non necessario iterum subjici debent Ecclesiæ clavibus.

204. (**B**) Eadem peccata esse materiam *sufficientem*, id est a qua absolutio obtineri possit, sic demonstratur.

(**a**) Quoad *venialia*, habemus imprimis *fidelium praxim*, qui venialia jam a longo tempore accusant : porro Ecclesia hanc praxim non solum non reprobat, sed potius promovet; ait enim *Tridentinum*[2] " Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam *recte et utiliter*, citraque omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt ". Et merito quidem venialia sunt materia sufficiens confessionis sacramentalis; si enim sola mortalia accusarentur, quicumque ad sacrum tribunal recurreret, reus esse judicaretur gravium delictorum; et sic confessionis onus gravius redderetur[3].

(**b**) Quoad peccata *jam remissa*, *Benedictus XI* hæc habet[4] : " Ceterum licet *de necessitate non sit* iterum eadem confiteri peccata; tamen... propter erubescentiam, quæ magna est pænitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio reputamus *salubre* ". Revera, cum iterari possint actus pænitentiæ, ut magis ac magis peccatorum reliquiæ abstergantur, cur non possint delicta jam remissa iterum clavibus subjici, ut magis ac magis deleantur et expientur?

Nec dicatur in rebus humanis neminem posse bis in eodem tribunali judicari et absolvi; nam, cum remissio peccati fiat per infusionem gratiæ, simulque cum diminutione pœnæ conjungatur, iterum accusari possunt peccata jam remissa ad majorem gratiæ infusionem pœnæque remissionem; aliunde judicium iterari potest, quatenus confessarius judicare valet utrum dispositiones pænitentis ad novam absolutionem sufficiant an non.

Ex hoc sequitur in confessione ordinaria licite posse omitti venialia, sive omnia, sive pauca; pariter in confessione generali, *non*

---

[1] *Sess. XIV*, cap. 5, **D. B.**, 899. — [2] *Ibidem*.

[3] De utilitate venialia accusandi præclare disserit **S. Franciscus Salesius**, *Introduction à la vie dévote*, p. II, c. 19.

[4] Const. *Inter cunctas*, 1304, *Extravag. Comm.* l. 5, t. 7, c. 1.

N.B. "For three years out of my past life" nothing serious matter — do not want to tell them, do this enough for the law? — is it enough

necessaria, omitti posse illa mortalia quæ jam directe absolutione sacramentali remissa sunt. Insuper, si materia libera declaretur, non necesse est ut infima species cujuslibet peccati exponatur; nam si nulla est obligatio hæc peccata accusandi, a fortiori non necessarium est ea in specie declarare.

205. Controversia. Inter theologos ipsosque Thomistas controvertitur utrum *imperfectiones morales* sint materia sufficiens confessionis an non; seu, aliis verbis, utrum sint *peccata venialia* an simplices defectus. (**a**) Juxta multos, v. g., *Lugonem*, *Lehmkülh* [1], imperfectio est voluntaria actio vel omissio, quæ divino *consilio*, non autem præcepto, adversatur, v. g., quando quis, gratia sollicitatus, neglexit audire missam per hebdomadem, aut visitare SS. Sacramentum, dum ad id faciendum gratia traheretur; jamvero talis actus, cum præcepto non adversetur, non est peccatum. (**b**) Juxta alios [2] autem, imperfectio est voluntaria omissio seu neglectus divinæ inspirationis, ideoque *veniale peccatum;* tunc enim deliberate rejicitur melius bonum ad faciendum quod est minus bonum; atqui rejicere melius bonum nobis a Spiritu Sancto propositum, est quid inordinatum, ideoque peccatum.

Quidquid sit, juxta omnes, sæpe in his imperfectionibus latet aliquod veniale peccatum intentionis leviter malæ, v. g., vanitatis, acediæ, cujus plus minusve conscii sunt pænitentes qui de his se accusant. Hinc confessarius impedire non debet quominus pii pænitentes has imperfectiones declarent, tum quia iis admisceri solet culpa venialis, tum ut melius dirigantur; sed potius hortandi sunt ut dicant quo motivo hos actus perfecerint; et, si nihil aliud accusent, benigne inducantur ad iterum confitendum aliquod vitæ præteritæ peccatum.

206. Corollaria. (**A**) Materia confessionis dicitur *dubia*, si non constat utrum actus sit peccatum an non, utrum, v. g., sit deliberatus an non, utrum sit peccatum veniale an mera imperfectio.

Jamvero qui non accusat nisi materiam dubiam, non potest absolvi modo *absoluto*, quia sacramentum nullitatis periculo exponeretur; imo non debet regulariter *conditionate*

[1] **Lugo**, *De pænit.*, disp. III, sect. I, 9-10; **Lehm.**, n. 360; cf. **P. Garrigou-Lagrange**, *Vie spirituelle*, sept. 1923, p. 583-592.
[2] **E. Hugueny**, *D. T. C.*, voce *Imperfection.*

absolvi absque ratione sufficienti, ut supra exposuimus ubi de conditionata absolutione (n. 94 sqq.).

Igitur *in praxi*, quando pænitens vel nullum peccatum accusat, vel solum peccatum dubie commissum, (a) confessarius eum interroget de peccatis quæ communius committuntur, v. g., contra caritatem, vel patientiam, aut veracitatem, aut officia ejus statui propria; (b) si nihil certi obtineat, suadeat pænitenti ut declaret aliquod certum peccatum vitæ anteactæ, sive mortale, sive veniale; quod facilius erit, si confessarius ipse has aut similes quæstiones proponat: "nonne in præterita vita peccavisti contra obedientiam parentibus debitam, vel caritatem erga proximum? nonne motibus iræ consensisti, etc.?" — Si pænitens nullum certum peccatum tunc accuset, de necessariis ad salutem interrogetur; nam adest haud improbabilis suspicio eum forsan ignorare ea quæ necessaria sunt necessitate medii : quo casu, non potest absolvi nisi prius instruatur, ut infra dicetur ubi de officiis confessarii[1].

207. (B) Exinde intelligi datur quo sensu sufficiat accusatio *generica*, quando agitur de materia libera.

Triplex esse potest hujusmodi accusatio : (a) accusatio omnino vaga et *indeterminata*, verbis signisve expressa, v. g., peccavi, accuso me de omnibus peccatis vitæ præteritæ, quin determinetur utrum hæc peccata fuerint gravia an non; quod pariter signis fieri potest, v. g., tunsione pectoris, vel suspiriis aut lacrymis; (b) accusatio *peccati gravis in genere*, v. g., peccavi graviter, quin tamen peccati genus vel species determinetur; (c) accusatio *generica simpliciter*, indicando virtutem vel legem contra quam offensum est, quin determinetur species infima, v. g., peccavi contra caritatem, contra justitiam, vel contra quartum præceptum.

208. (a) Si agitur de accusatione omnino *indeterminata*, triplex datur opinio :

1) Quidam, cum *Ballerini*[2], putant hanc accusationem sufficere tum ad *validitatem*, tum ad *liceitatem*. Nam quod in necessitate sufficit ad validitatem sacramenti, id, etiam extra necessitatem, sufficere debet, cum essentia sacramenti eadem maneat in utroque casu. Insuper id sufficit ad liceitatem; nam, ut ait *Bucceroni*[3], stante certa sacramenti validitate, illiceitas aliunde oriri non potest,

[1] Cfr. Reuter, *Neo-Confessarius*, n. 117.
[2] Gury-Ballerini, n. 421, m. b.
[3] Bucceroni, n. 675.

quam ex positivo divino præcepto; atqui hoc præceptum non habetur in casu materiæ liberæ; ergo licita est in hoc casu accusatio indeterminata.

2) Alii e contra tenent indeterminatam accusationem non solum non licere, sed etiam *validitatem* sacramenti *dubiam* reddere; ita *Laymann*, *Suarez*, *Lehmkuhl*[1]; nam, ex usu et praxi Ecclesiæ, *specifica* peccatorum, etiam venialium, confessio per longum tempus viguit, extra necessitatis casum; jamvero hæc consuetudo legis divinæ interpres esse videtur; itaque, quamvis venialium accusatio non sit necessaria, si quis vult ab eis absolvi, tenetur in specie eadem explicare. — Aliunde sacramentum Pænitentiæ per modum judicii confertur; atqui natura judicii postulat ut materia sit determinata, in quantum fieri potest; in casu quidem necessitatis, sufficere possunt essentiales formalitates, sed in casu ordinario requiruntur etiam minus essentiales : unde ex eo quod in articulo mortis indeterminata accusatio sufficiat, minime sequitur eamdem extra casum necessitatis sufficere, etiam ad validitatem.

3) Tertia tandem opinio, quam propugnat *Noldin* (n. 231-232), contendit indeterminatam hujusmodi accusationem sufficere quidem ad validitatem, propter argumenta primæ opinionis, *non* autem ad *liceitatem*, ut constat ex argumentis secundæ sententiæ.

Unde *in praxi* omnino suadendum est ut, etiam in materia libera, specifice unum saltem peccatum declaretur; sic enim melius validitati sacramenti providetur, necnon pænitentium spirituali bono, quippe qui contritionem facilius concipiunt, ac magis practica consilia accipere valent, si peccata magis determinate accusent. — Attamen, si pænitentes ita rudes aut memoria carentes sint, ut nihil ab eis extorqueri possit nisi generica confessio, aliquando possunt sub conditione absolvi, ne secus diu absque beneficio sacramenti maneant.

209. (**b**) Accusatio secundi generis, scilicet *peccavi graviter*, vel *accuso me de peccatis meis mortalibus*, multo probabilius valida est, imo et licita, quando fit ad cautelam, post declarata peccata nondum remissa; nam peccatum mortale, etiam modo generali declaratum, non est materia indeterminata, sed sufficienter concreta, ut de ea judicium ferri possit; aliunde, cum agatur de materia libera, nulla lege

[1] **Laymann**, lib. V, tr. 6, c. 5, n. 14; **Suarez**, disp. XXIII, sect. I, n. 10; **Lehm.**, n. 363.

præcipitur peccata magis specifice declarare. Ita *Lehmkuhl* (n. 361) cum multis aliis.

210. (c) Juxta omnes, tertii generis accusatio, videlicet "*contra talem virtutem peccavi*", quin infima species ac numerus declarentur, *omnino sufficit* in materia libera, cum certo judicium de tali materia proferri possit. Imo hæc praxis omnibus suadenda est qui solum venialia accusant, præsertim si dubie commissa fuerint, ut sic validitati ac efficacitati absolutionis tutius provideatur. Caveat tamen pænitens ne hæc declaratio mera consuetudine fiat, sed cum debita attentione ac dolore sincere concepto.

§ II. De ambitu seu extensione integritatis.

Quæstio expendi potest quoad 1° *speciem* peccatorum, 2° eorum *numerum*, 3° *circumstantias*, 4° *peccata dubia;* 5° per modum conclusionis, dicemus de *mendacio* in confessione commisso.

Tridentine Sam is the number + kind of sin

1° De integritate quoad speciem peccatorum.

Call them as they are + them. What they thought at the time they did it

211. *Principium :* **Ad integritatem confessionis requiritur ut mortalia accusentur secundum speciem infimam, in quantum moraliter fieri potest.** Certum est.

(A) *Probatur :* (a) *Tridentinum* enim declarat[1] "sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, *si in genere dumtaxat, et non potius in specie*, ac sigillatim sua, ipsi (pænitentes) peccata declarassent". Jamvero vox *in specie* de ultima, seu de infima specie proprie intelligitur. — Confirmatur ex *Cod.* can. 901.

(b) Ratio est quia peccata *specie* diversa malitiam omnino distinctam præ se ferunt, ut exponitur in *Tr. de Peccatis;* ita, v. g., malitia judicii temerarii diversa est a malitia detractionis vel contumeliæ; atqui confessarius non potest recte de statu pænitentis judicare, nisi cognoscat specialem malitiam peccatorum quæ declarantur; ergo.

Proinde non sufficit dicere : contra caritatem peccavi;

[1] Sess. XIV, cap. 5, D. B., 899.

N.B. Each species adds another sin does not change. the multiplicity of the sins

sed exponendum est num quis peccaverit per odium, vel discordiam, aut scandalum, etc.

212. (B) *Declaratur.* Dixi tamen "*in quantum moraliter fieri potest*"; nam (a) multi dantur pænitentes, qui, propter ignorantiam, non distinguant minutiores species quorumdam peccatorum; hi nequeunt specialem malitiam accusare quam ignorant, et cujus valde probabiliter rei non sunt, cum eam non apprehenderint. Unde non tenetur confessarius eos minutim de his interrogare, ne confessionem exosam reddat, contra intentionem Christi.

Quod præsertim occurrit quoad peccata *cordis* et *oris;* ita, v. g., multi non distinguunt inter delectationem morosam, complacentiam peccati commissi et desiderium peccati committendi, eaque omnia sufficienter accusare putant, si dicant : *cogitationes turpes in mente habui eisque consensum præbui;* pariter, quoad colloquia prava, nullum discrimen instituunt inter narrationem obscænam, jactantiam de peccatis commissis et provocationem ad malum, eaque omnia comprehendunt hac generali accusatione : *sermones turpes habui.* Jamvero, si constet eos non apprehendisse diversas malitias horum peccatorum, et timeatur ne minutæ interrogationes eos perturbent vel tædio afficiant, ab his interrogationibus confessarius pro tempore abstinere potest [1]; postea vero, occasione data, melius eos instruere conabitur.

(b) Quandoque etiam pænitens ab infima specie accusanda excusatur ob defectum memoriæ. Qui vero non recordatur speciem *infimam*, tenetur *genericam* declarare; v. g., qui scit se contra caritatem peccasse, quamvis non recordetur quomodo, tenetur dicere : *contra caritatem graviter peccavi.* Iterum qui conscius est se peccasse mortaliter, quamvis non recordetur quale peccatum commiserit, dicere debet : *graviter peccavi.*

213. Corollaria : (a) *Ad integritatem confessionis non sufficit actum internum exprimere, sed actus externus peccati declarandus est;* v. g., qui proximum injuste occidit, non satisfacit præcepto integritatis dicendo : *desiderium habui innocentem occidendi.* Nam, quamvis actus externus quoad

[1] Ita **Berardi**, *Praxis*, n. 4505; **Genicot**, 284; **Morino**, not. 1 ad n. 453. Quibus jam præerat **Lugo**, qui in Præfat. ad *Tr. de Pænit.*, scribit : "Ad praxim hujus sacramenti considerandum non solum est, quid utcumque verum quasi in abstracto sit, sed quid etiam moraliter et humano modo fieri possit ac deceat; ita ut remedium hoc, suavitate ac dulcedine plenum, non fiat sua difficultate impossibile, vel horrorem nimium ingerat humanæ fragilitati".

malitiam sit ejusdem speciei ac actus internus, tamen, ex communi sapientium ac fidelium æstimatione *moraliter* ab eo differt; et merito, nam dicta vel facta sane differunt a cogitationibus et desideriis, majoremque malitiam supponunt; præterea frequenter internam augent malitiam, ut dictum est *de Actibus Humanis*, n. 162. Aliunde, absque declaratione actus externi, confessarius vix munere suo fungi potest circa occasiones vitandas, restitutionem imponendam et remedia præbenda : hæc enim omnia ab actu externo pendent.

Quod verum est non solum de peccatis commissionis, sed etiam de peccatis omissionis; v. g., qui sacrum omisit die festo, non satisfaceret dicendo : *desiderium habui sacrum omittendi.*

214. (**b**) *Controvertitur* autem num exprimi debeat *effectus* mortaliter malus ex peccato prævisus, v. g., blasphemia in ebrietate prolata, mors secuta e veneno propinato. — Juxta omnes, *per accidens* datur obligatio talem effectum confitendi, si ex effectu secuto incurratur censura, aut reservatio aut obligatio restituendi; ita, si quis abortum procuraverit, *effectu secuto*, hoc declarare debet, propter censuram huic effectui annexam.

Seclusis his casibus, triplex est opinio; alii probabilius cum *S. Alphonso* (l. IV, n. 149) *affirmant*, dummodo effectus malus fuerit, saltem in confuso, prævisus [1], nec voluntas prava retractata fuerit, antequam effectus produceretur; nam talis effectus, utpote prævisus, est voluntarius in causa, ac proinde peccatum. Ita qui se inebriat prævidendo se missam omissurum, tum ebrietatem tum sacri omissionem confiteri tenetur. Excipitur tamen casus quo mala voluntas ante effectum retractata fuerit, v. g., si ebrius, antequam rationis usum amiserit, jam peccatum suum retractavit, quamvis postea, propter liquorem absorptum, rationis usum amittat et sacrum omittat : tunc enim effectus est solum materialiter malus; sufficit igitur declarare : ebrius fui et sacrum omittere volui.

Alii, cum *Lugone* [2], probabiliter *negant*, quia tota malitia actus est in causa, non autem in effectu qui ex ea sequitur; siquidem non

[1] Notandum est tamen id quod *in confuso* tantum prævidetur non esse tam peccaminosum quam id quod clare et distincte. Cfr. *Vieux Moraliste*, in *Ami du Clergé*, t. XX (1898), p. 1025-1030 et 1121-1129.

[2] **Lugo**, disp. XVI, sect. 9, cum auctoribus quos allegat n. 440.

potest actu peccare qui actu moraliter non agit; atqui is qui causam peccaminosam posuit, moraliter non agit tempore quo effectus producitur, cum actu dormiat vel distractus sit; ergo ille effectus non est proprie peccatum; ergo sufficit causam accusare, quin effectus declaretur.

215. Quidam, cum *D'Annibale*[1], sic distinguunt : si effectus hujusmodi novum peccatum inducat, et talis sit ut ex causa posita sequi possit vel non, declarandus est; v. g., si quis, propter ebrietatem, omisit sacrum die festo, vel blasphemavit, vel occidit, debet significare se, vino indulgendo, hæc pericula prævidisse, et revera ebrium omisisse sacrum, blasphemasse, occidisse. Secus, effectus malus non est necessario declarandus; v. g., ei qui domum alterius incendit, vel venenum homini propinavit, sat erit dicere : domui alienæ ignem admovi, vel alicui venenum dedi.

In hac opinionum varietate, pænitentes non cogendi, sed tantum hortandi sunt ad effectum malum declarandum. In praxi vix adest ulla difficultas, cum plerique fideles, harum distinctionum ignari, generatim declarent illos effectus malos quorum conscii sunt.

2° De integritate quoad numerum peccatorum.

216. (A) *Principium :* **Ad integritatem confessionis, pænitens tenetur etiam numerum peccatorum mortalium distincte manifestare, in quantum moraliter cognosci valet.** Certum est.

Id constat ex *Tridentino* definiente *omnia* et *singula* mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, esse accusanda; et declarante eos qui secus faciunt, et *scienter aliqua retinent*, nullius peccati veniam consequi[2]; ex *Cod.* can. n. 901.

217. (B) **Corollaria :** (a) Quando pænitens certo novit numerum peccatorum, illum sincere confiteri debet, non majorem nec minorem; secus esset sacrilegum mendacium. Hinc dici non debet : sexies *circiter* blasphemavi, quando certus cognoscitur numerus; vox enim *circiter* rem dubiam facit, et ita confessarius decipitur.

(b) Quando, post diligens examen, numerum certum non novit,

---

[1] **D'Annibale**, n. 303 et not. 23; **Morino**, n. 453.
[2] *Trident.*, sess. XIV, can. 7 et cap. 5, **D. B.**, 917.

debet accusare numerum probabiliorem, id est, qui magis ad veritatem accedat, addendo particulam *circiter*, vel *plus minusve*. Hæc autem clausula, juxta *S. Alphonsum* (n. 466), non habet sensum absolutum, sed respectivum ad numerum cui additur; videlicet *circa ter* intelligatur : 2-4; *circiter decies* : 8-12; *circa triginta* : 27-33; *circa centum* : 95-105; *circa mille* : 950-1050. Jamvero si pænitens postea cognoscat se errasse, numerum *minuendo*, non tenetur errorem corrigere in alia confessione, nisi numerus notabiliter superet numerum approximativum, ita ut includi non possit in particula *circiter;* ita, si dixit *circiter decem*, et postea noverit se *duodecies* peccasse, ad nihil tenetur; secus, si de facto *quindecies* peccaverit. — Qui vero *bona fide* notabiliter numerum exaggeravit, non tenetur confessionem repetere, quia plus continet minus.

(c) Si pænitens non possit etiam approximativum numerum recolere, quia *consuetudinem* peccandi diu fovit, sufficit ut consuetudinis durationem indicet, addendo, si fieri potest, quoties circiter in die, vel hebdomade, vel mense peccaverit : facilius enim id recolitur quam integra peccatorum summa. — Imo quando consuetudo talis est ut singuli actus sint indeliberati, quamvis consuetudo ipsa sit graviter culpabilis, utpote non retractata, prout sæpe occurrit in blasphemantibus, necesse non est numerum blasphemiarum explicare, sed sufficit dicere : habeo inveteratam consuetudinem blasphemandi inadvertenter quoties se præbet occasio[1]. Item, juxta *Lugonem*[2], quando homines rustici vel plebeii confitentur colloquia de rebus turpibus cum sociis, quæ quidem passim tota die, dum simul laborant, aliqui miscere solent tam circa viros quam circa mulieres, tam circa conjugatas, quam circa solutas, sufficit explicare consuetudinem et species principales, quin numerus declaretur, cum id sit moraliter impossibile.

218. (d) Quando agitur de peccatis *internis*, sive cogitationibus sive desideriis, quæ quotidie valde frequentia fuerunt, sufficit hanc frequentiam modo generali exprimere, dicendo, v. g., per unum mensem frequenter in die gravia mala inimico imprecatus sum; vel, per duos menses sæpe in die pravis desideriis consensum præbui. Tunc enim confessarius, audito temporis spatio, moraliter loquendo conjicere potest qualis fuerit peccatorum numerus. — *Speculative* loquendo pænitens dicere deberet quoties circiter hujusmodi desideria interrupta fuerint; sed in praxi rudes id facere nequeunt, cum ad hoc non advertant.

---

[1] Ita **Sporer**, *Theol. Sacram. de Pœnit.*, n. 455; **Genicot**, n. 285.
[2] **Lugo**, disp. XVI, n. 575.

219. (e) Qui *bona fide* peccata sua modo *indeterminato* et confuso, quoad numerum, accusaverunt, quia tunc melius ea explicare non poterant, *probabiliter non tenentur ad iterandam confessionem*, si postea, doctiores facti, hunc numerum distinctius apprehendunt; nam peccata quæ declaraverunt, juxta cognitionem quam tunc temporis habebant, *directe* remissa sunt, utpote sufficienter contenta in hac confusa accusatione; atqui non datur obligatio iterum confitendi peccatum jam per absolutionem directe remissum [1].

3° De integritate quoad circumstantias peccatorum.

220. Inter circumstantias, quædam *mutant peccati speciem*, quia videlicet novam malitiam constituunt specifice distinctam a malitia ipsius peccati : v. g., circumstantia *rei sacræ*, in furto, addit peccato injustitiæ malitiam specialem sacrilegii; aliæ autem solummodo malitiam *aggravant intra eamdem speciem*, sive ratione intensitatis, sive ratione durationis, aut modi etc. : ita peccatum homicidii certo aggravatur circumstantiis quibus mors infligitur, v. g., prius amputando manus pedesque, aut oculos effodiendo.

(A) *De circumstantiis speciem mutantibus.*

221. *Principium :* **Ad integritatem confessionis necesse est accusare circumstantias speciem peccati mutantes, si nova malitia sic inducta gravis sit et ut talis apprehendatur.** Certum est.

Definit enim *Tridentinum* [2] necessarium esse confiteri "circumstantias quæ *peccati speciem* mutant". Ratio est quia illæ circumstantiæ, eo ipso quod speciem mutant, novum et distinctum peccatum constituunt, cum distinctam legem violent vel distinctæ virtuti adversentur.

Si vero malitia nova, peccato superaddita, gravis non sit, vel, etiamsi objective gravis, ut talis a subjecto non apprehendatur, peccatum grave non constituit, nec proinde necessario declarari debet.

---

[1] Ita **Lugo**, disp. XVI, n. 577-588; **Genicot**, n. 285.
[2] Sess. XIV, can. 7, **D. B.**, 917.

222. Corollaria. Præcipuæ circumstantiæ, quæ speciem mutare valent, breviter tantum hic exponuntur[1], cum in variis Tractatibus fusius declarentur :

(a) Circumstantia *personæ peccantis* speciem mutat, quando peccatum contra castitatem committitur a persona Deo consecrata voto castitatis vel ordine sacro : tunc enim est sacrilegium personale; — vel quando persona peccans est conjugata : est enim adulterium; — aut quando quis scandalizat personam cujus spiritualem curam habet vi *muneris sui*, v. g., si parochus peccat cum parochianis, parentes cum filiis, magister cum discipulis : hi enim ex *justitia* vel *pietate* tenentur subditorum spirituale bonum promovere, ideoque contra alterutram virtutem peccant.

(b) Pariter circumstantia *personæ cum qua vel contra quam peccatur* speciem mutat in materia castitatis, si quis peccat cum conjugata (adulterium), vel cum cognata aut affini (incestus); — in materia caritatis vel justitiæ, si quis odio habuerit, vel percusserit aut calumniatus fuerit parentes, vel filios, aut avos, nepotes affinesve in primo gradu : tunc enim offenditur pietas.

(c) Circumstantia *loci* speciem mutat, quando sacrilegium ex hoc inducitur, v. g., quando actus externus contra castitatem in ecclesia committitur, aut ibidem res sacræ surripiuntur.

(d) Circumstantia *finis* mutat speciem, quando in se est graviter peccaminosa, v. g., si quis turpia proferat cum intentione innocentem personam seducendi.

(B) *De circumstantiis quæ speciem non mutant.*

223. Quid certum? Ut certa ab incertis secernamus, hæc statuimus : juxta omnes, non sunt necessario accusandæ circumstantiæ quæ *notabiliter non aggravant* peccati malitiam. Aliunde accusari debent circumstantiæ sive scandali, sive erroneæ conscientiæ, sive quantitatis, etc. quæ aliquod peccatum *ex veniali faciunt mortale;* v. g., leviter turpia loqui coram innocentibus pueris, qui exinde occasionem sument graviter peccandi, — asses decem furari cum quis putat hoc esse grave peccatum, — quantitas furti, quatenus necessaria est ad dignoscendum utrum peccatum sit grave vel leve. Item manifestari debent circumstantiæ quæ censuram aut reservationem importent.

[1] Ad fusiorem hujus rei expositionem cfr. **Lugo**, disp. XVI, n. 144-390; **Suarez**, disp. XXII, sect. 4; **Salmantic.**, cap. 8, n. 51-114.

224. Quid disputetur? Sepositis autem his casibus, controvertitur utrum *circumstantiæ notabiliter aggravantes peccati malitiam, intra eamdem speciem, sint necessario accusandæ.*

(a) *Suarez*, *Billuart*, *Collet*, *Lacroix* aliique [1] affirmant. 1) Quamvis enim id expresse non doceat *Tridentinum*, id tamen insinuat; siquidem declarat ideo circumstantias peccati esse accusandas quia secus fieri nequit ut confessarii "de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pænitentibus imponere" [2]; atqui eadem ratio militat pro circumstantiis notabiliter aggravantibus; nam quædam ex eis malitiam peccati plus augere videntur quam nonnullæ circumstantiæ quæ mutant speciem; ita qui deliberate ac crudeliter mutilat innocentem, ejus manus et brachia amputando oculosque effodiendo, et postea eum occidit, gravius peccat quam qui subito ira motus uno ictu alium occidit in ecclesia. Aliunde multo major pænitentia imponenda est ei qui furatus est mille aureos quam ei qui viginti tantum.

2) Id expresse docet *Catechismus Romanus*, optimus Concilii interpres [3]: "Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, et *pravitatem valde augent* vel minuunt".

3) Consonat ipsa ratio; nam, si pænitens has tacet circumstantias, implicite negat peccatum suum tantam habere gravitatem: cum enim duplex sit modus illud peccatum committendi, unus ordinarius, alter extraordinarius et cum peculiari deformitate, quando pænitens simplici modo peccatum confitetur, confessarius nec potest nec debet intelligere eum aliter peccasse quam ordinario modo, et ita decipitur quoad peccati gravitatem [4].

225. (b) Pauci alii cum *Sporer* (n. 410), putant necessario confitendam esse circumstantiam *quid*, v. g., quantitatem furti, quia substantialem integritatem peccati attingit, non autem alias.

226. (c) *Communior* tamen opinio negat [5] cum *S. Thoma*, *S. Alphonso* et plerisque modernis. Nam 1) dum *Tridentinum* explicat necesitatem confitendi mortalia, eorumque circumstantias,

---

[1] **Suarez**, disp. XXII, sect. 3, n. 5; **Billuart**, diss. VII, a. 2, § 3; **Collet**, n. 321 (ed. *Migne*, p. 484); **Lacroix**, n. 977, aliique ab his auctoribus allegati.

[2] Sess. XIV, cap. 5, **D. B.**, 899.

[3] *De Sacram. Pænitent.*, n. 39. — [4] Ita fere **Suarez**, n. 10.

[5] **S. Thom.**, in 4 dist. 16, q. 3, a. 2, quæstiunc. 5; *Opusc.* 7 (alias 10) ad Lectorem Bisunt., q. 6. Post instructionem datam pro clero romano a *Benedicto XIII* "de hac re nec disputandum puto" (**D'Annibale**, III, n. 303, not. 20).

semper hanc addit limitationem "*circumstantias, quæ speciem peccati mutant*"; atqui talis limitatio videtur excludere alias circumstantias; si quis enim, necessitatem confitendi peccata exponens, semper adderet hanc limitationem "peccata quæ sint mortalia", certe excludere videretur omnia venialia; ita pariter Concilium obligationem confitendi circumstantias limitando ad eas quæ speciem mutent, alias excludere merito videtur.

Nec dicatur Concilium *implicite* obligationem docuisse alias circumstantias confitendi, propter argumentum superius (n. 224) allatum; nam confessarius judicium prudens efformare potest statim ac speciem peccati novit, cum circumstantiæ, etiam notabiliter aggravantes, substantialiter malitiam peccati non augeant; quidditas enim peccati sumitur ex ejus specifica determinatione; ergo declarando speciem, sufficienter declaratur essentia peccati. Quoad pænitentiam imponendam, non requiritur omnimoda, sed solum quædam æqualitas vel proportio inter peccatum et satisfactionem; porro hæc proportio sane determinari potest cognita specie peccati, quin manifestentur circumstantiæ etiam notabiliter aggravantes.

2) *Catechismus Romanus*, inspecto contextu, nostræ opinioni non adversatur, quia ex exemplis ibidem allatis constat hic agi de illis circumstantiis quæ peccatum ex veniali mortale faciunt, vel speciem mutant; ait siquidem, post verba ab adversariis citata: "quædam enim circumstantiæ adeo graves sunt ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet"; postea asserit necessitatem declarandi circumstantiam personæ sacræ in homicidio, vel conjugatæ in fornicatione; aliaque exempla adducit, ad illas circumstantias pertinentia quæ speciem mutent. Ibidem præscribit confitendas esse circumstantias *valde minuentes*: porro omnes fatentur id verum esse solum de eis quæ mutant speciem, vel peccatum e mortali faciunt veniale. Ergo *Catechismus* rite intellectus potius nostræ sententiæ favet.

3) Aliunde Christus noluit confessionem esse *carnificinam conscientiarum*, teste *Tridentino*; atqui si necesse esset omnes circumstantias notabiliter aggravantes declarare, tum confessarii tum pænitentes in angustiis versarentur, cum sæpe difficile sit determinare quænam circumstantiæ sint *notabiliter* aggravantes, ac proinde necessario accusandæ.

227. *Ad praxim* quod spectat, fideles solent *notabiliores* circumstantias declarare; et hoc quidem generatim fidelibus *suadendum* est, non ut præceptum sed ut *consilium*, tum ad majorem conscientiæ pacem, tum ad uberiorem fructum ex absolutione percipiendum. Excipitur tamen materia *castitatis*, de qua nihil est ulterius inquirendum præter id quod necessarium est ad speciem peccati cognoscendam, ne forte

scandalizentur pænitentes [1] et ipsi confessarii tentationibus exponantur. — Hinc, si pænitentes bona fide circumstantias hujusmodi in præviis confessionibus reticuerint, ad iterandas confessiones non sunt cogendi, cum obligatio eas accusandi sit saltem valde dubia.

228. Attamen, juxta omnes, *per accidens* adest obligatio eas declarandi, quando confessarius *legitime* de illis *interrogat.* Jamvero jus habet de eis interrogandi, quando id necessarium est ad rectum judicium de statu pænitentis ferendum, v. g., ad cognoscendum utrum pænitens sit consuetudinarius an non, utrum in occasione proxima versetur, an sit recidivus. Constat ex damnatione prop. 58 ab *Innocentio XI* (2 martii 1679) : " Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem " [2]; eadem enim est ratio de occasione proxima et frequenti relapsu ac de consuetudine.

4° De integritate confessionis quoad peccata dubia.

229. Ad *perfectam* sinceritatem confessionis sane optandum est ut peccata accusentur prout nota sunt, certa ut certa, dubia ut dubia. Juxta omnes, id suadendum est omnibus, scrupulosis exceptis, ad conscientiæ tranquillitatem et uberiores fructus ex sacramento percipiendos. — Sed quærunt insuper theologi utrum adsit *stricta obligatio peccata dubia declarandi.*

230. *Principium :* **Quando peccatum est vere dubium, vel dubie mortale [3], post diligens examen, non est stricta obligatio illud confitendi.** Ita communiter.

---

[1] Non solum scandalizari possunt pænitentes in hoc casu, sed etiam sacrilegas confessiones facere; quidam enim has aggravantes circumstantias in materia turpi referre maxime horrescunt easque reticent, etiamsi falso existiment has ad integritatem confessionis pertinere et exponendas esse. Cfr. **Gaume,** *Manuel des Confesseurs*, n. 60.

[2] **D. B.**, 1208. — Hanc propositionem expositam vide ap. **Viva,** *Damnatæ Theses*, in prop. 60, n. 16-18.

[3] Peccatum est *vere dubium*, quando serio dubitatur num fuerit commissum, v. g. num quis consensum præbuerit pravæ cogitationi; *dubie mortale*, quando fuit certo commissum, sed de ejus gravitate serio dubitatur, v. g., ob levitatem materiæ, vel ob imperfectionem advertentiæ aut consensus.

Etenim lex materialis integritatis in confessione ad licitam, non autem ad validam administrationem sacramenti spectat, proindeque hic applicari possunt principia probabilismi in *Tr. de Conscientia* exposita. Juxta *probabilistas*, *lex dubia non obligat;* atqui in hoc casu lex confitendi dubia est, cum dubitetur vel de ipsa existentia peccati, vel de ejus gravitate. Quod confirmari potest ex *Tridentino*, ubi declarat accusanda esse mortalia quorum, post diligens examen, *conscientia* habetur; porro conscientia supponit scientiam, seu cognitionem moraliter certam : ideoque conscientia non habetur peccatorum dubie commissorum; si vero peccata fuerint certe commissa et sint dubie mortalia, non habetur conscientia eorum gravitatis. Juxta *æquiprobabilistas*, in conflictu duarum opinionum *æque* aut fere æque probabilium, melior *est conditio possidentis;* porro in hoc casu libertas possidet, non autem lex, cum hæc non possit ligare, nisi constet peccatum fuisse commissum et simul esse grave.

Attamen *æquiprobabilistæ* et *probabilioristæ* contendunt accusanda esse hujusmodi peccata, si *probabilius* sit ea fuisse commissa ac simul gravia esse.

231. Practica conclusio. *In praxi generatim suadenda est peccatorum dubiorum accusatio.* Si vero dubium versatur circa gravitatem peccati certo commissi, distinguendum est : (**a**) si dubitatur num **materia** sit gravis, *rudes et ignari* monendi sunt ut dubia peccata confiteantur, nisi sint scrupulosi, quia vix possunt mortalia a venialibus discernere; *docti* autem possunt quidem sibi efformare conscientiam, sed ad dubia declaranda suaviter hortandi sunt.

(**b**) Si dubitatur num fuerit *plena* **advertentia** *plenusve* **consensus,** *timorati* possunt ab accusandis dubiis abstinere, quia præsumitur eos non graviter consensisse; *scrupulosi* ab hac accusatione omnino abstinere debent; *laxi* aut in mortalia frequenter labentes ad dubia confitenda inducendi sunt, quia, ex communiter contingentibus, hi plenum consensum præbuisse censentur [1].

[1] Cfr. **S. Alphons.**, n. 476; **Lacroix**, n. 612.

232. Quæstiones disputatæ. (**A**) Si peccatum fuit certo commissum ac mortale, dubitatur autem num fuerit accusatum : (**a**) juxta omnes, declarari debet, si dubium sit *mere negativum*, i, e., si nulla sit ratio positiva saltem probabilis quod tale peccatum jam accusatum fuerit; nam dubium mere negativum non destruit obligationem moraliter certam tale peccatum clavibus submittendi.

(**b**) Si vero dubium sit *vere positivum* ac serio probabile (quod verificatur quando quis diligenter examen ac confessionem instituere solet), *controvertitur*. Juxta *probabilistas*, lex confitendi in hoc casu dubia est nec proinde obligat; juxta *æquiprobabilistas*, manet obligatio tale peccatum confitendi; nam in dubio melior est conditio possidentis : porro obligatio confitendi in hoc casu possidet, cum peccatum grave certo fuerit commissum. Attamen *S. Alphonsus* hanc opinionem moderatur, addendo (n. 477) eum, qui diligens fuit in peccatis suis confitendis, non teneri ad confitendum, si dubitat num aliquod mortale omiserit, postquam *multum* elapsum est tempus a tempore quo illud patravit, cum possit in hoc casu certo moraliter credere jam de illo confessum fuisse.

In praxi putamus pænitentem non cogendum, sed solum suaviter inducendum esse ad confitenda peccata certo commissa et probabiliter accusata.

233. (**B**) *Si peccatum* vere commissum et subjective mortale, bona fide *ut dubium accusatum fuerit et postea ut certum cognoscatur*, controvertitur utrum adsit obligatio illud iterum accusandi ut certum.

(**a**) Multi theologi *probabilius affirmant* cum *S. Alphonso* (n. 478), quia accusatio dubia substantialiter differt ab accusatione certa; quando igitur error agnoscitur, reparari debet.

(**b**) Nonnulli tamen *probabiliter negant*, cum *Lugone* et *Lehmkuhl*[1], siquidem hoc peccatum jam fuit *directe* remissum; nam confessarius, illud audiendo, implicite dixit : si vere peccatum commisisti, ego te absolvo; atqui peccatum de facto fuerat vere commissum; ergo directe remissum fuit; jamvero peccatum directe remissum non debet necessario clavibus iterum subjici. — Quod analogia confirmatur; qui dixit se *circiter decies* peccasse, non tenetur accusationem repetere, si postea certior fiat se undecies peccasse, quamvis undecimum peccatum ut dubium declaratum fuerit in formula *circiter;* ergo a pari qui peccatum ut dubium accusavit, non tenetur

[1] **Lugo**, disp. XVI, n. 78-83; **Lehmk.**, n. 422; **Ball. P.**, n. 381; **Genicot**, n. 291.

idem ut certum postea manifestare. Hæc ratio solida omnino videtur, ideoque turbandi non sunt fideles qui peccatum hujusmodi iterum accusare neglexerunt.

(c) Alius casus est, cujus solutio facilior, illius nempe qui agendo *nesciebat* actum suum esse peccatum mortale, et postea detegit illum actum gravem esse ex genere suo, v. g., pollutionem bona fide ut leve peccatum tactus accusavit. Concedit ipse *S. Alphonsus* ad iterandam confessionem non teneri, nam "peccatum declaravit..."

5° De mendacio et aliis defectibus integritati contrariis.

Quibus expositis de ambitu integritatis in confessione, pauca remanent dicenda de *mendacio* aliisque defectibus huic integritati contrariis.

234. Mendacium, vel silentium, in materia ad confessionem pertinente, est grave sacrilegium, quoties versatur circa materiam necessariam ad integritatem confessionis, aut circa dispositiones ad absolutionem necessarias. Certum est.

Etenim mendacium vel silentium est *injuriosum sacramento* ejusque efficaciam destruit : si enim negatur vel tacetur *mortale* quod declarari debet, aut affirmatur contritionem adesse, quæ revera non habetur, nullum peccatum remittitur, et ita fit injuria tum sacramento, tum sanguini Christi a quo sacramenta suam virtutem derivant; — *perniciosum ipsi pœnitenti*, qui privatur gratia sacramenti.

Dicitur : mendacium *in materia ad confessionem pertinente;* nam mendacium in aliis materiis, v. g., falsam historiam narrando, quamvis dicatur in sacro tribunali et inter confitendum, non accipit gravitatem mortalem ex illa circumstantia temporis et loci. Additur : quoties versatur circa *materiam vel dispositiones necessarias;* nam negare aliquod peccatum veniale, vel mortale quod nullo modo pertinet ad confessionem præsentem, non videtur esse peccatum grave, cum ex se non impediat effectum sacramenti.

235. Corollaria : (A) Qui peccatum mortale *recens* ut *antiquum* accusat, non positive mentiendo, sed rem in dubio relinquendo, v. g., confessionem generalem instituendo, in qua *ex industria* non distinguit mortalia post ultimam confessionem patrata, ab eis quæ antea commissa fuerant, — *per se* substantiali integritati confessionis satisfacit, quia

circumstantia temporis in hoc casu non mutat peccati speciem; aliunde, si confessarius non sufficienter cognoscit, ex hac confusa accusatione, statum pænitentis, potest eum interrogare et tunc pænitens tenetur sincere respondere.

Dixi *per se;* quia *per accidens* talis agendi ratio substantialiter confessionem vitiaret, si species peccati non intelligeretur, si, v. g., confessarius non posset discernere num peccatum turpe commissum fuerit ante vel post matrimonium, ante vel post votum castitatis.

Cæterum talis agendi ratio reprobanda est, cum perfectæ sinceritati adversetur ac viam parare possit sacrilegio.

236. (**B**) E contra graviter peccat, juxta communem sententiam, qui peccatum mortale *nondum accusatum* confitetur ut antiquum jam *antea declaratum*, sive *explicite* dicendo : "accuso me de tali peccato quod antea jam declaravi"; sive *æquivalenter*, hac utendo formula : "dein me accuso de peccatis vitæ præteritæ, præsertim de hoc..." Nam hic loquendi modus non est mentalis æquivocatio, sed verum *mendacium*, quo vere decipitur confessarius, in re gravi ad confessionem spectante; hic enim exinde concludit tale peccatum grave non esse materiam necessariam.

Contradicunt quidam post *Ballerini* [1], quia hoc mendacium ut *leve* existimant, cum confessarius non decipiatur circa scitu necessaria; concedunt tamen graviter peccare eum qui, unico mortali oneratus, illud accusaret ut antea remissum, quia tunc confessarium deciperet circa statum suæ conscientiæ [2]. Quæ ratio contra eorum sententiam militare videtur; nam etiam, quando adsunt alia mortalia, decipitur confessarius circa rem scitu necessariam, videlicet existentiam unius peccati mortalis in conscientia pænitentis. — Unde a communi sententia non est recedendum.

237. (**C**) *Qui venialia confessario ordinario accusat, mortalia vero alteri*, (**a**) sane mortaliter peccat, si absolutionem a venialibus obtineat antequam a mortalibus absolutus fuerit, quia priorem absolutionem sine debitis dispositionibus sacrilege accipit; (**b**) si vero prius absolvatur a mortalibus ac postea a venialibus, *per se* non peccat, dummodo id faciat verecundiæ causa aut ne forte periculo exponatur

[1] **Ballerini-Gury**, not. ad n. 448; **Bucceroni**, n. 715; **Genicot**, n. 288.
[2] **Genicot**, n. 288.

grave peccatum reticendi, non autem ad liberius peccandum. — Dicitur *per se*, quia graviter peccant *per accidens* juvenes qui ita agunt ut statum clericalem vel religiosum ordinem amplectantur, a quo cœteroquin arcerentur : tunc enim confessarium decipiunt in re gravi ad vocationem pertinente. Item consuetudinarii quandoque et recidivi (n. 238).

Unde *in praxi* confessarius non curiose inquirat num forsan pænitens alium sacerdotem adierit, sed e contra tota agendi ratione ostendat sibi minime displicere quod pænitentes alium confessarium adeant; imo quandoque eis præbeat occasionem ad extraneos confessarios accedendi; secus, non pauci periculo exponuntur sacrilegas confessiones faciendi [1].

238. (D) *Per se* non peccat qui *vocem simulat ne a confessario agnoscatur*, dummodo omnia sua mortalia aperiat; nam necesse non est ut pænitens nominatim agnoscatur. Imo sæpe expedit ut confessarius nil dicat ex quo appareat pænitentem sibi esse notum, cum non pauci liberius confiteantur sacerdoti, a quo putant se non cognosci. — Dicitur *per se*, quia si id fit *ex industria* a consuetudinario vel recidivo, ad decipiendum confessarium et facilius absolutionem extorquendam, peccatum est *per accidens*.

(E) Pænitens tenetur interroganti confessario sincere respondere, quoties hic *legitime* interrogat, v. g., de habitu, relapsu, occasione proxima, uno verbo de iis sine quibus prudens judicium ferri nequit. Si vero interrogatio indiscreta sit, v. g., circa nomen, patriam, habitationis locum, etc., pænitens non tenetur respondere, cum hæc ad sacramentalem confessionem non spectent.

§ III. De causis ab integritate materiali excusantibus [2].

239. *Principium generale :* **Impotentia physica vel moralis excusat ab integritate materiali confessionis, quamdiu perseverat.** Certum est.

---

[1] Cfr. **Zelle**, *La Confession*, p. 205 sq.; **Brahm**, *De reticentia volunt. peccat.*, p. 73 sq.

[2] **Suarez**, disp. XXIII; **Lugo**, disp. XVII; **Salmant.**, cap. 8, n. 115-137; **Lacroix**, n. 1140-1164; **Billuart**, diss. VII, a. 2, § 1-2; **Kenrick**, n. 61; **Marc**, n. 1697-1702; **Müller**, § 122; **Konings**, n. 1367-1369; **Scavini**, n. 306-307; **Lehmk.**, n. 431-445; **Ball. P.**, n. 349-449; **Haine**, q. 47-52; **Genicot**, n. 292-297; **Noldin**, n. 282-287; **Prümmer**, n. 378-382.

Probatur. Etenim lex de integritate confessionis est divina quidem, sed *positiva;* atqui lex positiva, etiam divina, ad id quod est impossibile aut etiam difficillimum non obligat, juxta illud : *ad impossibile nemo tenetur.*

Declaratur. Impossibilitas autem, sive physica sive moralis, *vera* esse debet, et quidem non solum respectu unius, sed etiam respectu cujusvis confessarii, qui sine gravi incommodo adiri possit. — Insuper nullum incommodum, confessioni *intrinsece adnexum,* ab integritate materiali excusat; ut est v. g., verecundia etiam maxima, timor reprehensionis, amissio famæ apud confessarium, etc. Christus enim, confessionem instituendo, voluit ea omnia incommoda pænitenti imponere, quæ confessioni intrinseca sunt et necessario cum ea connexa. Unde solummodo illa magna incommoda ab integritate excusant, quæ sunt ipsi confessioni *extrinseca,* nec cum ea necessario connectuntur.

240. Hæc impotentia excusat tantum *quamdiu perseverat,* ita ut, cessante impotentia, jam vigeat obligatio peccata in proxima confessione declarandi. Nam peccata, propter legitimam causam omissa, remittuntur quidem *indirecte,* sed non directe; atqui omne peccatum nondum directe remissum debet potestati clavium subjici. — Hinc damnata fuit ab *Alexandro VII* (24 Sept. 1665) propositio 11 : "Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere"[1]. Monendi sunt igitur de hac obligatione pænitentes qui integram confessionem peragere non valent.

Hæc autem obligatio non urget quamprimum, sed solum tempore proximæ confessionis, nisi forte adhuc perseveret causa excusans; ea autem cessante, sacrilegium committeretur si scienter ac volenter reticeretur peccatum nondum directe remissum.

Cum duplex sit causa excusans ab integritate materiali, impotentia scilicet tum *physica,* tum *moralis,* de utraque seorsim dicendum.

[1] **D. B.**, 1111. — Cfr. **Viva**, *Damnat. Theses*, in hanc propos.; *D. C. T.*, I, col. 736.

Moral - non tantum obligat, sed tam incomodo

I. De impotentia physica.

Hæc impotentia ex triplici præsertim causa oritur : ex defectu *temporis* aut *virium*, — *cognitionis* — vel *loquelæ*.

241. 1° *Ex defectu virium* vel *temporis*, videlicet : (**a**) si infirmus incœpta confessione deficiat, vel sit in periculo deficiendi antequam confessio finiatur, vel a fortiori si jam sit sensibus destitutus ; (**b**) si sacerdos ipse sit probabiliter moriturus antequam totam confessionem audire valeat ; (**c**) instante naufragio, incendio vel pugna, ita ut omnes quibus mors imminet non possint audiri. Quo casu sufficere potest brevis confessio alicujus peccati minus infamantis, vel etiam sola petitio absolutionis cum contritione aliquo signo sensibili manifestata, v. g., manus attollendo vel pectus percutiendo ; tunc omnes simul possunt generali formula absolvi : *Ego vos absolvo ab omnibus censuris et peccatis vestris.* — Si tamen milites possent singulatim audiri, v. g., die vel nocte ante prælium, id sane melius esset, etiamsi non omnia peccata confiteri possent, quia melius ad absolutionem sese præparare possent.

Ceterum in omnibus præfatis casibus, magis curandum est de excitanda contritione, quæ omnino essentialis est, quam de materiali integritate, quæ in his circumstantiis non absolute requiritur.

Minime vero excusat magnus pænitentium concursus aliquo die festo solemniori ; nam si hæc ratio admitteretur, multi ex industria ad sacrum tribunal accederent tempore magni concursus, et periculum adesset indignos absolvendi ; aliunde pænitentes, quorum confessio audiri nequit, ad aliam diem differri possunt.

Pro praxi, in regionibus ubi magnus adest pænitentium concursus sive quolibet Sabbato, sive pridie Festorum, ut sæpe contingit in magnis civitatibus Statuum Fœderatorum, maxime expedit ut confessarii alios seligant dies ad piorum confessiones audiendas [1].

---

[1] Recte igitur *Concil. Plen. Baltimor. II*, n. 291 : "Pastores animarum enixe hortamur et obsecramus, ut apud confessionalia ad pænitentes audiendos præsto sint singulis Sabbatis, Festorumque vigiliis, vespertino saltem tempore, et Dominicis festisque diebus mane ante primam missam. His enim horis non deerunt pænitentes, modo confessarius suo ipse muneri non desit. Sin autem fidelium numerus major sit, quam ut omnes, qui accedunt, uno die audire possit, *alia etiam tempora, alios dies eligat*, quos huic tam necessario operi impen-

Extraordinary means do not have been taken in consideration.

242. 2° *Ex defectu cognitionis*, videlicet : (**a**) quando quis, præmisso serio examine, alicujus peccati mortalis non recordatur, ex oblivione, ex inadvertentia non graviter culpabili, quæ non ex negligentia oriatur, vel ex infirmitate naturæ. Nec tenetur qui infirma præditus est memoria sua peccata scribere, ut ea diligentius accuset : hoc enim est medium extraordinarium ad quod nemo obligatur; (**b**) si quis, ex ignorantia haud graviter culpabili, putat peccatum mortale quod commisit, aut veniale esse, aut non esse hic et nunc accusandum; cessante autem hujusmodi ignorantia, jam urget præceptum illud declarandi.

243. 3° *Ex defectu loquelæ*, si quis videlicet sit *mutus*, vel *ignarus idiomatis* regionis in qua versatur : (**a**) si quis sit *mutus* nec sufficienter edoctus ut possit integre per signa confiteri, tenetur nutibus manifestare peccata sua, in quantum fieri potest; imo, juxta multos [1], ea *scribere* debet. Hæc tamen obligatio scripto manifestandi peccata non est urgenda; nam cum probabilitate ab aliis negatur [2], eo quod videtur esse medium *extraordinarium*, nec satis cum secreto confessionis consistens. Hinc si scribatur confessio, curet confessarius ut scriptura statim deleatur, ne forte in aliorum manus veniat. — Propter eamdem rationem confessarius generatim recte abstinebit ab interrogationibus scripto faciendis, nisi tamen id postulet ipse mutus, majoris solatii ac utilitatis gratia.

244. (**b**) Si quis sit *ignarus idiomatis* confessarii, nec possit alium adire confessarium, a quo intelligatur, peccata sua, meliori quo fieri potest modo, verbis vel signis confiteatur. Licet quidem, sed necesse non est uti interprete, ob periculum revelationis, et si nullum peccatum in specie manifestari possit, ad absolutionem sufficit peccatum manifestare in genere, ut constat ex responso *S. Officii*, 28 febr. 1633 [3].

---

dat. Gravissimum quippe crimen foret, si pastoris negligentia, aut desidia, vel unus e grege fidelium hoc sacramento fraudaretur. Neque ii facile animum inducent ut ad confitendum redeant, qui semel atque iterum hoc ministerium ipsi sacerdoti ingratum ac molestum esse deprehenderint ".

[1] Ita **Lugo**, disp. XV, n. 87; **S. Alphonsus**, n. 479; **Lacroix**, n. 1194.

[2] Ita **Toletus**, lib. V, c. 6, n. 3; **Ball. P.**, n. 433; **Lehmk.**, n. 433.

[3] " Utrum in regionibus longinquis, Catholicus multis annis inconfessus, signis duntaxat, ob idiomatis defectum, petens absolutionem, possit absolvi

Attamen, in articulo mortis, *tutius* est unum saltem veniale peccatum declarare per interpretem, si pænitens de sua perfecta contritione dubitet : imo *S. Alphonsus* (n. 479) putat hoc præcipi ex caritate erga seipsum, quæ postulat ut tutiora adhibeantur media, si probabiliter necessaria sint ad salutem : id tamen a multis rejicitur, utpote innixum antiquatæ opinioni quæ ut dubium habebat valorem sacramenti, etiam in periculo mortis, quando nullum speciale peccatum clavibus subjicitur. Unde, in praxi, consulenda quidem, sed non urgenda est hujusmodi praxis.

Ceterum si confessio per interpretem fiat, hic moneatur de obligatione servandi secretum[1]; et, ut interpres ipse peccata pænitentis non cognoscat, ita procedi potest : interpres avertat faciem suam a pænitente, et recitet ipsi in suo idiomate interrogationes generales a confessario propositas circa præcepta Decalogi et Ecclesiæ; interea pænitens ad singulas interrogationes significet confessario signo conventionali, v. g., digitorum compressione, utrum peccaverit necne, et quoties, in quantum fieri potest.

N.B.— Do Not Preach

II. De impotentia morali.

245. 1° Notio et conditiones. Hæc adest quoties confessio integra fieri nequit sine *gravi* damno spirituali vel temporali, ipsi confessioni *extrinseco*. De quo hæc tamen notanda sunt : —

(a) Periculum talis damni non est facile fingendum, sed solido fundamento inniti debet. (b) Existente tali periculo, pænitens tenetur ad alium confessarium quærendum, cui possit, absque damno, integre confiteri; quod in civitatibus saltem plerumque omnino facile est. (c) Si confessio commode differri possit, cum spe eam integram faciendi, absque gravi damno, pænitens eam differre tenetur; habetur autem ratio sufficiens eam non differendi, si urgeat præceptum annuæ confessionis, aut moralis necessitas communicandi vel celebrandi, aut si secus pænitens *diu* (ultra triduum, juxta quosdam; per unam diem, juxta alios)[2] in statu pec-

absque ope interpretis? — R. *Non esse opus interprete* in casu proposito, sicut etiam posse et debere absolutionem peccatorum impertiri exhibenti signa quæ potest... dummodo sufficiant ad exprimendum aliquod peccatum in specie. In casu vero quo quis conatur quantum potest exhibere signa peccatorum in specie, nequeant autem omnino intelligi, absolvi posse per solam manifestationem peccatorum in genere". *S. C. S. Officii*, ap. **Bucceroni**, *Enchiridion*, n. 504. Aliud decretum *S. C. de P. F.* invenies, *Collectanea*, n. 951.

[1] *Codex*, c. 889, § 2. — [2] Cfr. **S. Alphons.**, n. 487; **Noldin**, n. 273.

cati mortalis remanere cogeretur. (d) Illa sola peccata taceantur quæ celare necesse est ad damnum avertendum; cetera omnia candide declarentur.

Notandum pariter varias impotentiæ moralis causas fidelibus in concionando exponere generatim non expedire, ne forte seipsos decipientes periculo exponantur multa reticendi : hæc confessario, non fidelibus scitu necessaria sunt.

246. 2° **Præcipuæ causæ.** Quibus positis, grave damnum, sufficiens ad peccatum aliquod reticendum, ex triplici causa oriri potest : ex parte *pænitentis*, *confessarii*, vel *tertii*.

(A) *Ex parte pænitentis*, quando rationabiliter timetur ne, ex integra confessione, pænitens graviter diffametur, non quidem apud confessarium (hoc est enim confessioni intrinsecum) sed apud alios : (a) si pænitens in iis adjunctis confiteatur in quibus circumstantes, qui removeri non possunt, peccata audituri sunt, v. g., in nosocomio, quando alius infirmus prope adjacet confitenti. Quod verificatur etiam in casu *surdi* vel *surdastri*, cujus surditatem confessarius advertit tantum in progressu confessionis, et quidem in talibus adjunctis in quibus hic ad sacristiam duci non posset, quin suspicio oriretur quod grave peccatum commiserit; tunc enim confessarius abstinere debet ab interrogationibus et levem pænitentiam imponere[1], ne secus circumstantes intelligant gravia peccata pænitente fuisse commissa. Quando vero surditas ante confessionis incœptionem advertitur, pænitens regulariter ducendus est ad sacristiam vel alium locum, ubi, absque periculo revelationis, interrogari possit, nisi consuetudo vel prudens ratio obstet.

247. (b) Si confessio, ut sit integra, valde prolixa esse debet, et quidem in iis adjunctis in quibus adstantes valde probabiliter ex ea prolixitate inferre valeant pænitentem reum esse multorum ac gravium peccatorum; v. g., si ægrotus, qui jam confessus est et viaticum suscepturus, agnoscit se sacrilegii reum esse ac plures confessiones repetendas habet, sufficit pro tempore pauca mortalia audire, ne secus adstantes rem suspicari valeant; item sacerdos mox celebraturus et prolixa confessione indigens, quæ admirationem et suspiciones populi excitaret; aut etiam puer, qui ante primam communionem, fidelibus jam in ecclesia congregatis, confessiones suas repetere deberet, propter sacrilegium commissum. In his aut similibus casibus, sufficit pauca mortalia declarare, ceteraque accusare in proxima confessione.

[1] Sæpe confessarius potest pænitentiam imponere, quæ a circumstantibus non advertatur, v. g., pænitenti ostendendo rosarium seu coronam precatoriam.

Something involved not in the nature

(c) Si gravi de causa pænitens timeat ne confessarius legem sigilli frangat, sive directe (quod rarissime accidit), sive indirecte, v. g., altius erigendo vocem, quando mortalia accusantur, ita ut adstantes eum audire possint; aut ne, ex indiscretione confessarii, pænitens privationem officii vel sustentationis subeat. (*Codex*, c. 890).

(d) Si serio timeat ne, minute recogitando peccata, præsertim turpia, morosæ delectationi indulgeat; aut, ne quædam peccata declarando, ad turpia sollicitetur a confessario, quia, v. g., scit id sibi vel aliis jam contigisse. Quæ tamen admodum raro contingunt.

(e) Si agatur de *scrupuloso*, qui, materiali integritati insistendo, majores experietur anxietates.

248. (B) *Ex parte confessarii*, (a) si, integram audiendo confessionem, confessario mors vel lethalis morbus immineat, v. g., tempore pestis, incendii, naufragii, vel quia insequuntur hostes; (b) si confessarius, propter suam fragilitatem, valde probabiliter timeat ne, diligentius interrogando, pænitentem vel seipsum scandalizet; (c) si pænitens ipse serio timeat ne, integra confessione, in peccatum inducatur confessarius cujus fragilitatem perspectam habet; quod sane rarissime occurret.

249. (C) *Ex parte tertii*, (a) si grave periculum sit ne confessarius utatur notitia per confessionem acquisita, in damnum temporale vel spirituale proximi, v. g., ejiciendo e domo sua famulam, cum qua pænitens peccavit; (b) aut si confessarius suum peccatum confiteri non posset, quin peccata in confessione audita manifestaret, v. g., si, statim post auditam confessionem, diceret se graviter peccasse nomen complicis inquirendo : ita enim manifestaretur pænitentem aliquod mortale cum complice commisisse.

250. 3° **Quæstio disputata.** Controvertitur num adsit obligatio peccatum confitendi quod integre explicari non possit sine diffamatione complicis aut tertiæ personæ apud confessarium.

Quod contingere potest de peccatis commissis inter conjuges, parentes et filios, cognatos vel affines, vel socios in iisdem negotiis. — Quæstio etiam extenditur ad casum quo peccatum integre declarari nequit sine manifestatione personæ contra quam peccatum commissum est, v. g., si quis percusserit sororem ex peccato gravidam, et ita procuraverit abortum.

Jamvero omnes concedunt tunc pænitentem teneri alium adire confessarium, cui complex ignotus sit, si commode fieri potest. Ab hac tamen obligatione excusat necessitas vel magna utilitas, v. g., si urgeat periculum mortis, aut

præceptum annuæ confessionis, — si specialis adsit utilitas sacram communionem mox recipiendi, — si quis secus per totam diem in mortali manere cogeretur, — aut pænitens nonnisi reluctanter alteri confessario posset suam conscientiam aperire, — vel privaretur speciali solatio quod apud ordinarium confessarium invenit. — Omnes pariter dicunt pænitentem non posse nec teneri peccatum declarare, quod non sit materia necessaria confessionis (quia vel jam accusatum, vel veniale tantum), si illud confitendo grave complicis peccatum manifestatur. Extra hos casus, res controvertitur.

251. (A) Non pauci tenent, cum *Navarro*, *Valentia*, *Medina*. *Ballerini* et aliis [1], reticeri posse et debere illam circumstantiam ex qua complex detegeretur, v. g., circumstantiam incestus in peccato luxuriæ; nam præceptum *naturale* servandi famam proximi præferendum est legi positivæ integritatis confessionis, præsertim quum hujus legis observatio solummodo ad tempus differatur.

252. (B) Communior tamen ac verior opinio, cum *S. Thoma*, *Lugone*, *S. Alphonso* ac plerisque modernis [2] docet requiri in hoc casu integram confessionem. Nam præceptum caritatis vetat tantum ne fama alterius lædatur sine legitima causa; atqui hic adest legitima causa; nam ex una parte læsio famæ fit apud solum confessarium, qui rem omnino secretam sub secretissimo sigillo servare tenetur, ideoque non ut grave incommodum spectari potest; aliunde gravia sequuntur incommoda, si reticeantur peccata cum noto complice commissa; nam cum multa sint peccata hujusmodi, (inter conjuges, inter parentes et filios, inter cognatos et affines), sæpe locus daretur anxietatibus et dubiis, quæ pænitens ipse solvere deberet; pænitentes privarentur illis beneficiis quæ ex integra confessione oriuntur, particularibus consiliis, exhortationibus, etc.; qui laxam conscientiam habent multa peccata tacerent sub prætextu quod complex a confessario cognosci possit, et ita paulatim lex integritatis labefactaretur.

253. Conclusio. *In praxi*, fideles, harum distinctionum ignari, plerumque absque hæsitatione peccata hujusmodi declarant, et si ea reticent, sæpe sunt in mala fide ac putant se sacrilege confessos fuisse. — Si qui tamen hac de re

[1] Auctores veteres qui hanc sententiam sequuntur, recenset **Lugo**, disp. XVI, n. 393; cfr. **Ball.-P.**, n. 442-444.

[2] **S. Thom.**, In 4, dist. 16, q. 3, a. 2, quæstiunc. 5, ad 5; **Lugo**, disp. XVI, n. 394; **Suarez**, disp. XXXIV, sect. 2, n. 3; **S. Alphons.**, n. 489.

explicite interrogent, ac valde repugnent illas circumstantias manifestare ex quibus complex cognosceretur, obligatio eas confitendi non est urgenda, quia prior opinio probabilitate non caret.

Exinde etiam sequitur sæpe excusari matres et uxores, quæ in confessione manifestant peccata filiorum et virorum, ad consilium petendum vel dolorem leniendum; non autem id facere permittatur, nisi in quantum ad earum spirituale bonum vere confert.

254. 4° **Scholion.** Qua occasione quæritur *num confessario liceat exquirere nomen complicis?*

(**a**) *Mortaliter peccat qui nomen complicis exquirit sub pœna denegandæ absolutionis, et etiam quovis modo, nisi gravissima de causa.* "Caveat omnino ne complicis nomen inquirat" (*Cod.* c. 888, § 2).

Præiverat jam *Benedictus XIV* variis Constitutionibus, Brevi *Suprema*, 7 jul. 1745 [1], Constitutione *Ubi primum* 2 jun. 1746, Constit. *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746; imo suspensionem *ferendæ sententiæ* contra delinquentes statuerat his verbis: "Confessarios requirentes nomen complicis sub pœna denegandæ absolutionis, graviter peccare et incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendæ tantum sententiæ" [2]. — Si confessarius requirat nomen complicis sine comminatione denegandæ absolutionis, *mortaliter* etiam peccat, nisi sit causa gravis excusans. Ratio hujus prohibitionis est quia praxis hujusmodi odiosum reddit sacramentum, et sine causa inducit pænitentes ad infamandum complicem.

255. (**b**) Non prohibetur tamen confessarius illas interrogationes facere quæ necessariæ videntur ad integritatem confessionis, vel ad detegendam naturam occasionis proximæ, etiamsi *per accidens* exinde cognoscatur complex: v. g., utrum complex in eadem domo maneat, utrum sit voto ligatus, cognatus vel affinis; hæc enim et similia cognoscere debet confessarius propter bonum pænitentis, et ex dictis supra (n. 228) id licitum est [3].

---

[1] **D. B.**, n. 1323. — Duo priora documenta ad episcopos Lusitaniæ diriguntur; posterius autem ad universam Ecclesiam.

[2] Constit. *Ad eradicandum.*

[3] Hoc non fuisse a *Benedicto XIV* reprobatum constat ex verbis in quibus

Debet etiam confessarius, gravissima de causa, v. g., ne membrum alicujus communitatis aut collegii socios corrumpat, obligare pænitentem ad complicem denuntiandum superioribus, v. g., patri, hero, magistro, etc. Non expedit tamen ut confessarius se offerat ad hanc denuntiationem faciendam, nec rogatus hoc munus assumat, nisi tamen pænitens nolit alteri rem manifestare; quo casu petat a pænitente ut extra confessionem sibi de hoc loquatur. Ratio est quia secus confessio odiosa fit, saltem aliis qui hac de re audiunt. — Hinc, si confessarius sit simul superior, qui solus efficaciter malo imminenti occurrere possit, exigere potest ut, extra confessionem, sibi manifestetur complicis nomen.

256. (c) Præterea, in Bulla *Apostolicæ Sedis*, a Pio IX promulgata 12 oct. 1869, excommunicatio latæ sententiæ, S. Pontifici simpliciter reservata, ferebatur contra "docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pænitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV". Sed cum hæc censura in *Codice* non fuerit relata, abrogata est.

§ IV. De mediis ad integritatem confessionis procurandam.

Duo sunt media ad integritatem confessionis procurandam necessaria : prius quidem ordinarium et *per se* necessarium, scilicet *conscientiæ examen;* posterius extraordinarium et *per accidens* necessarium, videlicet præviarum *confessionum iteratio* vel *generalis confessio.*

I. De conscientiæ examine confessioni præmittendo [1].

Tria exponenda sunt : 1° *necessitas* hujus examinis; 2° *diligentia*, 3° *methodus* in eo adhibenda.

Pontifex describit abusum quem condemnat : "Si forte in pænitentes incidissent, socium criminis habentes, ab iisdem pænitentibus socii hujusmodi seu complicis nomen passim exquirerent... imo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari". Ap. **Denzinger**, n. 1323. Hinc idem Pontifex (*De Syn. diæces.*, lib. VI, c. 11, n. 1) agnoscit aliquando, quamvis raro, licere complicis nomen inquirere : "Certum tamen est *raro* evenire posse, ut liceat confessario complicis nomen a pænitente sciscitari multoque minus ad illud sibi patefaciendum eumdem obligare".

[1] **Suarez**, disp. XXII, sect. 11; **Lugo**, disp. XVI, n. 590-595; **Salmant.**, cap. 6, n. 3-7; **Collet**, n. 297 (*Migne*, C. Theol., col. 478); **Stoz**, *Tribunal Pænitent.*, p. I, p. 1, n. 1-119; **S. Alphons.**, n. 471; **Konings**, n. 1372-1374; **Marc**, n. 1703-1704; **Lehmk.**, n. 446-457; **Genicot**, n. 301-303; **Noldin**, n. 288-291.

257. 1° *Necessitas hujus examinis :* **Pænitens qui graviter peccavit, regulariter tenetur sub gravi ad diligens examen instituendum ante confessionem.** Certum est.

(**A**) *Probatur.* Hæc obligatio logice deducitur ex ipsa lege integritatis, ut constat ex ipso *Tridentino* [1] : " Ex his colligitur oportere a pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum, *post diligentem sui discussionem*, conscientiam habent, in confessione recenseri ".

Etenim qui tenetur ad finem, eo ipso tenetur ad media per se necessaria ad finem assequendum; atqui diligens examen, regulariter loquendo, medium est necessarium ad integritatem confessionis procurandam iis qui graviter peccaverunt; si enim plura mortalia commiserint, generatim ea omnia recordari nequeunt, propter humanæ memoriæ imbecillitatem, nisi per aliquod tempus diligenter conscientiæ intimos recessus exploraverint.

Præterea, si hujusmodi pænitens in examine deficiat, multa sequuntur incommoda : jactura temporis pro confessario, qui multas interrogationes tunc proponere debet, necnon pro aliis pænitentibus qui diutius exspectare coguntur, — ac periculum mortalia ex oblivione omittendi pro ipso pænitente, cum anxietatibus quæ exinde sequuntur et obligatione accusandi peccata sic omissa. — Sedulo igitur fideles instruantur de hac obligatione.

258. (**B**) *Declaratur.* Dictum est : (**a**) qui *graviter peccavit;* nam qui moraliter certus est se ab ultima confessione non peccasse mortaliter, stricte loquendo ad diligens examen non tenetur, sed solum ad detegendam materiam sufficientem pro validitate sacramenti; *hortandus* est tamen ad diligens examen de venialibus instituendum, quo uberiores fructus ex absolutione percipiat.

(**b**) *Regulariter tenetur;* nam dantur exceptiones ex triplici saltem capite, tum quia tempus deficit, ut in morientibus accidere potest; tum quia hoc examen non est necessarium, attentis dispositionibus pænitentis, v. g., quia quotidie sua peccata serio examinare solet, vel, post eorum commissionem, statim ad confessionem recurrere;

[1] Sess. XIV, cap. 5, **D. B.**, 899; cf. can. 7; *Cod*, c. 901.

tum quia illi examini, propter varias rationes, impar est ipse pænitens.

259. 2° *Diligentia in examine habenda* : **Ad illud examen requiritur illa diligentia quam homines prudentes in re gravi adhibere solent;** id est non stricte requiritur summa diligentia, quæ in re maximi momenti a cautissimis viris adhibetur, sed sufficit ordinaria, seu mediocris, qualem prudentes habent in rebus gravis momenti.

260. Probatur. Christus enim noluit confessionem esse onus grave et odiosum, sed voluit eam humanæ conditioni et infirmitati accommodare; atqui, si summa diligentia in examine conscientiæ exigeretur, confessio nimis esset molesta atque occasionem præberet multis anxietatibus circa sacramenti validitatem, quum pauci sint qui habitualiter hujus diligentiæ sint capaces. — Hinc ad summam diligentiam stricte quis non tenetur, etiamsi prævideat sic nova mortalia detegi posse. — Pariter nemo tenetur ad scribenda peccata sua, præsertim quum aliquod adsit periculum ne scriptum in alienas manus incidat.

261. Declaratur. Unde qui gravem negligentiam in examine committit circa peccata mortalia, *per se* graviter peccat et reus est sacrilegii, cum sese exponat scienter ac volenter periculo quædam mortalia omittendi in sua confessione. Negligentia autem levis non invalidat sacramentum, etiamsi de facto quædam mortalia omitterentur. Ad discernendum autem utrum negligentia fuerit gravis an levis, hæc regula a nonnullis theologis traditur[1] : si post confessionem reperiatur plura mortalia omissa fuisse quam accusata, negligentia ut gravis haberi potest; si vero multo plura declarata fuerunt quam omissa, negligentia levis censeri potest. Hæc est regula objectiva; sed attendendum est etiam ad subjectivas dispositiones pænitentis, utrum necne, tempore examinis, conscius fuerit gravis negligentiæ, ac præviderit se plura mortalia omissurum esse.

Dixi *per se graviter peccat;* quia non pauci excusantur a peccato gravi, eo quod, propter ignorantiam aut animi levitatem, putaverint satis esse interrogationibus confessarii sincere respondere : hi quidem instruendi sunt; sed, stante bona fide, gravis sacrilegii rei non fuerunt.

---

[1] **Stoz.**, l. c., 16; **Sporer**, n. 367; **Noldin**, n. 289.

262. Corollarium. *Diligentia requisita diversa est pro diversis pænitentium conditionibus*, videlicet pro diverso conscientiæ statu, temporis diuturnitate quod ab ultima confessione elapsum est, corporis valetudine et diversa pænitentium instructione.

(a) Qui *frequenter confitentur*, raro mortalia committunt et quotidie suam conscientiam excutiunt, breviori examine contenti esse possunt, quia peccata gravia, si forte commissa fuerint, facile memoriæ occurrent. — In praxi tamen ad diligentem conscientiæ discussionem suaviter inducendi sunt, ut non solum præcipua venialia detegant, sed etiam eorumdem causas, quo facilius suos defectus extirpent.

Hinc *timorati* et *scrupulosi* non debent longum tempus in examine terere : si enim graviter peccassent, id sane præ oculis haberent; aliunde minutum examen scrupulos augere valent. Unde quandoque expedit determinare tempus quod in tali examine excedere prohibeantur.

(b) Qui *raro confitentur*, præsertim si variis implicantur sæcularibus negotiis, ac inter multas peccati occasiones versantur, diutius se examinare debent, ac diligenter recogitare præcipuas occasiones in quibus peccare solent; secus enim plura peccata omitterent.

263. (c) *Ægrotantes* non tenentur ad examen tam accuratum quam bene valentes, imo quandoque ab omni examine excusantur, propter nimiam eorum debilitatem; quo casu ab ipso confessario benigne interrogandi sunt quoad substantialia, cum morientes a materiali integritate aliquo modo excusentur, propter damnum grave quod e longo examine ac prolixa confessione tunc sæpe oritur. — Non facile igitur permittendum est infirmis confessionem de die in diem differre, sub prætextu quod conscientiam suam non satis examinaverint; sed a confessario benigne statim interrogentur; melius est sane eos etiam imperfecte confessos statim in statum gratiæ restituere quam, differendo de die in diem, illos relinquere in statu damnationis. Ceterum, si supervixerint, postea suam confessionem complere poterunt [1].

264. (d) Si pænitentes, aliunde satis instructi, ad sacrum tribunal accedant, nullo vel insufficienti examine præparati, benigne dimitti possunt, ut accuratius suam conscientiam discutiant antequam confessionem incipiant, præsertim si agatur de longa confessione; nam fere impossibile est ut pænitens accurate respondeat confessario interroganti, absque prævio examine. Si tamen præ-

[1] Cfr. **Elbel-Bierbaum**, Conf. VI, n. 153; **Genicot**, n. 302.

videri posset eos non esse reversuros, meliori quo fieri potest modo ab ipso confessario examinandi sunt; et si de sua negligentia doleant ac emendandæ vitæ studium aliquod præ se ferant, absolvi poterunt [1].

Si agatur vero de *rudibus* et *ignaris*, qui jam aliquod examen præmiserunt, quamvis insufficiens, generatim non expedit eos dimittere, quia ægre possunt melius se examinare; unde confessarius, prudenti interrogatione, plura obtinebit quam pænitentes longo examine detegere possent; aliunde, nostris præsertim temporibus, dimissio hujusmodi sæpe ut magna injuria haberetur et a confessione non paucos arceret. Hinc dimittendi non sunt pænitentes, in hoc casu, nisi impossibile sit eos ad bonam confessionem præparare.

265. (e) Si quis forte inveniatur qui ad Sacramentum recipiendum induci possit, quin de eo prius cogitaverit, statim a sacerdote interrogetur et ad contritionem disponatur et, si dispositus fit, absolvatur.

266. 3° *Methodus in examine servanda.* (a) Imprimis *tempus opportunum* et a reliquis occupationibus vacuum pænitens seligat, et divinum lumen imploret, cum sine gratia Dei non possit salubriter suæ conscientiæ latebras explorare.

(b) Quo facilius in suorum peccatorum notitiam venire possit, *aliquem ordinem observet;* si a longo tempore non sit confessus, successive percurrat præcepta Dei et Ecclesiæ, peccata capitalia, et status proprii obligationes : his præsertim insistat, monente confessario, cum, experientia teste, multi sint qui de proprii status officiis vix cogitent. — Si a brevi tempore confessus sit, sese examinet circa officia erga *Deum*, *proximum* et *seipsum :* hoc enim brevius est et in casu plene sufficit.

267. (c) Circa quodlibet præceptum, aut quamlibet virtutem expendat *quænam* peccata commiserit, et *quoties*, *cogitatione*, *verbo* et *opere*, conscientiam scrutando præsertim de illis peccatis in quæ

[1] Ad rem *Catech. Rom.*, de Pænit., n. 50 : "Quare si sacerdos hujusmodi homines prorsus imparatos esse cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet, hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur : quod si forte affirmaverint, se in eam rem omne studium, et diligentiam suam contulisse : (quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi, amplius non redeant) audiendi erunt, præsertim vero si emendandæ vitæ studium aliquod præ se ferant... Si enim, audita confessione, judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pænitenti omnino defuisse, absolvi poterit".

frequentius labi solet. Insuper circumstantias mutantes speciem, in quantum fieri potest, sedulo investigare debet. — Expedit rudes examen incipere ab *operibus*, et de his ascendere ad *verba* et *cogitationes* vel *desideria*, quia sæpe interna peccata non recogitant nisi quatenus cum externis connectuntur.

Qui *summam diligentiam* in examine adhibere volunt, non solum varia Decalogi præcepta percurrunt, sed etiam recordari nituntur quibus in locis fuerint, quænam negotia gesserint, et quomodo domi, in ecclesia, in suis cum proximo relationibus quotidie se habuerint; sed, ut notavimus, hæc exquisita diligentia non est de præcepto.

(d) Multi, præsertim ignari, facilius sua peccata detegunt, si utantur aliquo peccatorum catalogo, qui neque longior neque brevior sit : non longior quidem, ne cogantur multum tempus in hoc examine terere; neque brevior, ut ibi inveniantur præcipua saltem peccata quorum rei esse potuerunt. Hinc catalogus hujusmodi, ut sit vere utilis, variis pænitentium generibus accommodari debet [1].

II. De confessionum iteratione et de confessione generali [2].

Quando substantialis defectus in confessione commissus est, reparari debet sive confessionis iteratione, sive confessione generali.

1° De confessionis iteratione.

Confession
1) no good
2) Sacrilege

268. Prænotanda. Confessio potest esse *incompleta* tantum, vel *invalida*. (A) *Incompleta*, seu materialiter non integra, dicitur quando aliquod peccatum mortale ex causa legitima omissum fuit, v. g., ex ignorantia, vel inculpabili

[1] Ita, pro *junioribus*, cfr. **Timon-David**, *Traité de la Confession des Enfants et des Jeunes Gens*, 11e éd. Paris, 1909, t. I, p. 150-167; **Jægers**, *Instructions for first confession*, St-Louis, 1890, p. 133 sq.; **Mother M. Loyola**, *First Confession*, New York, 1901, p. 34-37; **Mère M. Loyola**, *Pour la confession des Tout-petits*, Toulouse-Tournai; — pro *piis personis*, cfr. **Beaudenom**, *Pratique progressive de la confession;* — pro *sacerdotibus*, cfr. **Gaduel**, *Avis et Examen de conscience*, *anglice* redditum : *Examination of Conscience for the use of priests*, New York, 1885; — pro *fidelibus in genere*, qui generalem confessionem instituunt, cfr. *How to make the Mission*, by a *Dominican Father*, New York, 1897, p. 62-73; **Konings**, *General Confession made easy*, New York, 1879.

[2] **Suarez**, disp. XXII, sect. 6-7; **Lugo**, disp. XVI, n. 596-663; **Salmantic.**, c. 9; **Lacroix**, n. 1203-1228; **S. Alphons.**, n. 498-505; **Marc.**, n. 1706-1713; **Lehmk.**, n. 451-457; **Konings**, n. 1375-1380; **Baller. P.**, n. 460-477; **Genicot**, n. 305-310; **Noldin**, 290-291.

oblivione. Quo casu confessio *complenda* est quidem, peccatum nondum accusatum declarando; sed proprie non est iteranda, cum valida fuerit, nec proinde peccata jam accusata necessario repetenda sunt.

Si pænitens, *statim post absolutionem*, peccatum mortale inculpabiliter omissum confitetur, iterum absolvi debet, ut directe absolutione hoc peccatum remittatur. Quamvis enim stricte loquendo hæc absolutio ad proximam confessionem differri possit, si pænitentem ad eumdem confessarium rediturum esse prævideatur, melius est tamen formulam absolutionis iterare; nam secus pænitens cogitur vel ad eumdem confessarium redire, vel, si alium confessarium adierit, ad idem peccatum accusandum.

269. (B) *Invalida* autem est confessio, quando una ex essentialibus conditionibus ad ejus valorem necessariis deficit. Jamvero talis invaliditas vel ex parte *confessarii*, vel ex parte *pænitentis* accidere potest : —

(a) Ex parte *confessarii*, si potestate ordinis vel jurisdictionis carebat, — vel formam omisit aut substantialiter mutavit, — aut intentionem absolvendi non habuit, — vel nullum peccatum audivit aut intellexit, ob surditatem, somnum, ebrietatem, distractionem vel aliam rationem hujusmodi. Quos tamen defectus pænitens non potest nec tenetur corrigere nisi quatenus sibi noti sint.

(b) Ex parte *pænitentis*, defectu *examinis*, si graviter negligens fuerit in mortalibus investigandis, — defectu *sinceritatis* in confessione [1], si scienter ac volenter aliquod peccatum grave reticuerit, vel in re gravi ad confessionem spectante mentitus fuerit, — defectu *contritionis* aut *firmi propositi*, — defectu *scientiæ*, si quis veritates ignorabat quæ necessariæ sunt necessitate medii.

---

[1] Hic sinceritatis defectus, qui haud raro occurrit præsertim in junioribus ac feminis etiam devotis, relate ad peccata turpia, oritur præcipue (*a*) ex quadam verecundia, vi cujus peccata hujusmodi pænitentes declarare erubescunt confessario cui noti sunt, maxime in locis ubi unus est tantum confessarius; (*b*) ex quadam festinatione in audiendis confessionibus, vel duritia aut rigore, vel e contra ex consuetudine excusandi pænitentes (dicendo v. g., *non voluntarie fecisti* etc.), ita ut hi, confessario contradicere nolentes, vix consensum revera datum confiteri audeant. Cfr. **Camele**, *Opusc. de reticentia peccatorum*, 1897; **Zelle**, *La Confession*, Paris, 1897, liv. 1, p. 15-81; **Brahm**, *Opusc. de Reticentia volunt. peccat.*, Bruxellis, 1900; **Mach**, *Trésor du Prêtre*, Traité XIV, ch. 10. — Quidam tamen auctores frequentiam sacrilegarum confessionum exaggerant, quia e paucis factis sibi notis, tempore quo missio datur, inferunt praxim esse communem; quod contradicunt expertissimi ac piissimi confessarii, ut recte notat **Bucceroni**, in fine *Instit. Theol. Moral.*, vol. II, p. 537 ed. 1900; cfr. **Genicot**, n. 305, in fine, not. 1.

270. (C) Iterum confessio est vel *simpliciter invalida*, quando pænitens, tempore quo recipit absolutionem, non est conscius hujus substantialis defectus; vel invalida simul et *sacrilega*, quando pænitens talem defectum cognoscit et vult, ita ut vere sacrilegium committat absolutionem accipiendo.

271. *Principium :* **Confessio sacramentalis per se repeti debet quoties certo moraliter constat eam sacrilegam vel invalidam esse.** Certum est.

Etenim ex præcepto Christi omnia mortalia clavibus Ecclesiæ subjici debent, ut vi absolutionis directe absolvantur; atqui peccata, declarata in confessione sacrilega aut invalida, non fuerunt vi absolutionis remissa; ergo iterum subjici debent potestati clavium, ut absolvantur.

Si vero *dubitatur* tantum de validitate confessionis, consulenda est, sed non stricte imponenda confessionis iteratio; nam quando actus *certo* positus fuit, et dubitatur utrum validus sit an non, standum est pro ejus valore, usquedum contrarium probetur; quæ quidem probatio sæpe ex dispositionibus obtinetur. In praxi enim, quando tale dubium oritur, solvi debet ex agendi modo ac dispositionibus pænitentis : si sit diligens ac timoratæ conscientiæ, non tenetur confessionem repetere, quia merito præsumitur eum essentialibus dispositionibus non caruisse; si sit laxæ conscientiæ et valde negligens in præparatione confessionis, præsumptio contra eum stat, proindeque suaviter ad repetendas confessiones inducendus est.

Dictum est : *per se* repeti debet; quia si pænitens est in *bona fide* (quod facile occurrit quando confessio fuit simpliciter invalida), ac simul prævidetur eum forsan non assensurum mandato confessionem iterandi, expedit eum non monere de invaliditate hujus confessionis, saltem hic et nunc : tunc enim non peccat *formaliter*, et peccata nondum valide accusata indirecte remittuntur per absolutionem quam bona fide accipit in subsequenti confessione.

272. Modus quo confessio est iteranda. (A) Si confessio iteretur apud **novum confessarium,** distinguendum est: (a) si confessio fuit non solum invalida, sed etiam *sacrilega*, accusari debet sacrilegium in priori confessione voluntarie commissum, — deinde peccatum vel peccata in eadem confessione reticita, si ex defectu sinceritatis invalida fuit, — postea omnia mortalia in hac et in subsequentibus confessionibus invalide declarata, necnon

varia sacrilegia quæ commissa sunt sacramenta accipiendo in statu peccati mortalis. Ratio est quia novus confessarius, priorum confessionum nullam habens notitiam, debet omnia mortalia cognoscere quæ in valida confessione nondum rite accusata fuerunt.

Dixi tamen omnia mortalia accusanda esse quæ fuerunt *invalide* declarata; nam, si quis, sacrilegii ~~immemor~~ propter memoriæ debilitatem vel animi levitatem, quasdam confessiones validas fecerit, eas repetere non tenetur, quum peccata in his accusata rite fuerint absoluta.

(b) Si vero confessio *invalida* tantum fuerit, non autem sacrilega, illa sola confessio repeti debet quando talis defectus agnoscitur, non autem subsequentes, quæ validæ fuerunt.

273. (B) Si confessio apud **eumdem confessarium** instituatur,qui jam singula peccata audivit, de eis jam judicavit, et *ea saltem in confuso recordatur*, aut saltem recordatur pænitentiam pro eisdem impositam, sic distinguendum est : (a) quando confessio fuit *sacrilega*, sufficit ut pænitens dicat : me accuso de sacrilegio quod commisi in tali confessione, tacendo tale peccatum, quod nunc accuso (si ex defectu sinceritatis sacrilega fuit), et iterum me accuso de omnibus peccatis in eadem confessione et in subsequentibus jam declaratis, necnon de sacrilegiis quæ commisi, absolutionem et communionem recipiendo v. g., decies... Ratio est quia præviæ confessiones, quamvis invalidæ, fuerunt sacramentales; unde si confessarius recordetur saltem in confuso peccata prius accusata, notitiam habet sufficientem ad judicium ferendum.

(b) Si confessio non sacrilega, sed simpliciter *invalida* fuerit, sufficit ut pænitens modo generali se accuset de mortalibus accusatis in tali confessione, quæ invalida fuit propter talem vel talem rationem, quam exponit.

274. Si vero confessarius non meminerit status pænitentis, nec pænitentiæ injunctæ, neque hæc a pænitente edoceri possit, omnes quidem fatentur absolutionem fore validam, quin distincta confessio repetatur; sed controvertitur num in hoc casu confessarius *licite* absolvat : negat *S. Alphonsus* (n. 502) quia sacerdos debet sibi formare judicium, saltem in confuso, de statu pænitentis, antequam absolvat; affirmant *Lugo* et *Ballerini* [1], quia sufficit ut sacerdos sciat se de iis peccatis antea judicasse et statuisse pænitentem esse absolvendum. Quæ opinio *vere probabilis* est, ac proinde, cum agatur de licito, non cogendi sunt pænitentes ad distinctam confessionem iterandam, sed bene agit confessarius petendo cognitionem confusam et generalem de peccatis antea declaratis.

[1] **Lugo**, disp. XVI, n. 636; **Ballerini P.**, n. 472; **Genicot**, n. 306.

275. **Corollaria.** (A) *Si pœnitens peccata declaret confessario surdo, vel surdastro, vel distracto, vel dormienti*, distinguendum est: (a) si id fecerit *bona fide*, valida est confessio, dummodo confessarius aliquot saltem peccata intellexerit, et tunc repetenda sunt tantum ea peccata quæ constat non fuisse audita; si autem nescitur quænam audita fuerint, confessio tota repeti debet, si brevior sit; si vero sit prolixior, non est necessario integre repetenda, quia lex integritatis non censetur obligare cum tanto incommodo. (b) Si vero quis *ex industria* surdo, vel distracto, vel dormienti confiteatur, ut audire non possit omnia peccata, confessio *per se* est sacrilega, propter sinceritatis defectum, ideoque repetenda. Dicitur *per se*, quia si quis id fecerit propter ignorantiam, nesciens talem confessionem esse sacrilegam, idem dici potest ac de eo qui in bona fide versatur.

(they call them as th see them

276. (B) *Rustici, pueri et indocti, qui bona fide confessi sunt peccata sua solum in confuso*, non distincte speciem et numerum explicando, valide quidem absoluti sunt, quia materialis integritas ad essentiam sacramenti non pertinet; sed quæstio est num postea suas confessiones complere teneantur, si doctiores fiant, explicando speciem et numerum omissum. Affirmat *S. Alphonsus*, (n. 504) cum plerisque theologis, quia secus præsens confessio non esset vere integra; negant tamen pauci cum *Tamburini*, *Berardi*, *Ballerini*[1], propter varias rationes: (a) quia cum hi rustici soleant vitam uniformem habere, prudens confessarius e confessione unius anni facile conjicere potest quantum in præcedentibus annis peccaverint; (b) quia peccata in confuso accusata, prout tunc cognoscebantur, directe absoluta sunt, nec proinde potestati clavium subjici indigent. — In praxi igitur hi sane inducendi sunt, si fieri potest, ad præteritas confessiones complendas; si vero id ipsis nimis onerosum videatur, non sunt inquietandi. Confer quæ supra diximus n. 233.

277. (C) Quando pænitens frequenter in eadem mortalia relapsus est, absque ulla emendatione, et sine ulla resistentia primis quæ occurrunt tentationibus, sæpe præsumi debet prævias confessiones sine sufficienti dolore ac proposito factas fuisse, proindeque repetendas; nam qui in confessione vere dolet et proponit emendationem, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum, et generatim per aliquod tempus a peccato abstinet. Aliter vero dicendum si

[1] **Tambur.**, *Methodus Confess.*, lib. 3, c. 2, n. 9; **Berardi**, n. 4522; **Ball. P.**, n. 475; **Genicot**, n. 307. — **Lugo** autem (disp. XIV, n. 588) distinguit inter *numerum* et *speciem*: si *numerus* in confuso bona fide fuit accusatus, ad nihil tenetur pænitens; si vero confusio versatur circa *speciem*, pænitens doctior factus suam confessionem complere debet; nam in priori casu peccata, utpote specifice accusata, directe remissa sunt; in posteriori, solummodo indirecte.

per aliquod tempus perseveraverit, vel ante casum primis tentationibus restiterit [1].

2° De confessione generali [2].

278. Notio et utilitas. Confessio generalis est *repetitio omnium vel plurium confessionum*, complectens proinde vel totam vitam, vel partem vitæ notabilem. *Necessaria*, *utilis* vel *nociva* esse potest secundum varias circumstantias.

(**A**) *Necessaria* est, ac proinde regulariter injungenda, quando certo moraliter constat plures e præviis confessionibus invalidas vel sacrilegas fuisse, ut supra (n. 271) expositum est.

(**B**) *Utilis* est ac proinde consulenda, iis omnibus qui, quamvis ad eam stricte non teneantur, uberiores fructus ex ea percipere valeant, videlicet : —

(**a**) Iis qui *rationabiliter dubitant* de valore præteritarum confessionum, ad pacem conscientiæ consequendam et tollendas animi anxietates, quæ sæpe a bono retardant, dummodo tamen non sint scrupulosi.

(**b**) Iis qui novam ac *perfectiorem vivendi rationem* instituere volunt, v. g., recens conversis, iis qui statum religiosum vel clericalem ingrediuntur; nam, generalem confessionem tunc instituendo, malitia peccati multo manifestius apparet, et major in peccatum horror insurgit; humilitas ex infirmitatis nostræ cognitione multum crescit; intensior contritio ac firmius propositum concipitur; peccati occasiones melius prævidentur ac præcaventur; majores gratiæ accipiuntur, vires proinde augentur; jucundissima pax et tranquillitas animo accedit, ac novus impetus datur ad vitam perfectiorem ducendam.

279. (**c**) In *quibusdam vitæ periodis*, quibus major gratiæ infusio desideratur, v. g., ante primam communionem, ante matrimonium contrahendum, tempore missionis publicæ, spiritualium exercitiorum, vel jubilæi. In his tamen aut similibus circumstantiis non ut necessaria proponatur, præsertim iis qui generalem confessionem jam semel aut iterum instituerunt : his enim sufficit ab ultima generali confessione sua peccata repetere. — Improbandi

[1] Ita **S. Alphonsus**, n. 505; de quo fusius infra dicetur, ubi de *recidivis*.

[2] Præter auctores allegatos ubi de iteratione confessionis, cfr. **Aertnys**, *Theol. Pastoralis*, n. 245-261; **Mach**, *Trésor du Prêtre*, Tr. XIV, c. 10, **Gousset**, n. 443-447; **Gaume**, *Manuel des Confesseurs*, ch. V, a. 10, ubi (n. 428) invenies methodum instituendi generalem confessionem, ex operibus *S. Leonardi a Portu Mauritio* desumptam.

sunt igitur confessarii qui a novis pænitentibus regulariter exigunt generalem peccatorum accusationem, sub prætextu eos melius dirigendi : hoc enim sæpe confessionem odiosam reddit, et finis intentus, scilicet animarum directio, aliis modis obtineri potest. Notandum est pariter confessionem generalem, quæ *invitis* imponitur, quando non est necessaria, sæpe plus nocere quam prodesse.

280. (d) *In morbo periculoso*, si vires ægroto suppetant; haud raro enim contingit ut nonnulli ex eis, qui sacrilegas confessiones antea fecerant, usque ad ultimum morbum expectent ad eas repetendas. Hinc benigne interrogandi sunt num anxietates habeant circa vitam præteritam, aut timeant coram Supremo Judice sese sistere, et suaviter ad generalem confessionem *exhortandi sunt*, ut quiete et confidenter mortem obire valeant. Quandoque etiam expedit ut confessarius, ipsis ignotus, ad eos mittatur, cui liberius, si velint, suam conscientiam manifestent.

281. (C) *Nociva* autem esse potest ac proinde regulariter prohibenda confessio generalis : (a) *scrupulosis ac nimis timoratis*, qui jam semel confessionem hujusmodi peregerunt; nam, post quamlibet novam generalem accusationem, novi angores novique scrupuli nascuntur, eo quod peccata aliqua se non exposuisse aut non rite exposuisse timeant.

(b) Iis qui *vivida imaginatione* præditi sunt (præsertim feminis), et simul multum et graviter contra castitatem peccaverunt, præcipue si qua inclinatio supersit ad carnales voluptates; nam distincta ac minuta recordatio istorum peccatorum, cum circumstantiis aggravantibus quæ tunc imaginationi naturaliter occurrerent, hos pænitentes in periculum interne peccandi probabiliter induceret.

282. Modus excipiendi generalem confessionem. (a) Imprimis confessarius benigne inquirat *cur pænitens velit confessionem generalem instituere*, ut sciat utrum sit necessaria, vel utilis tantum : si enim necessaria sit, accuratior esse debet. Aliquando tamen detegit confessionem hujusmodi, quæ solummodo utilis habebatur, de facto necessariam esse; hinc permittat pænitentem ea omnia exponere quæ ejus conscientiam onerant, eumque opportunis interrogationibus benigne adjuvet.

(b) Jam ab initio pænitentem humanissimis verbis *hortetur ad perfectam sinceritatem*, et suggerat ut prius ea accuset, quibus magis angitur, vel quorum accusatio magis molesta ipsi videtur, v. g. peccata contra castitatem; his enim expositis, cor pænitentis exoneratur, ac reliqua confessio facilior redditur.

283. (c) Pænitentem *adjuvet discrete ac benigne interrogando*, præsertim si sit rudis et ignarus; si autem videat pænitentem suam accusationem ex ordine præparasse, generatim eum non interrumpat multis interrogationibus, ne forsan postea turbetur, putans se aliquid omisisse. Pariter tempus sufficiens pænitenti tribuat ad ea explicanda quæ ipsi necessaria videntur; secus hic forsan tranquillus non erit, quia dicere non potuit ea omnia quæ mentem ejus angebant. — A fortiori eum non austere carpat, quando gravius peccatum accusatur, ne forte hac severitate perterritus pænitens aliquid reticeat; sed e contra paterno affectu eum animet ad omnia candide aperienda, quum Deus sincere pænitentibus etiam gravissima delicta ignoscere paratus sit.

(d) Si confessarius, de peccatis interrogando, ipse proponat numerum, v. g., numquid decies, centies id fecisti? generatim expedit *majorem numerum* proponere quam minorem, cum facilius sit pænitenti illum minuere quam augere. Imo, si statim, proposito tali numero, assentiat pænitens, opportunum erit mox addere : nonne sæpius id fecisti?

(e) *Finita peccatorum accusatione*, suaviter dicat confessarius : nonne aliquid aliud tuam angit conscientiam? Si ita, dic, et te iterum interrogabo. — Si nihil superesse videatur, moneri debet pænitens ne disturbetur, si postea recordetur peccati gravis quod non declaravit : sufficit enim illud confiteri in proxima confessione, si nondum fuerit valide accusatum; si vero antea fuerit valide declaratum, illud repetere necesse non est.

284. *N. B.* Hic non subjicimus *Catalogum peccatorum*, juxta quem confessarius pænitentes interrogare valeat : hic enim, quoad formam, diversus esse debet secundum diversas regiones variasque pænitentium conditiones. Optime sane agunt juniores confessarii qui catalogum hujusmodi vernaculo idiomate sibi contexunt, pænitentium indoli accommodatum; ad quem diligentius scribendum, utiliter legent opera superius indicata ubi de conscientiæ examine (n. 267) et consilium capient seniorum sacerdotum, qui, in illa regione, per longum tempus confessiones audierunt, eo magis quia in nonnullis locis specialis loquendi modus ad tale vel tale peccatum declarandum adhibetur.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE.

Cum contritio sit omnino *essentialis* ad peccatorum remissionem, accurate declarandæ sunt ejus natura et necessitas, ejus dotes ac dotes propositi in ea inclusi :

Art. I. Natura et species.
Art. II. Necessitas et efficacia.
Art. III. Dotes contritionis.
Art. IV. Dotes propositi.

285. **Doctrina Tridentina**[1]. "Contritio, quæ primum locum inter dictos pænitentis actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius; et in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur...

Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando *caritate perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto* quod in illa includitur, non esse ascribendam. Illam vero contritionem *imperfectam*, quæ *attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pænitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pænitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pænitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed et falso docent contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam".

---

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 4.

Art. I. Natura et Species contritionis [1].

§ I. Contritionis natura.

286. Contritionis notio. (**A**) Contritio, a voce *conterere*, *etymologice* actionem designat qua solidum corpus ad minimas partes reducitur; *metaphorice* autem illam dispositionem qua cor peccato induratum frangitur et emollescit.

Hinc *Catech. Romanus* (de Pænit., n. 33) : "Recte autem contritionis nomen peccati detestationi... ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis quæ minutatim saxo aut duriore aliqua materia confringuntur : ut eo vocabulo declararetur corda nostra, quæ superbia obduruerunt, pænitentiæ vi contundi atque conteri". Vocatur etiam *cordis compunctio*, quia quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ita corda, quasi scalpello contritionis adhibito, inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant elicere; quare et *scissio cordis* a Joele propheta appellata est : "Convertimini ad me in toto corde vestro... et *scindite* corda vestra" [2].

287. (**B**) Quoad *rem*, contritio a *Tridentino* definitur [3] : "*animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*".

Dicitur : (**a**) *animi dolor*, seu afflictio, tristitia, intus animum angens et crucians; cum enim peccatum sit summum malum morale, peccator sincere ad Deum revertens, de delictis a se commissis non potest non tristari. Quæ quidem tristitia, licet primario *interna*, communiter *exterius manifestatur;* nec tamen lacrymæ aliave mœroris signa hujusmodi requiruntur, cum voluntas sincere dolere valeat, quin talia signa exhibeantur.

(**b**) *Detestatio de peccato commisso*, id est, odium peccati, procedens ex cognitione ejus malitiæ malorumque effectuum, conjunctum cum retractatione pravæ voluntatis, ita ut peccator sincere dicat : si possem de novo agere, vellem non peccasse. Dolor et detestatio ita connectuntur ut qui suum detestatur peccatum de eo doleat, et qui de eo dolet

---

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. I, a. 1; **Suarez**, disp. IV; **Salmantic.**, disp. VII; **Bellarminus**, l. II, c. 4; **Drouin**, q. IV, c. 1; **Billuart**, diss. IV, a. 1; **Palmieri**, th. 30; **Billot**, th. 12; **Lehmk.**, n. 372-376; **Noldin**, n. 247-250.

[2] *Joel*, II, 12. — [3] Sess. XIV, cap. 4, **D. B.**, 897.

illud necessario detestetur; videlicet, juxta communem sententiam, dolor est consequentia detestationis, sicut delectatio consequitur amorem; primum quidem detestamur peccatum, quia ut *malum* illud apprehendimus; deinde concipientes illud malum esse *præsens*, sive in se sive in suis consectariis, de eo dolemus. Hinc in Beatis odium peccati existit sine dolore; nam non apprehendunt peccatum ut malum *præsens*, cum jam immunes sint a peccato ejusque consectariis.

(c) *Cum proposito non peccandi;* nam vera pænitentia respicit non solum præteritas culpas ut abolendas, sed etiam futuras ut præcavendas; nemo enim vere peccata detestatur, quin eo ipso velit ea in futurum vitare : si nolit ea vitare, non veniam, sed indignationem meretur.

Charity is perfect contritio because God is all good in Himself. God for its object & attributes for motive So - amor Benevolentiæ

§ II. Contritionis species.

288. Duce Tridentino (supra n. 285), duplex distinguenda est contritio, *perfecta* et *imperfecta : prior*, quæ ex motivo *caritatis* perficitur, et ad justificationem sufficit etiam absque reali susceptione sacramenti; *posterior*, quæ concipitur ex motivo a caritate diverso, v. g., ex *turpitudine* peccati vel pœnarum *metu*, nec ad justificationem sufficit nisi simul sacramentum Pænitentiæ suscipiatur. — Utriusque notio, ob maximam rei utilitatem, sedulo investigari debet, sed antea pauca de caritate, seu de amore Dei in memoriam revocanda sunt : nam caritati perfectæ respondet contritio perfecta, et caritati imperfectæ vel timori respondet contritio imperfecta.

289. 1° **De Dei amore.** — Duplex Dei amor distingui potest : (a) amor *imperfectus*, seu *mercenarius*, quem theologi amorem *spei* seu *concupiscentiæ* vocant, quo videlicet Deus amatur super omnia concupiscibilia non propter se, sed *propter bona* quæ largitur, non quia bonus est in se, sed quia bonus est nobis, imo summum bonum, cujus fruitione beati aliquando erimus; (b) amor *perfectus*, seu *gratuitus*, quo Deus diligitur *propter se* et super omnia; qui pariter duplex est, amor *benevolentiæ*, quo Deum diligimus ut infinite perfectum, ejus perfectionibus congaudemus, eique bonum optamus, desiderando videlicet eum ab omnibus

cognosci et amari; et amor *amicitiæ*, qui, præter benevolentiam, importat mutuum amorem, seu redamationem, inquantum scilicet qui diligit, diligitur a Déo. Notandum est tamen motivum amoris amicitiæ esse infinitam Dei bonitatem *in se*, non autem ejus bonitatem erga nos; seu aliis verbis, amore amicitiæ diligimus Deum propter se, scientes tamen Deum diligere diligentes se; hinc mutua redamatio non est motivum amicitiæ, sed solum una ex ejus conditionibus.

Jamvero, quoniam ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum et fugere aliud, ita ad caritatem pertinet diligere Deum et detestari peccatum, quatenus Deo oppositum : tot sunt igitur contritionis species quot sunt amoris species.

290. 2° De contritione perfecta. Quibus positis, certum est contritionem quæ ex *amore perfecto* concipitur, sive *benevolentiæ* [1], dummodo sit supernaturalis ac super omnia, sive *amicitiæ*, esse perfectam, statimque peccata remittere; ita, v. g., qui de peccato dolet, quatenus est offensa Dei Summi Boni et super omnia dilecti, contritionem perfectam habet.

Disputant autem theologi utrum necesse sit illam contritionem procedere ex motivo infinitæ bonitatis, quatenus est *aggregatio omnium perfectionum*, an sufficiat ut eliciatur ex motivo *cujuscumque attributi* divini offensi, puta misericordiæ, sapientiæ. Judicio nostro, quæstio est magis speculativa quam practica; nam ex se omnia divina attributa cum ejus infinita bonitate connectuntur; et aliunde qui peccata detestatur utpote unum ex divinis attributis lædens, alia attributa non excludit, proindeque contritionem vere perfectam habet.

Ceteroquin ad justificationem non requiritur actus con-

[1] Pauci theologi dixerunt amorem *benevolentiæ* non sufficere ad contritionem perfectam, sed decipiuntur putantes hujusmodi amorem vel non esse supernaturalem, vel, si supernaturalis sit, non esse super omnia. Dari enim fortasse potest aliquis Dei amor ex cognitione naturali ortus qualem philosophus concipere posset. Sed hic est potius admiratio speculativa quam amor, qui per totius animæ motum in personam amatam exprimitur. Istum concedimus nec [redacted] supernaturalem neque super omnia, sed quantum longe distat ab amore quo christiani Deo bonum optant!

tritionis *intensus*, seu vehemens, quidquid in contrarium dixerunt quidam antiqui theologi; dummodo enim contritio sit appretiative summa, id est, peccatum quis doleat ut summum malum, ad remissionem peccatorum sufficit, licet non sit valde *intensa* : "quantumcumque parvus sit dolor, ait *S. Thomas*[1], dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpat delet".

291. 3° De attritione. Contritio imperfecta *attritio* dicitur; nam, ut ait *S. Thomas*[2], in corporalibus attrita dicuntur quæ aliquomodo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte comminuta, contrita autem quæ per divisionem ad minima reducuntur; ideoque attritio, in spiritualibus, significat quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem, perfectam. — Definiri potest *dolor et detestatio peccati procedens ex motivo supernaturali, a caritate distincto.*

Juxta *Tridentinum*[3], attritio supernaturalis ex duplici præsertim motivo concipi potest, "vel ex *turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu*", gehennæ autem metus involvit etiam metum amittendi æternam beatitudinem, ut alibi[4] docet idem Concilium. Prius motivum nobilius est, cum consideret peccatum utpote oppositum rectitudini ordinis moralis; illa autem consideratio supernaturalis esse debet, innixa videlicet motivis *fide* cognitis v. g., ex eo quod peccatum mortale sit injustitia contra Deum, inobedientia, ingratitudo, aliquid viro christiano indignum, fœdans animam, etc. — Posterius tamen motivum, scilicet metus gehennæ vel pœnarum supernaturalium, licet minus nobile, est tamen bonum et utile. Ad quod intelligendum, duplex Dei timor distingui potest : timor *filialis*, seu *castus*, quo quis ex amore et reverentia Deum offendere timet; *servilis*, quo timetur Deus propter pœnas quas minatur. Qui pariter subdividitur : alius est *simpliciter servilis*, vi cujus quis non solum ab opere malo abstinet sed etiam affectum ad peccatum deponit; alius est

[1] *Suppl.*, q. 5, a. 3. — [2] **S. Thom.**, *Supplementum*, q. 1, a. 1.
[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 4; **D. B.**, 898. Cf. *D. T. C.*, XII, 1092-1096.
[4] *Ibid.*, can. 5; **D. B.**, 915. Cf. *D. T. C.*, XII, 1106-1107.

serviliter servilis, quando quis opus malum vitat, retinens tamen peccandi affectum. Jamvero timor *filialis* certo bonus et honestus est, dum e contra timor *serviliter servilis* est malus, cum affectum peccandi retineat.

Art. II. Necessitas et efficacia contritionis.

Ad rem penitius declarandam, agemus : 1° de contritione *in genere;* 2° de contritione perfecta et imperfecta *in specie.*

§ I. De contritione in genere.

292. Ad remissionem peccati *aliquam contritionem esse necessariam* omnes fatentur; quænam autem sit vis et efficacia contritionis in remissione peccati sive cum reali susceptione sacramenti sive cum ejus voto disputarunt theologi. Unde duo exponenda : 1° *thesis certa* de necessitate contritionis; 2° *historica expositio* de contritionis efficacia.

I. Thesis de necessitate contritionis.

293. *Thesis :* **Vera contritio, qualis superius definita fuit, abstrahendo ab ejus specie, necessaria est ad veniam peccatorum consequendam, sive intra sive extra sacramentum.**

1° *Script.* Id constat ex omnibus textibus supra allatis, ubi de necessitate pænitentiæ, n. 10-11. Pænitentia enim, quæ ibi requiritur tanquam conditio necessaria ad justificationem, nihil aliud est nisi conversio ad Deum, aversio a via iniquitatis, immutatio cordis et vitæ, cor contritum et humiliatum. Atqui hæc omnia supponunt animi dolorem ac detestationem peccati, cum proposito emendationis. Ergo vera contritio requiritur.

Quæ quidem dispositio, etiam post instituta sacramenta, necessaria manet; nam, quando Judæi aut Gentiles ad christianam fidem convertuntur, prima dispositio ab eis requisita post fidem, est pænitentia seu contritio : "Pænitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... Pænitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra... Pænitentiam itaque age ab hac nequitia tua; et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui... Ergo et

gentibus pænitentiam dedit Deus ad vitam"[1]. — Quare gaudet Apostolus quod Corinthii contristati sunt ad pænitentiam : "Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam... Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur"[2].

294. 2° *Traditione.* Tota enim *pænitentialis disciplina*, quam supra exposuimus (n. 57 sq.), eo fine instituta fuerat ut, frequenti recogitatione peccatorum et laboriosa eorum expiatione, necnon Ecclesiæ precibus, in pænitentibus animi dolor ac detestatio peccati necnon vitæ emendandæ desiderium vivide excitarentur. Quod quidem constat e testimoniis jam allatis (n. 57 sq.); pauca igitur referre sufficiat.

295. *Tertullianus* exemplo prodigi ostendit Deum peccatori parcere, "sed si *pæniteat ex animo*, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum"[3]. Pariter *S. Cyprianus* veniam pænitentibus promittit, "acta pænitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac *vere pænitentis animi signa prodiderint*"[4]. Nec aliter *S. Ambrosius :* "Et si tu *amarissime fleas*, Christus ad te respiciet, culpa discedet. Usus enim *doloris* ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita, dum *dolemus* admissa, amittenda excludimus, et fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ"[5].

Duo igitur docent Patres, nempe contritionem sitam esse in *peccati retractatione* vitæque emendatione; et hanc esse ad salutem *necessariam*.

II. De efficacia contritionis historica expositio.

296. 1° **Facta exponuntur.** Ex hucusque dictis certo constat christianum, culpæ mortalis reum, non posse justificari nisi duas conditiones impleat : contritionem habeat et se potestati clavium subjiciat. Sed, jam a sæc. V°, quæstio agitata est, quænam sint partes *contritionis*, et quænam *absolutionis* in remissione peccatorum.

---

[1] *Act.*, II, 38; III, 19; VIII, 22; XI, 18.
[2] *II Cor.*, VII, 9-10. — [3] Tertullianus, *De Pænit.*, c. 8, *P. L.*, I, 1243.
[4] *Ep.* XXXI, *P. L.*, IV, 315.
[5] *De Pænitent.*, l. II, c. 10; *P. L.*, XVI, 519.

(A) *S. Augustinus* asserit contritionis simul et absolutionis efficaciam, sed utriusque partes nonnisi comparatione declarat : sicut, inquit, Lazarus a mortuis suscitatus vinculis irretitus manet donec Christus jubeat eum solvi, ita peccator, per contritionem a peccatis mundatus, aliquo modo vinculis ligatus manet donec Ecclesia absolutione eum solvat [1].

297. (B) Quam expositionem, nimis obscuram et vagam, expolire conati sunt *Scholastici*, distinguendo inter contritionem *perfectam* et *imperfectam*, absolutionem *in re* et *in voto*, diverso tamen modo [2].

(a) *Hugo a S. Victore* declarat contritione non remitti peccata nisi *votum* accedat absolutionem suscipiendi; absolutione vero concedi pœnæ æternæ remissionem [3]. Quod tamen falsum est, cum peccatum mortale remitti nequeat nisi simul remittatur pœna æterna eidem adnexa.

(b) *Petrus Lombardus* docuit contritione perfecta remitti peccatum et peccati pœnam, absolutione vero *authentice* peccata dimissa *ostendi* [4]. Quæ quidem opinio errori Protestantium viam parabat, asserendo vim absolutionis esse *declarativam tantum*.

(c) Propius veritatem accedit *Gulielmus Parisiensis* : asserit quidem *attritionem*, seu contritionem informem, id est non informatam caritate, per se non sufficere ad justificationem, sed esse præviam dispositionem quæ facile convertitur in contritionem caritate informatam, et ita peccatorum remissionem inducere; absolutione dirumpi vincula peccatorum, in iis autem qui gratia fruuntur gratiam ipsam augeri [5].

298. (d) *S. Thomas* distinctius exponit discrimen inter contritionem caritate perfectam et attritionem, atque hanc sufficere ad remissionem peccatorum asserit, accedente tamen sacerdotis absolutione : "Quando aliquis accedit ad confessionem *attritus, non plene contritus*, si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione, sibi gratia et remissio peccatorum datur" [6]. Addit tamen

---

[1] *Sermo* 67, *P. L.*, XXXVIII, 434.

[2] Quorum opiniones expositas vide in *D. T. C.*, 171-182.

[3] "Impietas peccati rectissime obduratio cordis accipitur, quæ primum in compunctione solvitur, ut postmodum in confessione peccatum ipsum, id est *debitum damnationis* absolvatur". (*De Sacramentis*, l. II, p. XIV, c. 8, *P. L.*, CLXXVI, 564-570).

[4] "Peccata dimittunt vel retinent (sacerdotes), dum dimissa a Deo vel retenta judicant et ostendunt". (Lib. *IV Sent.*, dist. XVIII, *P. L.*, CXCII, 885-889).

[5] **Gulielm.**, *De sacram. pœnitentiæ*, c. 5-8, inter *Opera*, Parisiis, 1676, t. I, p. 462-470.

[6] **S. Thom.**, *in IV Sent.*, dist. 22, q. 2, a. 1; cfr. *Supplementum*, q. 10, a. 1; q. 18, a. 1.

(quod hodie rejicitur) attritionem non sufficere *ex se*, sed ratione *bonæ fidei*, ita ut si quis sit conscius hujus defectus, eum tamquam fictionem accusare debeat. Ceteroquin docet absolutione augeri gratiam, si hæc jam habetur.

299. (e) Longius processit *Scotus*, docens parvam etiam attritionem, eam scilicet quæ ex metu inferni concipitur, sufficere ad remissionem peccati, accedente absolutione, dummodo pænitens actu peccato non adhæreat : "Parum attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere sacramentum pænitentiæ, sicut dispensatur in Ecclesia, et sine obice in voluntate peccati mortalis... recipit effectum sacramenti, scilicet gratiam pænitentialem, non quidem ex merito... sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo" [1].

300. Conclusio. Paulatim scholastica doctrina a theologis subsequioris ævi expolita est; hodie communiter admittitur contritione perfecta, cum voto suscipiendi sacramentum, statim peccatorem justificari, nec tamen inutilem esse absolutionem, cum hæc gratiam in justificatis augeat; aliunde attritionem sufficere cum reali susceptione absolutionis. Ita conciliantur quæ primæva Ecclesia jam implicite sua praxi inculcaverat, nempe necessitas et efficacia tum contritionis tum absolutionis. Ita etiam melius apparet quomodo Sacramentum Pænitentiæ sit simul peccatoribus remedium, et ferventibus spiritualis profectus medium efficax. Quod quidem ex sequentibus patebit.

§ II. De utraque contritione in specie.

Quibus prænotatis, tria probabimus : 1° *contritionem perfectam* absque reali susceptione sacramenti peccatorem justificare; 2° *attritionem* esse *vere utilem*, non autem damnandam hypocrisim; 3° immo *attritionem* sufficere *cum absolutione* ad justificationem.

301. *Thesis Iª :* **Contritio perfecta peccata gravia remittit, absque sacramenti Pænitentiæ reali susceptione, non tamen sine ejus voto.** *Certum est.*

(**A**) Hoc enim diserte proponit *Tridentinum* [2] : "Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate *perfec-*

[1] **Scotus,** *IV Sent.*, dist. 14, q. 4, n. 7.
[2] Sess. XIV, cap. 4, **D. B.**, 898.

tam esse contingat, *hominemque Deo reconciliare;* ... ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto* quod in illa includitur, non esse ascribendam ".

302. (**B**) *Scriptura* multipliciter docet eos qui ad Deum toto corde convertuntur, eumque vere diligunt, statim justificari, seu peccatorum remissionem consequi : (**a**) " Ego diligentes me diligo "[1]; " Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua "[2]. Unde sic : in V. Testamento adulti peccatores delictorum remissionem obtinere poterant sine sacramento Pænitentiæ quod nondum existebat : secus salvari non potuissent. Atqui si id obtinere poterant, certe per actum nobilissimum, qualis est pænitentia caritate perfecta; textus enim allati demonstrant Deum diligere, proindeque gratia sanctificante ornare eos qui ipsum diligunt, et impietatem remittere eorum qui ad se convertuntur; ergo. (**b**) Nec res aliter se habet in N. Lege, post institutum Pænitentiæ sacramentum; Christus enim, sine ulla restrictione, discipulis dixit : " Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus "[3]; ex quo clare colligitur eum qui diligit Christum statim frui divina inhabitatione, quæ sine gratia habituali non habetur. Idem probant verba *Joannis :* " Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo "[4]. Confirmatur verbis Christi ad mulierem peccatricem[5] : " Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ".

Frustra objiciunt adversarii non ante fuisse remissa peccata quam Christus diceret : *remittuntur ei peccata*, proindeque caritatem non justificare per se, sed solum accedentibus verbis Domini. Nam verba hujusmodi solummodo declarabant peccata mulieris fuisse jam remissa, ut clare colligitur ex verbo græco ἀφέωνται, quod est præteriti temporis et significat *remissa sunt;* remanet igitur ut ejus delicta condonata fuerint ex eo quod multum dilexerit.

303. (**C**) *Ratio* ipsa hujus rei convenientiam ostendit. Quamvis enim contritio perfecta ex se non possit offensam

[1] *Prov.*, VIII, 17. — [2] *Ezech.*, XXXIII, 12. — [3] *Joan.*, XIV, 23; cf. *Joan.*, XIV, 21. — [4] *I Joan.*, IV, 16. — [5] *Luc.*, VII, 47.

Deo per peccatum mortale irrogatam adæquate compensare, nec remissionem peccati mortalis mereri, *decet* ut Deus contritis corde indulgentiam concedat; nam talis dispositio est perfectissima quæ a peccatoribus haberi possit, et cum amorem Dei purum importet, ad divinam amicitiam optime eos disponit; hinc, in *A. Lege*, ex misericordia Dei, ad justificationem sufficiebat; atqui institutio sacramenti Pænitentiæ vim et efficaciam caritatis non minuit, nec arctiorem viam salutis fecit, sed potius faciliorem reddidit; ergo rationabiliter asseritur contritionem perfectam statim justificare.

304. Diximus tamen : *non sine sacramenti voto*, quia, cum, ex dictis, sacramentalis confessio sit in N. Lege necessaria, peccator non potest vere esse contritus, quin velit delicta sua clavium potestati subjicere. ← N. B.

Non requiritur tamen ut hujusmodi votum sit *explicitum;* sufficit *implicitum*, quale invenitur in generali voluntate omnia adimplendi quæ ad salutem necessaria sunt. Ex hoc pariter sequitur hominem sic justificatum teneri peccata sua mortalia, per contritionem jam remissa, sacerdoti accusare tempore opportuno, non tamen quamprimum; secus enim votum non esset sincerum. Absolutio autem sacerdotis in hoc casu non inutilis dicenda est; gratiam videlicet operabitur *ex opere operato*, quæ non remittet quidem peccata, nec faciet pænitentem ex injusto justum, sed ex justo magis justum. Præterea, accusando hujusmodi peccata, pænitens se humiliat coram Deo et Ecclesia, de peccatorum remissione securior fit, pro peccatis suis satisfactionem præbet, consilia accipit, et pænitentiam perficiendo sacramentalem, a pœna forsan adhuc debita partialiter saltem liberatur. Nec desunt exempla Scripturæ, quibus similis recursus commendatur. Christus enim quos a lepra sanaverat, ad sacerdotes misit [1], et Paulum jam contritione perfecta justificatum ad Ananiam ire mandavit [2].

305. Quæstio disputata. Dubitatur vero num alia motiva, ~~præter~~ caritatem perfectam, sufficiant ad contritionem perfectam, et ad remissionem peccatorum extra sacramentum. ~~Satis communiter negant theologi~~.

1) Attamen *Scotistæ* dicunt motivum contritionis perfectæ esse omne motivum quod spectat ad Deum, v. g., quod desumitur ex virtutibus *pænitentiæ*, *religionis* aut *obedientiæ :* his enim virtutibus, peccatum detestamur tanquam offensam Dei, ejus juribus et volun-

[1] *Luc.*, XVII, 14. — [2] *Act.*, IX, 7.

tati oppositum. Hoc autem sufficit ad contritionem perfectam. — *Suarez* et *Card. de Lugo* hanc sententiam ut *probabilem* habent, etsi eam non amplectantur [1]. Merito ait *Genicot :* " Certe talis contritio perfecta evadet, si una cum harum virtutum motivo consideratur infinita excellentia Dei... *ut facillime fieri potest* ".

2) Juxta quosdam hodiernos auctores, *Hurter*, *Palmieri*, *Egger*, amor *spei* et *gratitudinis* ad perfectam contritionem sufficere potest [2]. Revera, ut aiunt, hic amor ut nobilissimus a sacra Scriptura commendatur; imo vix reperitur tum in sacris Litteris tum apud Patres expressio caritatis erga Deum, quæ hoc motivo non informetur; sic Psalmista dicebat : "Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus"[3]; ubi exhibetur Dei dilectio ut est *bonus nobis*. Aliunde ille amor est valde perfectus, et in gloriam Dei maxime cedit : si enim eum diligamus ut beatitudinem nostram, eo ipso testamur ipsum solum tam perfectum esse ut nos beatificare valeat. — Judicio nostro, amor spei non sufficit *per se*, si in Dei beneficiis sistit, sed si ex beneficiis transimus ad *amorem ipsius benefactoris*, tunc jam habetur amor Dei propter se, et hic plane sufficit. Aliunde hic transitus non tam difficilis est; nam contritio caritate perfecta consistere potest cum dolore de peccatis ob alia motiva minus perfecta concepto, videlicet spem, gratitudinem, metum pœnarum; imo communiter anima quasi pedetentim ex inferioribus ad superiora assurgit motiva. Quod inferri potest ex *Tridentino* [4] ubi de timore pœnarum dicitur : " Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt ".

306. *Thesis IIa :* **Attritio concepta ex fœditate peccati, amissione æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursu, est verus et utilis dolor ad gratiam præparans.** *De fide est ex Trident.*

Contra Lutheranos, qui contendebant timorem *servilem* non esse verum et honestum, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem [5], Concilium ait : " Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incur-

[1] **Suarez**, disp. IV, sect. 2, n. 13; **Lugo**, disp. V, sect. I, n. 3.
[2] **Hurter**, n. 515; **Genicot**, n. 269; **Palmieri**, th. 22. — [3] *Ps.*, XLI, 2.
[4] Sess. XIV, c. 4, **D. B.**, 898. — [5] **D. B.**, 746.

sum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem... A. S." [1].

(**A**) *Script.* Ille timor bonus et utilis est qui in sacris litteris commendatur et præcipitur; atqui talis est timor Dei et pœnarum : "Sanctum et terribile nomen ejus : initium sapientiæ timor Domini" [2]; Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari" [3]; "Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam" [4]. Quibus verbis frequenter utuntur Patres ad ostendendum timorem gehennæ esse vere salutarem.

307. (**B**) *Traditione.* Sæpe Patres timorem judicii et gehennæ proponunt tanquam motivum detestandi et fugiendi peccatum. Ita *Chrysostomus*, qui etiam notat timorem esse bonum ex ipsis Christi sermonibus : "Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de pœna et supplicio illic futuris loquens. Timor nihil aliud est quam murus et munimentum et turris inexpugnabilis" [5]. Nec minus eloquenter *Augustinus* : "Ergo pœnam times, castitatem nondum amas, caritatem nondum habes : serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te; et sic volentem peccare animum interiorem non sinit" [6]. Et alibi addit : "Timor quasi locum præparat caritati... Si autem nullus est timor, non est qua intret caritas" [7].

308. (**C**) *Rat. theol.* Attritio ex metu gehennæ tria importat : voluntatem *fugiendi pœnam*, quæ per modum *finis* se habet; *peccati detestationem*, quæ est *medium* ad finem; *ordinationem* hujus medii ad finem obtinendum. Atqui hæc tria bona sunt et utilia : (**a**) honestum est inferni pœnas fugere, cum sint aliquid malum et odio dignum; (**b**) peccati detestationem bonam esse pariter nemo est qui neget; (**c**) ordinare autem fugam peccati ad vitationem

---

[1] Sess. XIV, can. 5, **D. B.**, 915.
[2] *Ps.* CX, 10. — [3] *Eccli.*, I, 27. — [4] *Matth.*, X, 28; cf, *Luc.*, XII, 4.
[5] *Homil. XV* ad pop. Antioch., n. 2, *P. G.*, XLIX, 156.
[6] **S. August.**, *sermo* CLXI, c. 8, *P. L.*, XXXVIII, 882.
[7] *In Epist. I Joan.*, tract. 9, c. 4, *P. L.*, XXXV, 2047.

pœnæ, tanquam ad finem, non est malum, cum Deus ipse pœnarum comminatione utatur ad nos a peccato deterrendos; aliunde peccator, qui peccatum fugit propter pœnam vitandam, non excludit altius motivum; si enim excluderet esset metus serviliter servilis. Quin imo hæc in se imperfecta dispositio sponte sua ad perfectionem tendit, eamque virtualiter continet. Nam qui ex gehennæ metu efficaci odit peccatum, hoc detestatur tanquam gehennæ causam et proinde est dispositus ad faciendum quidquid oportet ut, vitando peccatum, et infernum vitet. Porro ad hoc agendum requiritur ut sibi proponat firmiter servare omnia præcepta quorum primum et præcipuum est præceptum dilectionis Dei super omnia; ergo timore gehennæ inducitur ad Deum ipsum amandum.

Nec dicatur in hoc casu pænitentem magis pœnam quam culpam detestari; nam qui fugit peccatum quia causat infernum, detestatur peccatum magis quam gehennam, non in hoc sensu quod disponi debeat ad potius incurrendum damnationem quam ad peccandum, cum fieri nequeat ut absque peccato damnetur; sed in hoc diverso sensu quod in praxi magis attentus esse debeat ad vitandum peccatum, cum vitando peccatum vitet gehennam, et nullo modo gehenna timenda sit, si peccatum vitetur. — Res exemplo declaratur : filius prodigus, qui patrem dereliquerat, et substantiam suam dissipaverat vivendo luxuriose, fame, seu timore dolorum et mortis ad pænitentiam ductus est, patremque denuo adivit : jamvero si timore *serviliter servili* egisset, affectum ad luxuriosam vitam servans, ejus quidem agendi ratio laude non fuisset digna; sed, quia timore perculsus vere etiam peccatum, tanquam miseriæ suæ causam, odio habuit, veniam obtinuit et in priora jura redintegratus est; ita peccator, qui ex metu gehennæ vere peccatum, ut gehennæ causam detestatur, et, ut eam fugiat, sincere vult Deo servire, laudabiliter agit, et, accedente absolutione, peccatorum veniam consequitur.

309. *Thesis III^a* : **Ad remissionem peccatorum consequendam vi sacramenti Pænitentiæ non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio.** *Certum est* contra quosdam antiquiores theologos, supra, n. 297.

(A)**Auctoritate :** ex *Tridentino;* (a) textu superius allegato, n. 285 : ibi enim declaratur duplicem esse contritionem : *perfectam*, quæ peccatorem Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur; *imperfectam* seu attritionem,

quæ "eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit".

Non diffitemur quosdam auctores rigidos verbum *disponit* intellexisse de dispositione *remota*, non autem de dispositione proxima ad justificationem. Id vero prohibet parallelismus inter contritionem (quæ certe est dispositio proxima) et attritionem. Aliunde, si Concilium verbo *disponit*, non autem *sufficit*, usum est, id factum est ne damnaretur opinio jam antiquata Petri Lombardi; sed mens Concilii satis evidenter constat ex disputationibus inter Patres Tridentinos habitis [1].

(b) Confirmatur aliis decretis ejusdem Concilii; docet enim *Tridentinum* per sacramentum pænitentiæ peccata *vere remitti* [2].

(c) Aliunde damnata est hæc *Baii* propositio: "Peccator pænitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo" [3]. Atqui si contritio perfecta ad absolutionem prærequireretur, peccatores nunquam vivificarentur sacerdotis ministerio, cum jam contritione justificati fuissent.

310. (B) Idem infertur ex universali *Ecclesiæ praxi* sedulo *moribundos absolvendi*. Jam dictum est, nn. 49, 67, severe reprehensam fuisse praxim absolutionem denegandi peccatoribus, in periculo mortis constitutis, etiam quando gravissime deliquerant; et, juxta receptam hodie disciplinam, nulli moribundo denegatur absolutio, dummodo hic probabiliter sit attritus. Jamvero hæc praxis antiqua simul et universalis, explicari nequit nisi admittatur cum absolutione sacerdotis sufficere attritionem. Si enim requiritur contritio perfecta, cur tam necessaria prædicatur absolutio sacerdotis? Omnes enim concedunt sola contritione perfecta, cum voto sacramenti, absque reali ejus susceptione, justificari peccatores. Si igitur moribundi contritionem habent, non indigent absolutione; si solummodo sunt attriti, inutilis est absolutio. Admissa vero thesi nostra, res facile explicatur: sola enim attritio, quæ non justificat sine sacramento, peccata remittit accedente sacerdotis absolutione: hæc igitur omnibus necessaria est qui solummodo sunt attriti.

---

[1] Cfr. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 531-600.
[2] Sess. XIV, can. 3. — [3] D. B., 1058.

(C) Tandem nemo dicere potest salutis viam arctiorem et difficiliorem esse sub Nova quam sub A. Lege; atqui, si simul cum confessione contritio perfecta ad remissionem peccatorum necessaria diceretur, pejor esset Christianorum quam Judæorum conditio, cum hi sola contritione, sine confessione, justificarentur.

311. Controversia de necessitate alicujus amoris cum attritione. Omnes quidem concedunt attritionem, necessariam ad peccatorum remissionem in sacramento pænitentiæ consequendam, conjungi debere cum *fide*, secus non esset supernaturalis; et cum *spe* veniæ, secus nullum esset propositum melioris vitæ. Sed quæstio est num attritio ex solo metu gehennæ concepta, sufficiat, *absque amore Dei*, ad justificationem consequendam in sacramento Pænitentiæ. Ratio dubitandi est quia *Tridentinum*, describens conditiones ad justificationem modo generali requisitas, aliquem amorem requirit [1] : " Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum, excitati divina gratia,... libere moventur in Deum... in spem eriguntur,... Deumque tamquam omnis *justitiæ fontem diligere incipiunt*"...

312. (A) Alii, post *Pallavicini* et *Bossuet* [2], tenent simul cum attritione requiri initialem amorem Dei propter se dilecti, non quidem amorem prædominantem, quo Deus propter se *super omnia* diligitur, sed *incipientem*, qualis habetur ab eo qui nititur contritionem ex caritatis motivo elicere, et revera Deum diligere incipit, non ita tamen ut propterea omne peccatum grave velit fugere; accedente autem metu vel spe, voluntas sincere gravia delicta detestatur, eaque vult fugere, ita ut hujusmodi detestatio partim ex amore, partim ex metu oriatur.

313. (B) Alii vero tenent non requiri alium amorem nisi amorem *spei* seu *concupiscentiæ;* sed, juxta quosdam, hic amor debet *explicite* elici [3]; secundum alios, sufficit ut *implicite* eliciatur [4] : jamvero semper implicite continetur in sincera attritione quæ voluntatem peccandi excludit.

---

[1] Sess. VI, cap. 6.

[2] Cf. **Pallavicini,** *de Pœnitent.*, c. 12; **Bossuet,** *De doctrina C. Trid. circa dilectionem in sacr. Pœnitentiæ requisitam.*

[3] Ita **Tournely,** *De sacram. pœnit.*, q. V, a. 3; **Wirceburgenses,** *De sacram. pœnit.*, disp. II, c. 3, art. 3-4.

[4] **Suarez,** disp. XX, sect. 2; **Lugo,** disp. V, n. 133; **S. Alphons.**, l. VI, n. 442; **Palmieri,** th. 32, Coroll.; **Kenrick,** tr. XVII, n. 23.

Non potest enim quis vere detestari peccatum, cum spe veniæ et desiderio gratiæ, quin *eo ipso* incipiat aliquomodo *amare Deum ut sibi bonum.* Sic autem arguunt : si species quædam amoris nobilioris requiri probaretur, constaret vel *ratione*, vel *auctoritate.* Atqui (a) *non ratione;* nam amor se habet relative ad justificationem ut medium ad finem; ideoque modo sit medium aptum ad finem obtinendum, sufficit. Porro quilibet amor in attritione appretiative summa inclusus, est medium aptum ad finem obtinendum, scilicet sacramentum cum fructu recipiendum; ope enim hujusmodi amoris, attritio voluntatem peccandi excludit, includitque spem veniæ, et fit dispositio proxima ad justificationem in sacramento recipiendam. Ergo non probatur ratione amorem nobiliorem requiri præter amorem in attritione appretiative summa inclusum. (b) Nec *auctoritate;* textus enim *Tridentinus* supra citatus " Deum tanquam omnis *justitiæ fontem* diligere incipiunt", de amore *spei* intelligi potest, nam Deus amatus ut justificationis nostræ auctor, est Deus prout est *bonus nobis.* — Aliunde omnes actus hic descripti a *Tridentino* non sunt absolute necessarii ad justificationem cum sacramento : quidam necessarii sunt sive intra sive extra sacramentum, alii solum extra sacramentum, ut jam notaverat *Suarez :* ibi enim Concilium disserit de dispositionibus ad justificationem *in genere;* at ubi agit in specie de sacramento Pænitentiæ, declarat attritionem ex metu gehennæ, quæ sine sacramento non sufficit, peccatorem ad gratiam in sacramento obtinendam disponere. — Hanc igitur opinionem ut multo probabiliorem amplectimur.

Exortis autem acerbis dissensionibus inter *contritionistas* et *attritionistas*, *Alexander VII*, enixe cupiens vinculum pacis inter fideles servare, die 5 maii 1667, sub pœna excommunicationis [1] præcepit ut : " Si deinceps de materia attritionis præfatæ scribant... non audeant alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos *communior* videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum ". Jamvero nihil adhuc definitum est, et unusquisque in suam sententiam abire potest [2].

314. *In praxi* vero nulla adest difficultas; statim ac constat pænitentem vere esse attritum, et peccata super omnia detestari, hic absolvi potest : Nam, teste Scriptura, " timor Dei initium dilectionis ejus " [3]; et qui veniam a Deo

[1] Quæ tamen excommunicatio, omissa in *Codice*, amplius non viget.

[2] Recenter controversia rursus efferbuit. Cf. **J. Périnelle**, *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après S. Thomas d'Aquin*, 1927; **P. de Vooght**, *La justification dans le sacrement de Pénitence d'après saint Thomas d'Aquin*, in periodico *Eph. theol. Lov.*, april. 1928; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, II, 427-444 et 480-481. — [3] *Eccli.*, XXV, 16.

sperat, jam eum diligit tanquam justitiæ fontem. Expedit tamen ut ipsi proponantur motiva contritionis perfectæ, tum quia perfectiora sunt, tum majoris securitatis gratia.

315. Corollarium. *Pœnitens, recipiendo sacramentum, fit ex attrito contritus,* non quidem eo sensu quod attritio fieri possit contritio, cum hi sint duo actus specie distincti, sed (**a**) quia attritio simul cum sacramento æquivalet contritioni quoad effectum productum, nempe peccati remissionem; (**b**) et insuper quia attritus absolutionem recipiendo, simul gratiam habitualem et virtutem caritatis accipit, qua fit contritus in *habitu,* potens actum contritionis perfectæ elicere.

Art. III. De dotibus contritionis[1].

316. Contritio, sive perfecta sive imperfecta, quibusdam vestiri debet conditionibus, ut suos producat effectus cum vel sine sacramenti receptione. Siquidem debet esse: (**a**) *sincera,* seu *interna,* cum sit animi dolor; (**b**) *supernaturalis,* id est sub influxu *gratiæ actualis* elicita, et ex *motivo* supernaturali concepta, cum ad finem supernaturalem, remissionem videlicet peccatorum, ordinetur; (**c**) *universalis,* nempe ad omnia peccata mortalia sese extendens, cum eadem sit ratio de omnibus, nec possit unum remitti quin omnia remittantur, ac proinde retractentur; (**d**) *appretiative summa,* quatenus peccatum ut *summum malum* æstimari ac detestari debet, proinde magis quam quodlibet aliud malum; (**e**) *in ordine ad sacramentum,* quoties remissio peccatorum absolutione obtinenda est. — De quibus seorsim dicemus.

§ I. De Contritione sincera seu vere interna.

317. 1° *Principium:* **Contritio debet esse sincera seu interna, id est vere in corde seu voluntate concepta;**

[1] **S. Thom.**, *Supplement.*, q. 2-3; **Suarez**, disp. XX, sect. 2; **Lugo**, disp. V et XIV; **S. Alphons.**, H. A., tr. XVI, cap. 2; **Collet** (*Migne*, Theol. Curs., XXII, 196-214); **Lehmk.**, n. 383 sq.; **Hilarius Sexten.**, § 37, n. IV; **Konings**, n. 1349-1350; **Ball. P.**, n. 42-142; **Genicot**, n. 272-279; **Noldin**, n. 253-260.

nec proinde sufficit mere externa, vel ficta contritio. Certum est.

(a) Juxta *Tridentinum* [1], contritio est *animi* dolor, ideoque mente concipi debet; necnon *detestatio* peccati : atqui detestatio est actus voluntatis.

(b) Quoties in *Scriptura* de contritione agitur, toties requiritur conversio *cordis*, quæ, juxta usum loquendi biblicum, *voluntatis* conversionem significat : "Convertimini ad me in toto *corde* vestro... et scindite *corda* vestra, et non vestimenta vestra" [2]. — "Facite vobis *cor* novum, et *spiritum* novum" [3].

(c) Quod aliunde *rationi* consentaneum est; nam contritio, utpote reparatio peccati, ab illo fonte procedere debet a quo peccatum prodiit; atqui peccatum ex corde seu ex voluntate procedit, teste ipso Christo : "De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ" [4]; ergo ex corde, seu voluntate, procedere debet contritio.

318. 2° **Corollaria.** (A) *Contritio mere existimata non sufficit;* aliis verbis, qui bona fide putat se esse attritum, dum revera non est, remissionem peccatorum non consequitur, quamvis, propter bonam fidem, a peccato sacrilegii immunis sit. Ita *communiter* contra quosdam antiquos theologos, quos sequitur *Ballerini* [5]. Nam contritio mere existimata non est verus animi dolor, quem *Tridentinum* requirit ad remissionem peccati; sufficit quidem ut quis sit in bona fide, ac proinde a peccato sacrilegii immunis; sed non sufficit ad tollendam aversionem a Deo jam existentem, nec proinde ad remissionem peccati.

Quandoque tamen inveniuntur peccatores timoratæ conscientiæ qui optant habere dolorem et *dolent quod non doleant*, qui videlicet attritionem elicere conati sunt, sed timent ne ipsis desit propria dispositio; tunc inquirat confessarius num serio velint peccatum relinquere ac mediis uti ad occasiones peccati vitandas; si affirmative respondeant, judicari potest eos esse vere attritos, quamvis eorum dolor non sit sensibilis.

---

[1] Sess. XIV, cap. 4. **D. B.**, 897.

[2] *Joel*, II, 12-13. — [3] *Ezech.*, XVIII, 31.

[4] *Matth.*, XV, 19.

[5] **Ball. P.**, n. 52 sq., cum auctoribus ibidem allegatis. — **Palmieri**, qui *Opus Morale* Ballerini edidit, animadvertit (in nota ad n. 76) hanc opinionem, quamvis olim a theologis magni nominis propugnatam, hodie merito communiter rejici.

319. (**B**) *Mera affirmatio pænitentis non semper sufficit ut judicetur attritus, sed, ut prudens judicium efformetur, necesse est ad plures circumstantias attendere.* (**a**) Ratio prioris est quia pænitens potest vel decipi vel confessarium decipere; quod contingere potest præsertim quando ad sacrum tribunal accedit non proprio motu, sed quia ad hoc urgetur superiorum, vel parentum, vel amicorum persuasione, aut ex habitu, vel ex regula; vel quando imaginatione et sensibilitate movetur potiusquam rationabili motivo.

(**b**) Ratio posterioris est quia vera dispositio pænitentis e multis circumstantiis dignosci potest : ex indole pænitentis, e motivis quibus ad confitendum impellitur, e cura quam in præparatione adhibuit vel e mutatione vitæ aut fuga occasionum peccandi, vel usu remediorum antea præscriptorum. Itaque in dubiis casibus confessarius ad hæc omnia attendat, ut fusius infra declarabitur, ubi de officiis confessarii, nempe de absolutione deneganda aut differenda.

320. (**C**) *Contritio, ut sit pars sacramenti, aliquot sensibilibus signis manifestari debet;* quod fit regulariter per recitationem alicujus formulæ. Nulla specialis formula requiritur, sed valde expedit eam recitare quæ in catechismo invenitur; cavendum est tamen ne pueri et rudes totam suam contritionem in externa ejus recitatione reponant.

321. 3° **Controversia.** Hic quæri potest utrum *formalis* actus contritionis requiratur ad sacramentum pænitentiæ rite suscipiendum, an sufficiat *virtualis* contritio, in amore Dei inclusa. Hæc quidem, si sit perfecta, sufficit ad remissionem peccati extra sacramentum; sed controvertitur utrum sufficiat ad susceptionem sacramenti. Negant communius theologi cum *Suarez* [1]; nam contritio est pars essentialis ac materia proxima sacramenti; atqui materia proxima sacramenti debet esse formalis actus ab ipso Christo institutus, nec sufficit alius virtualiter tantum contritionem complectens. — Nonnulli tamen, ut *Lugo* et *Ballerini* [2], affirmant; nam qui amoris actum eliciunt certe obicem non ponunt Sacramento; ergo ejus effectum recipiunt. — Hæc autem controversia sat inutilis esse videtur; nam qui amat Deum super omnia, ac peccata sua confitetur, eo ipso peccata sua detestatur formaliter, quamvis hanc detestationem verbis explicitis non exprimat.

---

[1] **Suarez**, disp. XX, sect. 6, n. 2.
[2] **Lugo**, disp. V. n. 92 sq.; **Ball. P.**, n. 80 sq.

§ II. De Contritione supernaturali.

322. 1° *Principium :* **Contritio supernaturalis esse debet ratione principii et ratione motivi.** Certum est.

(**A**) *Rat. motivi*, seu propter motivum quod ad Deum referatur, juxta omnes, et insuper fidei lumine apprehensum, ut communiter tenetur contra paucos, ut *Ballerini*[1]. Nam (**a**) proportio esse debet inter medium et finem obtinendum; atqui finis obtinendus, scilicet remissio peccati per infusionem gratiæ sanctificantis, est omnino supernaturalis; ergo actus contritionis debet esse supernaturalis; porro supernaturalis ex integro non esset, nisi sub influxu motivi *fide cogniti* eliceretur; nam ex una parte, actus valorem suum e motivo principaliter sumit, et ex altera, motivum non est supernaturale nisi revelatione cognoscatur. (**b**) Præterea *Innocentius XI*, 2 mart. 1679, hanc (57) propositionem damnavit[2] : "Probabile est sufficere attritionem *naturalem*, modo honestam"; ergo probabile non est talem sufficere attritionem.

(**B**) *Rat. principii*, id est, elicita sub influxu gratiæ mentem illuminantis et voluntatem adjuvantis. Nam contritio, utpote dispositio proxima ad justificationem assequendam vel augendam, est opus supernaturale; atqui, ex dictis in *Tr. de Gratia*, nullum opus supernaturale esse potest sine gratia supernaturali. — Hæc autem gratia nemini oranti denegatur; unde a Deo fiducialiter postulanda est.

323. 2° **Corollaria.** (**A**) *Ad contritionem vere supernaturalem sufficiunt omnia motiva quæ fide cognoscuntur, videlicet non solum amor Dei perfectus et imperfectus, sed etiam turpitudo peccati, timor gehennæ et pœnarum.* — Hæc enim vere supernaturalia sunt, ut ex eorum expositione patebit.

(**a**) *Turpitudo peccati* est illa moralis fœditas quæ oritur ex oppositione ad ordinem supernaturalem, et conside-

---

[1] **Ball. P.**, n. 48.
[2] **D. B.**, 1207. — Cfr. **Viva**, *Damnatæ Theses*, in prop. 57.

rari potest ex parte Dei, ex parte Christi, ex parte animæ peccantis [1].

Ex parte *Dei*, peccatum mortale, de quo præsertim agitur, est *rebellio* contra Deum, qui est supremus Dominus; *injustitia*, quia adversatur juri stricto quod Deus habet ut sit finis noster ultimus; *irreligio*, quia opponitur juri quod habet ut honoretur : " per prævaricationem legis Deum inhonoras " [2]; *ingratitudo*, quia est supremus benefactor (creator, conservator, redemptor, sanctificator), ejusque beneficiis utimur ad eum offendendum, et quidem eo ipso tempore quo nos beneficiis cumulat; *contumelia*, quum peccatum committamus in conspectu Dei : " tibi soli peccavi et malum *coram te* feci " [3]; *contemptus Dei*, cum vilissima creatura Deo præferatur, juxta illud [4] : " me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas "; *impœnitentia*, si per longum tempus quis peccato adhæreat.

Ex parte *Christi*, peccatum mortale est *deicidium*, cum mortem Domini causaverit, et, in quantum fieri potest, renovet : " rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei " [5]; *sacrilegium*, cum sit violatio templi divini, juxta illud [6] : " templum Dei sanctum est, quod estis vos ".

Ex parte *animæ*, peccatum mortale est *spirituale suicidium*, cum mortem inferat animæ; *deformitas et deturpatio*, cum animam privet supernaturali ejus pulchritudine; *submissio diabolicæ tyrannidi*, cum peccator servum diaboli sese constituat : " a quo enim quis superatur, hujus et servus est " [7].

324. (b) *Timor* pœnarum æternarum, et *spes* æternam beatitudinem consequendi certe sunt, juxta omnes, motiva supernaturalia.

Sed *controvertitur* num metus pœnarum hujus vitæ sit etiam supernaturalis ac sufficiens ad contritionem. Jamvero certum est pœnas temporales *in se* spectatas, quatenus peccatorem naturalibus malis afficiunt, non esse motivum supernaturale; ita amissio famæ, sanitatis aut bonorum mere temporalium, aut timor carceris vel mulctæ aliaque motiva hujusmodi *per se* non sufficiunt ad contritionem : non enim causant peccati detestationem, quatenus est offensa Dei, nec peccatorem ad Deum convertunt, ut videtur exemplo *Antiochi*, qui frustra dolebat de peccatis propter pessimum morbum quo afficiebatur [8]. — Sed, si pœnæ temporales spectentur

---

[1] Quæ motiva fusius exponuntur in *tr. de Peccatis;* cfr. **Ad. Tanquerey**, *Précis de Théol. ascétique*, n. 710-735.

[2] *Rom.*, II, 23. — [3] *Ps.* L, 6. — [4] *Jerem.*, II, 13.

[5] *Hebr.*, VI, 6. — [6] *I Cor.*, III, 17. — [7] *II Pet.*, II, 19.

[8] *II Machab.*, IX, 11-29.

in lumine fidei, ut castigatio a Deo vindice pro peccatis intenta, ac veluti inchoatio æternorum suppliciorum, jam motivum supernaturale præbent, et, juxta communem ac moraliter certam sententiam, ad attritionem sufficiunt. Ita, v. g., *Ninivitæ* pænitentiam egerunt propter metum excidii urbis [1], et, juxta *Tridentinum* [2], misericordiam a Domino impetrarunt; ita pariter Deus sæpe temporales castigationes Judæis minabatur, ut eos ad se reduceret.

Quidquid sit, certum est considerationem temporalium damnorum utilissimam esse ad ducendos obduratos peccatores ad altiora et meliora motiva : si enim his transeuntibus malis terreantur, cur non timerent æterna, si, suggerente confessario, de eis cogitent?

325. (B) *Non requiritur explicitus actus fidei ac spei, distinctus ab ipso contritionis actu.* Hunc requiri affirmaverant pauci theologi, eo quod *Tridentinum*, de dispositionibus ad justificationem disserens [3], hos actus fidei ac spei enumerat. Id autem communiter rejicitur a theologis, quia Concilium, de contritione disserens, eos non requirit; aliunde, juxta *S. Alphonsum* (n. 439), qui accedit ad confessionem vere pænitens, necessario elicit explicite (si non reflexe, saltem exercite) actus fidei et spei; cum enim accedit ad recipiendam remissionem peccatorum, procul dubio explicite etiam credit virtute sacramenti illa remittenda, et explicite sperat Deum sibi remissurum peccata propter merita Christi. Ergo non requiritur actus fidei vel spei ab ipso contritionis actu distinctus. — *Expedit* tamen ut hujusmodi actus recitentur tanquam præparatio ad contritionem.

§ III. De contritione appretiative summa.

326. 1° *Principium :* **Contritio debet esse appretiative, non autem intensive summa.** Certum est.

Appretiative summa ea est qua pænitens peccatum *practice æstimat* maximum omnium malorum, et paratus est omnia sustinere potiusquam Deum offendere; *intensive* summa ea est quæ vehementia sua superat omnem alium dolorem.

---

[1] *Joan.*, III, 4. — [2] Sess. XIV. cap. 4, D. B., 898.
[3] Sess. VI, cap. 6, D. B., 798.

(**A**) Non requiritur actus contritionis *intensive* summus, sed sufficit actus etiam remissus, dummodo excludat omnem affectum ad peccatum mortale. Nam intensitas actus non variat ejus speciem; et, ut recte ait *S. Thomas* [1], "quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat (i. e. peccatum super omnia detestemur), omnem culpam delet".

(**B**) Requiritur autem contritio *appretiative summa.*

(**a**) Contritio eam dispositionem involvere debet qua, mediante saltem absolutione, peccator Deo placeat; atqui nisi quis diligat Deum plus quam patrem, i. e. nisi consentiat privari potius omni bono creato quam Dei amicitia, non potest Deo placere, juxta illud Christi [2]: "Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus".

(**b**) Ex *Tridentino* [3] contritio excludere debet omnem affectum ad peccatum et omnem peccandi voluntatem; atqui id præstare nequit, nisi sit summa appretiative; nam nisi quis peccatum æstimet maximum omnium malorum, quandoque eliget peccatum potius quam malum quod ut maximum apprehenditur; ergo...

(**c**) Recta ratio postulat ut appretiative maximo odio prosequamur id quod est reapse maximum malum; atqui peccatum, utpote offensa Dei objective saltem infinita, ac privans hominem maximis bonis, est omnium malorum maximum; ergo summe detestandum.

327. 2° **Corollaria**: (**A**) *Ad contritionem appretiative summam, non requiritur, neque expedit explicita comparatio peccati cum aliis malis in particulari.* (**a**) *Non requiritur;* sicut enim fide firmiter credimus revelata quin divinam auctoritatem comparemus cum ceteris auctoritatibus, ac Deum diligimus super omnia quin eum cum creaturis conferamus, ita pariter peccatum super omnia mala detestari possumus quin illud cum ceteris malis comparemus.

(**b**) *Non expedit;* nam, ut ait *S. Thomas* [4], sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur; imprudens igitur foret proponere quædam mala in specie, v. g., crudelissimum mortis genus, gravissimam injuriam vel totius fortunæ amissionem, ne

[1] *Supplem.*, q. 5, a. 3. — [2] *Matth.*, X, 37.
[3] Sess. XIV., cap. 4, **D. B.**, 897. — [4] *Quodlibet.* I, a. 9.

forte hæc particularia mala plus moveant pænitentem quam spiritualia damna. Hæc enim omnia mala sunt *hypothetica*, non imminentia, neque etiam probabilia; si quandoque occurrant, gratia Dei dabitur ad hæc patienter subeunda; interea cuique diei sufficit malitia sua. Satis est ut pænitentes penes se statuant facere, occasione data, ac gratia Dei juvante, ea omnia quæ conscientia tunc temporis dictabit; multa siquidem impossibilia apparent quæ, dum occurrunt, gratia Dei faciliora evadunt [1].

328. (B) *Ad contritionem appretiative summam non requiritur dolor sensibilis*, seu dolor qui in appetitum sensitivum redundet, et in teneros cordis affectus, suspiria ac lacrymas erumpat; nec proinde dolor magis sensibilis quam ille qui sæpe sentitur propter temporalia damna, v. g., cognatorum et amicorum mortem; contritio enim in sensibilitate non residet, sed in voluntate, præeunte judicio intellectus; aliunde sensibilis emotio non est in nostra potestate, et fieri potest ut quis, absque sensibili dolore, vehementius doleat quam alius qui ad emotiones hujusmodi pronus est. Sensibilia doloris signa non sunt quidem despicienda, imo quandoque vehementioris contritionis vere sunt indicia; sed præsertim expendendum est num pænitens peccatum æstimet malum ceteris gravius, ideoque paratus sit cetera damna in genere pati potiusquam Deum graviter offendere.

§ IV. De universalitate contritionis.

329. 1° *Principium :* **Contritio universalis esse debet quoad peccata mortalia, non autem necessario quoad venialia.** Certum est.

(A) Quoad *mortalia*, detestari debemus non solum ea omnia quæ declarata sunt, sed etiam ea quæ propter oblivionem vel legitimam rationem omissa fuerunt. Etenim (a) detestari debemus peccata, quatenus sunt *offensa Dei* ejusque amicitia nos privant; atqui hæc ratio ad *omnia mortalia*

[1] Imprudenter ergo ageret confessarius qui fragilem pænitentem, asserentem se esse bene dispositum, sic alloqueretur : " Esne tu revera paratus ad abstinendum ab omnibus et singulis his peccatis, non solum aliquot diebus, sed etiam per totam vitam? Si talis vel talis occurrat tentatio, quid facies? Considera quantam violentiam tibimetipsi inferre debeas, quantam vigilantiam, et quidem continuo, exercere; cogita non sufficere media ordinaria, sed desiderari extraordinaria, jejunia, mortificationes, etc. Esne paratus ad hæc omnia? Hæc enim aut similia verba non ad excitandam, sed potius ad destruendam contritionem idonea sunt. Sed potius hortandus est ut media viribus suis proportionata adhibeat, ac confidenter ad Deum recurrat in gravioribus tentationibus. — Ita fere **Berardi**, *De Recidivis*, ed. 5ª, n. 49.

sese extendit, etiam ea quæ propter legitimam rationem declarari non potuerunt; nam singula mortalia Deum graviter offendunt, et quidem ita ut divina amicitia nos privent, ut constat ex superius dictis (n. 323); ergo omnia et singula detestari debemus.

(**b**) Præterea contritio ad remissionem peccati ordinatur; atqui, in præsenti rerum ordine, unum peccatum mortale non potest sine aliis condonari, cum non remittatur nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ non potest animam introire, in qua maneat unum mortale peccatum; revera nemo amicus et inimicus Dei *simul* esse potest : jamvero qui gratia sanctificante ornatur, eo ipso est amicus Dei, dum qui unum mortale retinet ejus est inimicus; ergo non potest unum mortale sine aliis condonari; ergo contritio ad omnia mortalia extendi debet, cum nullum mortale absque contritione remittatur.

(**c**) Hinc sæpe *Scriptura* peccatores urget ad *omnia* peccata retractanda, ut veniam obtinere valeant [1] : "Convertimini, et agite pænitentiam ab *omnibus* iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis *omnes* prævaricationes vestras... et quare moriemini, domus Israel?"

330. (**B**) Quoad *venialia, non* requiritur ut contritio *ad omnia* extendatur; venialia enim Dei amicitiam non destruunt, nec nos separant ab ultimo fine, ita ut unum possit remitti sine alio. Aliunde genuinus dolor concipi potest de uno veniali quin concipiatur de altero, saltem quando hæc peccata sunt diversi generis; v. g., dolere possum de mendacio, propter specialem malitiam ei insitam, quin doleam de levi actu superbiæ vel intemperantiæ.

331. 2° **Corollaria :** (**A**) *Non requiritur ut pænitens singula mortalia percurrat et formaliter ac distincte de singulis doleat*, sed sufficit ut virtualiter et implicite ea detestetur motivo omnibus *communi*. Sunt enim motiva contritionis *ex se* universalia, ea videlicet propter quæ peccatum detestamur quatenus opponitur consecutioni ultimi finis, vel quatenus Deum offendit infinite bonum et infinite perfec-

[1] *Ezech.*, XVIII, 30-31.

tum etc.; porro hæc motiva, quando vere concipiuntur, ad omnia et singula peccata sese extendunt, idque sufficienter, licet virtualiter et implicite; ergo necesse non est ut singula mente percurrantur, ac de singulis formalis actus contritionis eliciatur. Quod aliunde sæpe valde difficile est, et in quibusdam casibus, v. g., in materia castitatis, periculosum. Quoties autem id fieri potest absque periculo, suadendum est, utpote utile ad vividiorem contritionem excitandam.

Hæc autem ratio evidenter non valet, si quis peccatum aliquod mortale oderit propter *specialem* ejus turpitudinem : tale enim motivum non sese extendit ad alia peccata diversæ speciei; v. g., si quis furtum oderit, propter specialem ejus turpitudinem, exinde non sequitur eum detestari actum intemperantiæ.

Hinc omnino expedit ut pænitentes, majoris securitatis causa, dolorem concipiant ex motivo *universali*, ut sic retractari possint etiam illa peccata de quibus actu non cogitant. Quod aliunde omnino facile est ei qui jam sincere de uno mortali dolet : statim ac peccato non amplius adhæret, haud ægre illa omnia respuit quæ æternæ beatitudinis amissionem causare valent.

332. (B) *Qui scienter ac volenter sola venialia accusat, nullam de eis contritionem habens, graviter peccat;* nam eo ipso sacramentum nullum reddit, propter defectum contritionis, et ita gravem irreverentiam committit.

Quod tamen vix unquam eveniet in praxi, cum talis homo, eo ipso quod mortalia vitet, sit habitualiter bene dispositus; unde rarissime continget ut ad sacrum tribunal accedat, scienter ac volenter contritione carens. — Cæterum, ad sacramenti validitatem, sufficit ut in casu quoddam peccatum præteritæ vitæ accuset, de quo sincere dolet.

333. (C) *Qui sciens ac volens indiscriminatim accusat venialia de quibus dolet et alia de quibus certe novit se non dolere, probabilius non peccat.*

Nonnulli quidem contendunt eum venialiter peccare, quia aliquo modo decipit confessarium, implicite dicens se de his peccatis dolere eo ipso quod ea confitetur, dum revera nullam contritionem de eisdem concepit. — Sed hæc ratio non valet; nam confessarius ex communiter contingentibus intelligere valet pænitentem hujusmodi quædam venialia accusare, non tanquam sacramenti materiam, sed quo melius a directore cognoscatur, vel humilitatis causa,

vel propter alias rationes. Melius quidem esset in hoc casu pænitentem aperte declarare se non esse contritum de tali vel tali peccato quod accusat; sed ad hoc stricte non tenetur.

In praxi contritionem concipere conetur ex motivo universali, quod *ex se* omnia venialia complectatur, v. g., ad vitandas Purgatorii pœnas, vel quia peccatum Deo displicet; tunc certo nullum erit peccatum, et insuper uberior fructus e sacramento percipietur.

3° **Scholion** : *De sacramento Pænitentiæ valido et informi.*

334. Post dicta de contritionis dotibus, breviter expendi potest num sacramentum Pænitentiæ possit esse *validum* ut sacramentum, et simul *informe*, i. e., gratiam non producens, propter aliquem obicem; proindeque utrum, remoto obice, gratia sacramenti reviviscat. Qua de re controvertitur inter theologos.

(**A**) Quidam [1] dicunt unicum esse casum in quo id occurrere possit, et ita suam sententiam exponunt : si quis duo mortalia commiserit, v. g., unum furti, alterum blasphemiæ, et postea blasphemiæ immemor, solum furtum accuset et de eo doleat ex speciali hujus peccati turpitudine, sacramentum vere conficitur, cum ibi inveniantur omnia elementa ad ejus validitatem necessaria (ex parte pænitentis confessio formaliter integra, contritio ac votum satisfaciendi, et ex parte sacerdotis absolutio rite pronuntiata); nec tamen suum producit effectum, quia peccatum blasphemiæ non retractatur, nec proinde remittitur. Hinc, si postea removeatur obex, per blasphemiæ detestationem, nil impedit quin gratia sacramenti reviviscat.

Nonnulli tamen theologi [2] tenent in hoc casu sacramentum non informe esse, sed statim suum effectum producere, quia dum peccator dolet de furto, dolet ut divinam recuperet amicitiam ac æternam damnationem vitet, ideoque ejus dolor etiam ad peccatum ex oblivione omissum implicite se extendit. Et hæc opinio vere probabilis est, quia rarissime accidit ut pænitens ita consideret motivum speciale attritionis ut ad aliud magis generale non ascendat.

335. (**B**) Alii vero [3] admittunt sacramentum Pænitentiæ posse esse validum et informe, quoties pænitens habet attritionem veram quidem et sinceram, sed non appretiative summam. Juxta ipsos

---

[1] **Suarez**, disp. XX, sect. 5; **Lugo**, disp. XIV, sect. 6, n. 65 sq.; **Salmantic.**, cap. 5, n. 1-21; **S. Alphons.**, n. 444.

[2] **D'Annibale**, p. III, not. 19 ad n. 312; **Genicot**, n. 275; **Billot**, th. 16, § 1.

[3] **Cajetanus**, *Opusc. de confessione*, q. 5; **Billot**, th. 16, § I, cum aliis auctoribus ibidem allegatis. Nonnulli hoc sensu intelligunt quæ **S. Thomas** scribit *Supplem.*, q. 9, a. 1.

siquidem, dantur peccatores qui ita sunt attriti ut doleant de omnibus præteritis, sed non gradu appretiative summo, quin tamen sint conscii talis defectus; jamvero ille actus attritionis, utpote sincerus ac bona fide elicitus, sufficit quidem ut *pars integralis* sacramenti, quamvis non sufficiat ut *dispositio* ad consequendam absolutionem a peccato : ergo sacramentum est *validum* quidem, quum in eo omnia essentialia inveniantur, sed *informe*, quia, propter defectum plenæ dispositionis, non producitur gratia; remoto autem obice per attritionem appretiative summam, jam gratia per reviviscentiam sacramenti producetur. — Illa opinio probabilitate non caret, tum propter auctoritatem theologorum qui eam propugnant, tum quia innititur generali principio sacramenta gratiam conferre, sive statim, sive recedente obice, iis omnibus qui *voluntarium* non ponunt obicem; attamen probabilitatis limites non transgreditur, quia incertum manet utrum hæc attritio, sincera sed non appretiative summa, ~~sufficiat ut pars integralis signi sacramentalis.~~

336. Aliunde hæc controversia *ad praxim* non multum confert, nisi dicas cum *Billot* ita melius intelligi consuetudinem, quam temere dicit communiter receptam, pænitentes absolvendi, quoties sincere confitentur peccata sua cum proposito non peccandi de cetero, quin certo moraliter constet eorum attritionem esse appretiative summam; posito enim quod absolutio in hoc casu sit valida, gratia sacramentalis, si non accipitur hic et nunc, postea accipietur statim ac pænitentes melius fuerint dispositi.

§ V. De contritione in ordine ad sacramentum [1].

337 1° *Principium :* **Contritio elici debet in ordine ad sacramentum, seu quædam unio moralis requiritur inter actum contritionis et absolutionem.** Certum est.

Etenim contritio est pars essentialis aut saltem pars integralis sacramenti, proindeque cum sacramento ita uniri debet ut cum eo totum aliquod efformet; atqui sacramentum est totum *morale*, non physicum; ergo moralis unio inter dolorem et absolutionem sufficit.

338. 2° **Corollaria.** Hæc autem unio respicit tum *intentionem*, tum *tempus*.

[1] **Suarez**, disp. XX, sect. 4, n. 27-30; **Lugo**, disp. XIV, n. 36-50; **Salmantic.**, cap. 5, n. 22-27; **S. Alphons.**, n. 445-448; **Billuart**, diss. IV, art. 8; **Lehmk.**, 379-382; **Genicot**, n. 278; **Morino**, n. 431-434.

(**A**) Relate ad *intentionem, dolor de peccatis conceptus aliquo modo referri debet ad absolutionem;* secus absolutio invalida aut dubia evaderet, propter defectum moralis unionis inter varias partes sacramenti.

Non requiritur autem ut contritio *explicite* et *reflexe* oriatur ex intentione sacramentum recipiendi *prius* concepta, quidquid in contrarium pauci dixerint cum *Lacroix*[1]; sed *sufficit* ut dolor, ante propositum confitendi conceptus, *virtualiter* in confessionem influat, et moraliter cum absolutione connectatur. Ita, v. g., qui, occasione concionis vel piæ lectionis, dolorem concipit, quin de confessione cogitet, posteaque, vi doloris ita concepti ac perseverantis, confessionem instituit, aut saltem doloris prius concepti aliquod signum dat ante absolutionem, sufficienter suam contritionem ordinat ad sacramentum. *Melius* est tamen ut pænitentes explicite contritionis actum eliciant aut renovent in ordine ad confessionem, antequam sacrum tribunal ingrediantur, ut vividior sit eorum dolor, uberioresque fructus percipiantur.

339. (**B**) Relate ad *tempus :* (**a**) *contritio præcedere debet absolutionem, aut saltem elici eo temporis puncto quo absolutio datur,* quia certo necessaria est dispositio ad absolutionem, et etiam valde probabiliter ipsa materia proxima sacramenti; si igitur contritio non existit saltem eo instanti quo dicitur *te absolvo,* sacramentum suo effectu carebit.

340. (**b**) *Non debet autem necessario præcedere confessionem,* quamvis id sit multo melius ac prudentius. Nam *Rituale Romanum* monet confessarium ut, *audita confessione,* pænitentem ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conetur[2]; ergo supponit pænitentem aliquando non esse contritum, dum peccata sua confitetur, et tamen absolvi posse, dummodo ante absolutionem sincere sit contritus.

Contendunt quidam id fieri non posse, quia confessio tunc non est dolorosa, et insuper dolor post confessionem conceptus non manifestatur signo sensibili. Sed hæc difficultas, re diligenter inspecta, penitus evanescit. Confessio quidem debet esse dolorosa, sed ad hoc sufficit ut non sit mere historica peccatorum relatio, sed fiat in ordine ad sacramentum, cum spe contritionem concipiendi ante absolutionem. Contritio autem, etiamsi concipiatur post confessionem, fit sensibilis eo quod pænitens internum dolorem mani-

[1] **Lacroix,** n. 687.
[2] Ordo ministrandi sacram. Pænitentiæ.

festet sive petendo absolutionem, sive recitando actum contritionis, sive aliis signis externis. — Unde sententia quam tuemur est moraliter certa.

341. (c) *Actus contritionis semel elicitus in ordine ad absolutionem perseverare potest non solum per plures horas, sed etiam per plures dies*, dummodo non retractetur per novum peccatum mortale, et perseveret in aliquo effectu, v. g., voluntate confitendi, fuga occasionum, etc. Ratio est quia tale intervallum non destruit unionem moralem, quæ existere debet inter varias partes sacramenti; illa enim mora permittitur quæ inter varios actus judiciales existere potest, cum hoc sacramentum per modum judicii administretur.

Quod quidem inservire potest ad sedandos scrupulos eorum qui actum contritionis ante confessionem non renovarunt, et, eo instanti quo absolutio conferebatur, de contritione non cogitarunt. Sed *in praxi* expedit utique ut actus doloris in præparatione ad confessionem eliciatur, tum ut major fructus exinde percipiatur, tum etiam securitatis gratia, ne forsan pænitens, qui propter perturbationem mentis, dolorem non renovat absolutionis tempore, anxietatibus vexetur.

342. (d) Non requiritur ut contritio *perduret* post absolutionem receptam; nam vera contritio, adjuvante gratia, uno instanti concipi potest, et dummodo concipiatur perduretque tempore quo confertur absolutio, pænitens justificatur; si postea tentatione vincatur, peccat quidem, sed peccata remissa non reviviscunt. Quæ tamen si cito evanescit, merito suspecta ut plurimum haberi potest.

343. 3° **Quæstiones disputatæ :** (a) Quando pænitens, statim vel paulo post absolutionem, peccatum grave accusat ex oblivione omissum, controvertitur utrum necne *novus* doloris actus requiratur ad novam absolutionem recipiendam. 1) *Probabilior* sententia negat, dummodo tamen contritio elicita fuerit ex motivo universali quod complectatur etiam peccatum oblivioni datum; nam in hoc casu judicium nondum objective completum erat, et aliunde contritio antea concepta adhuc perseverat. 2) Quidam tamen *probabiliter* affirmant cum *S. Alphonso* (n. 448), quia judicium jam completum est, proindeque nova requiritur materia proxima ad novam sententiam proferendam. — Unde, *in praxi*, inducendi sunt pænitentes ad novum contritionis actum eliciendum; si vero id factum non fuerit, non sunt inquietandi pænitentes, cum peccatum jam indirecte prima absolutione fuerit remissum.

(b) Quando autem, *post longum intervallum*, de novo accusantur peccata jam absoluta, dubium est num dolor in priori confessione elicitus ac nondum retractatus, sufficienter perseveret ad absolutionem, quin actu renovetur. Probabilius requiritur novus dolor, quia, post longum intervallum, judicium sacramentale completum est; ergo, ut novum inchoetur ac compleatur, requiritur non solum nova accusatio, sed novus contritionis actus ac nova absolutio. — Unde *in praxi* monendi sunt pænitentes ut suum dolorem renovent; quod libenter facient. Si vero quidam devoti timeant ne id omiserint in præterita vita, non sunt facile inquietandi, cum standum sit pro validitate actus, donec contrarium probetur.

moment of
solution have
contrition + amendment.
present disposition
ne + nunc.

Art. IV. De dotibus propositi [1]. (amendment)
(Present disposition)

344. Propositum non peccandi de cetero requiritur ad validitatem sacramenti Pænitentiæ, ut evidenter colligitur ex *Tridentino* declarante contritionem esse animi dolorem et detestationem, *cum proposito non peccandi de cetero*. Revera peccator non potest sincere detestari peccatum commissum simulque idem peccatum velle in futurum committere : nam utrumque æqualiter est offensa Dei, utrumque ultimi finis obtentioni opponitur.

§ I. De proposito quoad mortalia.

Hoc autem propositum quoad mortalia debet esse *universale*, *firmum* et *efficax*.

345. 1° *Universale*, id est ad omnia mortalia sese extendens, non solum ad ea quæ commissa sunt, sed ad quælibet alia, ut colligitur e Tridentino dicente "cum proposito non peccandi de cetero". — Sufficit tamen propositum omnia mortalia *in genere* vitandi, quin singula explicite percurrantur. Hinc sæpe confessarius imprudenter ageret, si postularet a pænitente ut promittat vitare hoc vel illud peccatum in particulari, in tali vel tali difficili circumstantia, nisi id specialiter exigat bonum *commune*, v. g., in casu scandali reparandi, vel bonum *tertii*, v. g., quando restitutio neces-

overs
mortal
in the
ture.

venial sins
except of
grave matter
(or occasions
+ circumst)

[1] **Suarez**, disp. XX, sect. 4, n. 31-33; **Lugo**, disp. XIII, n. 51-64; **Salmantic.**, cap. 5, n. 52-69; **S. Alphons.**, n. 450-451; **Scavini**, n. 292-293; **Lehmk.**, n. 394-400; **Müller**, § 117; **Haine**, q. 33-34; **Genicot**, n. 280-282; **Noldin**, n. 261-264.

N. B. Watch out for expressions as: "I'll try" no good. Must affirm that he will not.

saria est, vel *gravis* alia ratio hujusmodi. Extra hos aut similes casus, imprudenter ageret confessarius exigendo promissionem specialem, quia pænitens alioquin sufficienter dispositus, sed adhuc debilis, hac speciali difficultate terreri posset et indispositus fieri, ut diximus supra (n. 327).

Venial sins need some amendment of contrition for the sacrament.

Determination necessary to do it again - for in resol.

346. 2° *Firmum*, id est ita in voluntate radicatum ut pænitens vere ac deliberate paratus sit nullius mali timore nulliusve boni cupidine peccatum grave committere.

(**A**) Huic firmitati non obstat *existimatio* vel *timor* ne quis de facto in peccatum relabatur : hæc enim dispositio est potius actus *intellectus*, quo relapsus prævidetur, ob humanæ voluntatis mutabilitatem, ideoque simul existere potest cum actu *voluntatis* quo sincere quis relabi non vult. Pænitentes igitur qui ita disponuntur, absolvi possunt, dummodo *pro præsenti* sincere statuant pro viribus suis vitare peccatum, ac in Dei gratia confidere pro futuro.

(**B**) Si pænitens autem *certo credat* se relapsurum, juxta *S. Alphonsum* (n. 451), firmo caret proposito; juxta *Lugonem*[1], firmum propositum habere potest. Cum *Lehmkuhl* (n. 398) aliisque, putamus sic esse distinguendum : (**a**) si hæc persuasio oriatur solummodo ex *experta inconstantia* et fragilitate, et pænitens simul in Deo confidat ac velit conari peccatum vitare, non ideo indispositus censendus est; nam hæc persuasio, quæ sæpe non differt a magno timore relabendi, est actus intellectus, futurum cum quadam morali certitudine prævidentis, et existere potest cum actuali voluntate peccatum fugiendi.

Revera confessarii sæpe absolvunt pænitentes quos relapsuros esse certo moraliter prævident, et hæc prævisio, juxta omnes, cum sincero pænitentium proposito conciliari potest; cur idem dici nequit de ipsa prævisione pænitentis? Unde peccator ad fiduciam et orationem hortandus est; et si promittat conatus facere, absolvi potest.

(**b**) Si vero illa persuasio ex *desperatione* oriatur, caret quidem firmo proposito, quia spem non habet.

[1] **Lugo**, disp. XIV, n. 137; **Baller. P.**, n. 161.

Nec tamen statim dimittendus est, sed hortandus ut divinam misericordiam recogitet, necnon divinæ gratiæ efficaciam, cujus ope omnes difficultates superare potest. "Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis"... "Omnia possum in eo qui me confortat"[1]. Si revera fiduciam in Deum concipiat, et, licet prævideat se lapsurum, sincere doleat de peccatis et firmiter proponat ab eis abstinere, jam potest absolvi.

347. 3° *Efficax*, seu vim habens faciendi quod proponitur; jamvero tale judicari potest, quando pænitens sincere et serio vult adhibere media ad vitandum peccatum, præsertim proximas occasiones fugere. Sufficit autem ut propositum sit efficax *affective*, ita ut *animo* sit paratus ad media adhibenda; nec requiritur ut sit efficax *effective*, id est ut de facto peccata vitentur. Relapsus enim non semper ac per se est signum infirmi propositi, sed sæpius oritur e mutatione voluntatis; natura enim ita sumus comparati ut facile, mutatis circumstantiis, consilium mutemus : ideoque firmum propositum hominem non facit impeccabilem; ita Petrus, qui promiserat potius mori quam Christum negare, paucis postea horis, ancillæ metu, eum de facto negavit.

348. 4° *Controvertitur* autem utrum propositum debeat esse *formale* et *explicitum*, an e contra sufficiat *virtuale*, quod in actu doloris continetur.

(**A**) Pauci *affirmant* requiri formale propositum, præsertim quia *Tridentinum* hoc propositum distinguit a detestatione peccati : jamvero nulla fuisset necessitas hanc distinctionem faciendi, nisi voluisset Concilium innuere tale propositum explicitum esse debere. Quod tamen argumentum non valet; nam idem Concilium distinguit inter dolorem ac detestationem; jamvero, juxta omnes, dolor implicite in detestatione contentus sufficit ad contritionem, quin explicite eliciatur[2].

(**B**) Alii *communius* tenent sufficere propositum in contritione *virtualiter* inclusum, dummodo contritio ex motivo universali concipiatur[3]; si enim motivum non esset universale, sed speciale pec-

[1] *I Cor.*, X, 13; *Philip.*, IV, 13.

[2] Ita **Canus**, *Relect. de Pænit.*, p. 1, q. 2, concl. 1, n. 10; **Sotus**, in 4, dist. 15, q. 1, a. 2; **Bellarminus**, *De Pænit.*, lib. II, cap. 6.

[3] **Suarez**, disp. VII, sect. 3, n. 7; **Cardenas**, p. IV, diss. 2, n. 80, multique alii quos allegat **Ballerini**, t. V, n. 97 sq. — **S. Alphonsus** (n. 450) concedit eam esse probabiliorem, sed in praxi non permittit eam sequi, quia prima opinio est probabilis : jamvero, ubi agitur de valido, opinionem etiam probabiliorem sequi non licet. Quæ quidem ratio nimis absolute allegatur quando agitur de sacramentis frequenter recipiendis.

catis a pænitente accusatis, forsan non extenderetur ad *omnia* peccata futura. — Ratio est quia *Tridentinum*, quamvis propositum in definitione contritionis explicite commemoraverit, tamen minime declaravit hoc propositum explicitum esse debere, sed potius docuit attritionem sufficere, si *voluntatem peccandi excludat;* atqui dolor, ex motivo universali conceptus, necessario omnem voluntatem peccandi excludit, cum peccatum tam odibile sit in futuro quam in præsenti aut præterito.

(C) Alii tandem *distinguunt*[1] : (a) si quis, cogitans de futuro, actum propositi explicitum elicere nolit, hoc est signum ejus contritionem non esse sinceram, nec proinde habere etiam virtuale propositum; — (b) si quis autem sincere detestatur peccatum, nec tamen explicitum eliciat propositum, quia de futuro non cogitat, sacramentum erit validum. — Animadvertimus hanc tertiam opinionem a secunda substantialiter non differre, cum concedat explicitum propositum non pertinere ad essentiam sacramenti.

349. Unde *in praxi* hæc statuenda videntur : (a) *Ante factum*, omnino consulendum est propositum *explicitum*, tùm majoris securitatis gratia, tum ut fructus sacramenti sint uberiores; (b) *post factum*, si quis sincerum attritionis actum elicuerit quin cogitaret de explicito proposito, ad iterandas confessiones cogi non debet, quia probabilissime ejus peccata remissa fuerunt; jamvero nemo cogi potest ad iterum accusanda peccata probabilissime dimissa; aliunde hujusmodi peccata, si nondum dimissa, statim remittentur ac pænitens validam absolutionem recipiet, cum sit in bona fide. — Præterea merito cum *Scavini*[2] dici potest : " In praxi de hoc nemo turbari debet; cum vix ac ne vix quidem eveniat ut pænitens vere contritus propositum etiam explicitum omittat, etsi ad hoc non reflectat, quod necesse non est ".

§ II. De proposito venialia vitandi.

350. 1° *Principium :* **Propositum venialia vitandi firmum quidem et efficax esse debet, non autem necessario universale;** nam unum veniale remitti potest sine alio, ac proinde cum habituali aut etiam actuali affectu ad alia venialia.

351. 2° **Conclusiones :** (a) *Requiritur et sufficit propositum vitandi unum e venialibus declaratis. Requiritur* quidem, si non

[1] Holzmann, n. 401. — [2] Scavini, n. 292.

accusantur alia peccata, saltem præteritæ vitæ; secus, absolutio invalida esset propter defectum propositi proindeque contritionis; et qui scienter bono proposito careret, sacrilegium committeret. — *Sufficit* autem, quia statim ac unum veniale odio habetur, remitti potest sine aliis. *Melius* est tamen ut extendatur ad omnia venialia quæ accusata sunt; quod sane difficile non erit, si motivum contritionis proponatur, omnia venialia complectens.

352. (b) Quando eadem venialia sæpe accusantur, *sufficit dolorem ac propositum concipere de eorum frequentia, firmiter statuendo hanc frequentiam minuere.* Cum enim omnia venialia *collective* sumpta vitare non possimus, ut dictum est in *Tr. de Gratia* (n. 63), eorum numerum minuere satis est. — Expedit tamen dolorem et propositum concipere de quibusdam peccatis in specie, præsertim de eis quæ magis sunt deliberata, cum christianæ perfectioni magis obstent. Monendi sunt igitur pii pænitentes, qui venialia tantum accusare solent, ut unum alterumve speciatim detestentur ac emendare conentur, determinando quædam media ad hunc finem attingendum [1].

353. (c) *Absolutio facilius concedenda est iis qui frequenter in eadem venialia relabuntur quam in eadem mortalia* [2]. Nam occasiones venialia committendi multo frequentiores sunt multoque remotu difficiliores; unde relapsus non est valde probabile indicium quod desit verus dolor. Aliunde si deficiat quoad hæc venialia, facilius est contritionem excitare quoad graviora præteritæ vitæ delicta, quæ pii solent accusare.

Conclusio practica totius articuli.

354. Cum contritio sit omnino *necessaria* ad peccatorum remissionem consequendam, et aliunde non pauci pænitentes, etiam inter pios, longius tempus in conscientia scrutanda quam in contritione excitanda consumere soleant, *concionatores* sedulo ac sæpe fideles instruant ut, quando ad confessionem sese præparant, dolorem ac propositum concipere non negligant. Præterea *confessarius* pænitentes interroget num revera sint contriti, saltem quando de eorum dispositionibus dubitat; et si imparatos quosdam inveniat, eis motiva contritionis proponat eorum ingenio accommodata [3].

---

[1] Cfr. **Beaudenom**, *Pratique progressive de la Confession*, 2e éd., Paris, 1900, t. I, p. 62 sq.; t. II, p. 115-144.

[2] De *recidivis* agitur infra, ubi de officio confessarii quoad varia peccatorum genera.

[3] Nonnulla ex his motivis pie proponit **S. Alphonsus**, in aureo opusculo *Praxis Confessarii*, cap. I, § 2, n. 10; his, v. g., aut similibus verbis uti potest

N.B. Least important of the Sac. of Pen.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

Prænotanda de notione et speciebus.

355. Satisfactio (*satis, facere*) si etymon spectetur, est actus quo quis tantum facit quantum satis sit ad iratum placandum. Satisfactio, quatenus est pars sacramenti, definitur : *voluntaria toleratio pœnæ, a confessario impositæ, ad compensandam injuriam Deo illatam, redimendamque pœnam temporalem, etiam post remissum peccatum ordinarie debitam.*

Distinguitur proinde ab illis pœnis, quæ sponte assumuntur vel a Deo immittuntur : hæ siquidem vim habere possunt satisfactoriam *ex opere operantis*, non sunt tamen sacramentales, nec proinde operantur *ex opere operato.*

Duplex distinguitur satisfactio : (a) satisfactio *in voto*, quæ nihil aliud est nisi sincera voluntas acceptandi et implendi pænitentiam a confessario injungendam ; hæc est pars *essentialis* sacramenti, juxta *Thomistas*, vel saltem *necessaria* dispositio, juxta *Scotistas*, ita ut si deesset, sacramentum, juxta utramque scholam, esset invalidum ; (b) satisfactio *in re*, quæ est ipsa actualis adimpletio pænitentiæ injunctæ : hæc non est pars essentialis, aut necessaria dispositio, sed solum pars *integralis* sacramenti, ita ut, si desit, sacramentum non sit invalidum, sed solum incompletum ; hinc peccata, per absolutionem remissa, non reviviscunt, etiamsi voluntarie pænitentia omittatur, sed in hoc casu novum peccatum committitur, ut patebit ex infra dicendis.

Confessions & Cont. is half the cr. you should to penance — repair for the Crime, Penance, merit half the cr.

Who knows what crime was and who knows the disposition were ; what about cont. it may be p. fect.

Know it is part of the sacrament must be genuine — the has a sacr. mental val.

1) Know so. reparation do medicinal

Divisio. — Tres erunt articuli : —

Art. I. Necessitas satisfactionis.
Art. II. Obligationes confessarii.
Art. III. Obligationes pænitentis.

---

confessarius : "Fili mi, quid egisti? Peccasti in Deum summum et infinitum bonum; avertisti faciem tuam ab eo, contempsisti amicitiam et gratiam ejus; Christum, ejus Filium crucifixisti. Eia ergo, quia offendisti Deum bonitatem infinitam, et Filium ejus infinite amabilem, nunc ex toto corde te pæniteat; detestare, supra omnia mala, omnes injurias quibus Deum affecisti. Nonne jam paratus es omnia pati potiusquam hæc in posterum committere?"

Art. I. Necessitas satisfactionis[1].

356. Doctrina catholica de satisfactionis necessitate duo præcipue complectitur : 1° Ecclesiæ jus et officium inesse *imponendi* christiano peccatori *satisfactionem* delictis proportionatam (contra Protestantes); 2° *votum satisfaciendi* sufficere ad remissionem peccatorum concedendam (contra Jansenistas).

Prius sic a *Tridentino* declaratur :

" Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pænitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt : sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pænitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur "[2].

---

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 12 sq.; **Suarez**, disp. XXXVII-VIII; **Bellarminus**, l. IV, c. 1 sq.; **Morinus**, l. III sq.; **Salmantic.**, disp. X-XI; **Drouin**, q. XI; **Billuart**, disp. IX; **Palmieri**, th. 36-40; **E. Hugueny**, *La Pénitence*, II, 468-479. — [2] *Trident.*, sess. XIV, cap. 8, **D. B.**, 904.

Duo sunt igitur præcipua motiva cur satisfactio necessaria sit : ut reparetur offensa Deo irrogata, et ut cautiores vigilantioresque in futurum pænitentes efficiantur.

357. Errores Protestantium et Jansenistarum. (A) *Protestantes*, etsi pænitentialis disciplinæ severitatem in primis Ecclesiæ sæculis negare non valeant, eam tamen ut ecclesiasticam institutionem habent, ejusque divinam institutionem ac necessitatem negant : nam, inquiunt, peccatum a Deo condonari nequit quin simul pœnæ peccato debitæ plena sit remissio; præterea, si satisfactiones nostræ dicuntur necessariæ, eo ipso injuria irrogatur infinitæ satisfactioni Christi, quippe quæ insufficiens appareat. Radix hujus erroris est theoria de justificatione per solam fidem : si enim sola fides plene ad justificationem sufficit, inutilia evadunt opera satisfactoria.

(B) Ex adverso autem *Jansenistæ*, rigorismo faventes, pænitentialem disciplinam priorum ætatum instaurare volebant, et contendebant pænitentes non esse absolvendos, nisi prius peracta laboriosa diuturnaque pænitentia ipsis injuncta.

Contra hunc duplicem errorem duplex erit thesis.

358. *Thesis I^a :* **Pœna peccato debita non semper tota simul remittitur a Deo, sed, sublata per absolutionem sacerdotis culpa pœnaque æterna, plerumque luenda manet pœna temporalis.** *De fide est contra Protestantes ex Trident.*[1]. "Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pænitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, A. S.".

359. 1° *Scriptura* refelluntur Protestantes asserentes peccatum non condonari nisi simul pœna remittatur. Quod quidem Scripturæ contrarium esse tum *factis*, tum *dictis* luculenter demonstratur. (a) Adamum pænituisse et in statum gratiæ restitutum fuisse *Sapientia* nos edocet[2]; atqui tamen pœnas temporales luendas habuit : "Quia audisti vocem uxoris tuæ... in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram"[3]. Moyses et Aaron veniam peccati incredulitatis a Deo obtinuerunt, nec tamen, in pœnam peccati, terram promissam ingressi sunt : "Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : quia non credidistis mihi... non introducetis hos populos in terram quam dabo eis"[4]. David adulterii et homididii

[1] *Trident.*, sess. XIV, can. 12, D. B., 922.
[2] *Sap.*, X, 1-2. — [3] *Gen.*, III, 17-19. — [4] *Num.*, XX, 12.

veniam impetravit, quando dixit : Peccavi Domino ; sed nihilominus pœnam temporalem gravissimam subire debuit : " Dominus quoque transtulit peccatum tuum ; non morieris ; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur "[1]. Quæ quidem pœnæ non solum in emendationem, ut Protestantes volunt, sed etiam in *castigationem* peccati inflictæ sunt, ut ex contextu patet, et ex eo quod non solum adulti sed etiam infantes in pœnam peccati moriuntur.

(b) Nec minus clare Deus *verbis* voluntatem suam manifestavit : " Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, *in jejunio, et in fletu et in planctu* "[2] ; " Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum "[3] ; " Facite ergo fructus dignos pænitentiæ "[4]. Huc etiam pertinent textus alibi citati (*de Verbo Incarn. et Redemptore*) quibus demonstratur nos salvari non posse, nisi crucem nostram tollamus, cum Christo patiamur, et in carne nostra adimpleamus ea quæ desunt passionum Christi ; ex his enim et similibus testimoniis colligitur Dominum non ita pro nobis satisfecisse, ut ab obligatione satisfaciendi liberemur, sed ut cum eo magis efficaciter peccata expiare valeamus.

360. 2° *Traditione.* (**A**) Patres ore unanimi talis pænitentiæ necessitatem docuisse Protestantes ipsi fateri coacti sunt ; ita *Chemnitius*[5] ait : " Nec vero nescius sum veteres aliquando nimis largiter et verbis nimium magnificis disciplinam canonicam commendare, ut quod *Tertullianus* dicit satisfactionibus illis peccata expiari, *Cyprianus* illis dicit peccata redimi, ablui, sanari et judicem placari ; *Ambrosius*, pœnas gehennæ illis compensari ; *Augustinus*, Deum illis de peccatis præteritis propitiari ".

(**B**) Quod sane constat ex disciplina pænitentiali quæ primis sæculis vigebat.

(a) Prioribus sæculis, pænitentia magis diuturna et laboriosa erat ; per plures annos sæpe durabat, et aliquando per totam vitam.

1) In ecclesiis *Asiæ Minoris*, sæculo tertio, tres distinguebantur pænitentium ordines : *audientes*, qui stabant in porta ecclesiæ, seu in porticu ; ibi audiebant lectionem scripturarum et sacras conciones, sed prohibebantur missæ adesse ; — *substrati*, seu *genuflectentes*,

[1] *II Reg.*, XII, 13-14. — [2] *Joel*, II, 12. — [3] *Dan.*, IV, 24.
[4] *Luc.*, III, 8. — [5] *Exam. C. Trident.*, p. 4.

qui missæ assistebant intra ecclesiæ ambitum, a portis usque ad ambonem, sed *prostrati :* eis episcopi et presbyteri manum imponebant ; — *consistentes*, qui sacro aderant stantes cum fidelibus, sed a sacra communione arcebantur [1]. Quarto sæculo, his ordinibus additi sunt *flentes*, qui cilicio et cinere indulti, stabant ad limen ecclesiæ, lacrymis et gemitibus orantes christianos ingredientes ut pro se precarentur.

2) In *Occidente*, erant pariter varii ordines pænitentium, quorum tamen numerus non est cognitus. Jam audivimus *Tertullianum* describentem exomologesim in Africa vigentem (n. 57). Quæ Romæ vigebat a Sozomeno ita exponitur [2] : "Illic enim in propatulo est pænitentium locus, in quo illi stant mœsti et veluti lugentes. Peractisque jam missarum solemnibus, exclusi a communione sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terra abjiciunt. Tum episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humo provolvitur, et universa ecclesiæ multitudo simul confitens, lacrymis perfunditur... Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans, aut jejuniis aut illuvie, aut ciborum abstinentia vel aliis quibus jussus est modis, tempus quantumcumque ipsi ab episcopo est constitutum exspectat ".

361. (**b**) A sexto sæculo, pænitentia mitior et brevior evasit, simul ac frequentior, ut jam exposuimus, n. 144.

362. 3° *Ratio convenientiam satisfactionis* ostendit. (**a**) *Ex parte Dei :* Deus enim qui per peccatum offenditur, non est solum persona privata, sed legislator et totius humanæ societatis rector ; atqui decet quidem Deum, ut personam privatam, offensam sibi irrogatam dimittere ; sed simul *legislatorem* decet ut delicta non remittat absque pœna temporali, tum ut in futurum leges a pænitente melius serventur, tum ut alii a malo deterreantur et sic bonum societatis promoveantur, tum denique ut jura non solum misericordiæ sed etiam justitiæ, quoad fieri potest, salventur.

(**b**) Ex *parte pænitentis*, nam, ut ait *Tridentinum* [3], " procul dubio magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt ; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo

[1] Cfr. **S. Gregor. Thaumat.**, *ep. canonica ; P. G.*, X, 1019-1048.
[2] **Sozom.**, *H. E.*, l. VII, cap. 16 ; *P. G.*, LXVII, 1459-62.
[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 8, **D. B.**, 904.

comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt". Si ex adverso peccata absque ulla satisfactione dimitterentur, ut levia existimarentur, et facilitate ipsa veniæ multi ad peccandum iterum provocarentur.

Nec dicatur per *baptismum* totam pœnam simul cum culpa tolli : non enim par est conditio eorum qui per baptismum regenerantur et eorum qui per pænitentiam Deo reconciliantur; priores ante baptismum per ignorantiam deliquerunt, aut saltem non cum tanta malitia; posteriores, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, gratiam et dona Spiritus S. acceperunt, scienter templum Dei violaverunt et Spiritum S. contristaverunt, nec proinde eadem facilitate veniam accipere merentur, ut arguit *Tridentinum*, l. cit.

363. Corollaria. (**A**) *Omnia solaque opera bona et pœnalia possunt esse satisfactoria.* Etenim ut aliquod opus sit vere satisfactorium, necesse est ut præteritam offensam reparet et a culpis futuris præservet; atqui ita est de bonis operibus pœnalibus, et quidem solis. Etenim : (**a**) compensant offensam Deo irrogatam; siquidem, quamvis Deo proprie nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtrahit, ejus majestatem offendendo; unde oportet, ad reparandam hujusmodi injuriam, aliquid subtrahi a peccante in honorem Dei; et ideo oportet ut opus satisfactorium sit bonum, ut in honorem Dei sit, et pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur; si autem esset bonum et non pœnale, esset quidem opus meritorium, sed non satisfactorium.

(**b**) Similiter etiam opus pœnale a culpa futura præservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quibus pœnam expertus est.

Addi tamen potest vix esse, in præsenti statu naturæ lapsæ, aliquod opus supernaturaliter bonum quod non sit simul arduum et pœnale; cum enim sponte ad creaturas tendamus et ad illicita, quoties propter Deum supernaturaliter agimus, opus difficile proindeque pœnale efficimus.

364. (**B**) *Præcipua autem opera satisfactoria sunt eleemosyna, jejunium et oratio.* Etenim (**a**) satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei; atqui non habemus nisi tria bona, nempe bona animæ, bona corporis et bona fortunæ; ex bonis quidem fortunæ subtra-

himus aliquid per eleemosynam; ex bonis corporis per jejunium; ex bonis animæ per orationem, qua facultates nostras Deo submittimus. (**b**) Præterea tres sunt peccatorum radices, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ [1]; atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio [2].

His tamen pœnis, sponte susceptis, addi debent, juxta *Trident.* (can. 13), pœnæ *a Deo inflictæ* et patienter toleratæ : sæpe enim Dominus permittit nos variis vexari adversitatibus, ærumnis, animi vel corporis doloribus, quibus patienter toleratis, præsertim si Christo conjungimur patienti ac morienti, amplam satisfaciendi opportunitatem habemus; quod pænitentiæ genus eo efficacius est quo majori alacritate et amore illud amplectimur.

365. *Thesis II^a* : **Pænitentes, qui votum satisfaciendi habent, absolvi possunt antequam sacramentalem satisfactionem impleverint.** Certum est contra Jansenistas.

(**A**) *Ex praxi Ecclesiæ* patet injunctæ pænitentiæ impletionem non esse conditionem ad remissionem peccatorum consequendam, sed tantum ad uberiorem pœnæ temporalis peccato debitæ condonationem.

(**a**) Constat enim jam primævis sæculis, in *multis saltem casibus, absolutionem datam fuisse ante satisfactionem impletam :*

1) *In periculo mortis;* scribit enim *Innocentius I* ad Decent. [3] : "Si quis ægritudinem incurrerit atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat"; 2) *urgente persecutione;* ita *S. Cyprianus* scribit [4] : "Merito trahebatur dolentium pænitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur... At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus"; 3) quando *periculum* erat ne, dilata absolutione, *pænitentes ad hæreticos transirent;* hinc *S. Cyprianus* ait [5] : "Quorum si pænitentiam respuamus

[1] *I Joan.*, II, 16. — [2] S. Thom., *Suppl.*, q. 15, a. 3.
[3] *Ep.* XXV, c. 7; *P. L.*, XX, 559.
[4] *Ep.* 54 ad Cornelium, n. 2.
[5] *Ep.* 52 ad Antonianum, n. 15.

habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in hæresim vel schisma, diabolo invitante, rapiuntur". Insuper in *C. Ancyrano* (an. 314) statutum est (can. 5) "ut Episcopi, modo conversionis examinato, potestatem habeant vel *utendi clementia*, vel plus temporis adjiciendi". Ex his omnibus colligitur, etiam in casu pænitentiæ publicæ, absolutionem aliquando concessam fuisse ante expletam satisfactionem, a fortiori igitur quando agebatur de peccatis occultis.

(**b**) Certum est insuper longe ante Jansenianam hæresim viguisse in Ecclesia *praxim absolvendi pænitentes, satisfactione nondum completa.* Ita, an. 1479, a *Sixto IV* damnata fuerat ut scandalosa et hæretica hæc propositio Petri Oxomensis : "Non sunt absolvendi pænitentes, nisi peracta prius pænitentia eis injuncta"[1]. Merito igitur ab *Alexandro VIII*, 7 dec. 1690, reprobata fuit hæc Jansenistarum propositio : "Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei ad ipsum quodammodo dictante"[2].

(**B**) *Rat. conven.* Deus enim perfecte contritis statim peccata remittit, etiam nondum satisfactione plene soluta, ut constat exemplo David, qui prius veniam peccati consecutus est, et postea pœnam subiit temporalem; necnon verbis Scripturæ, ubi asseritur Deum peccata dimittere eo ipso die quo iniquus ab iniquitate sua fuerit conversus[3]. Atqui Ecclesia, in administratione sacramenti Pænitentiæ, divina potestate utitur Deumque imitari potest et debet; ergo pænitentes absolvere potest antequam satisfactionem impleverint.

Art. II. Obligationes Confessarii.

366. Ad has obligationes declarandas dicemus :

1° *De pænitentia imponenda;*
2° *De qualitatibus hujus pænitentiæ;*
3° *De ejus commutatione.*

---

[1] D. B., 728. — [2] D. B., 1306.
[3] *Ezech.*, XXXIII, 12.

§ I. De pænitentia imponenda[1].

367. I. *Existentia hujus obligationis.* **Confessarius regulariter tenetur satisfactionem, seu pænitentiam, injungere pænitenti quem absolvit.** Certum est.

1° *Probatur.* (**A**) Hoc enim aperte docet *Tridentinum* (l. c.) : " Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pænitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur ". Confirmatur ex *Codice*, c. 887.

Confessor retains [illegible] q. ttr punishment.

(**B**) Idem constat *ex variis confessarii muneribus.* (**a**) Quatenus *minister* sacramenti, non solum omnia quæ ad ejus essentiam spectant, sed etiam ejus integritatem procurare debet : secus non esset fidelis sacrorum minister; atqui satisfactio, ex dictis, est pars integralis sacramenti, cum ad pœnam temporalem peccato debitam exstinguendam vel minuendam intendatur. (**b**) Ut *judex*, peccatum pœna convenienti punire tenetur; secus æquitas læderetur, cum ordo divinæ justitiæ aliquam reparationem exigat pro peccato. (**c**) Ut *medicus*, debet pænitentis jam inflicta vulnera curare et futura præcavere; atqui utrumque fit salutares pœnas imponendo; nam opera pænitentialia, juxta *Tridentinum* (cap. 8), " medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt "; aliunde cautiores et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt, cum non tam facile ad peccata redeant, ex quibus pœnam experti sunt.

368. 2° *Declaratur.* (**a**) Dixi tamen " *regulariter* ", quia *per accidens* non tenetur confessarius satisfactionem injun-

normal thing to do — it is the rule unless reason not [illegible] do

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 8, **D. B.**, 904; *Rituale*, Ordo ministr. Sacr. Pænitentiæ; **Suarez**, disp. XXXVIII, sect. 3; **Lugo**, disp. XXV, n. 47-58; **Salmant**, n. 15-25; **Lacroix**, n. 1229-1250; **Billuart**, Diss. IX., art. 2; **Elbel-Bierbaum**, conf. IX, n. 223-224; **S. Alphons.**, n. 506 sq.; **Marc**, n. 1715-1718; **Konings**, n. 1391; **Müller**, § 126; **Lehmk.**, n, 353-355; **Baller. P.**, n. 478 sq.; **Genicot**, n. 311; *Ami du Clergé*, t. XXII (1900) p. 906-907.

gere, quando pænitens moraliter non potest eam adimplere, v. g., si sit sensibus destitutus, vel morti proximus et simul valde debilis; quo ultimo casu tamen melius est levem injungere pænitentiam, v, g., pectoris percussionem, actum amoris Dei, invocationem SS. Nominis Jesu, saltem corde, aut solummodo patientiam in doloribus ferendis.

Pariter si scrupulosus sæpius brevi temporis intervallo redit cum novis culpis, ex oblivione omissis, et absolvitur, necesse non est novam imponere pænitentiam, quando confessarius judicat eam, quæ jam injuncta est, sufficere pro hac nova absolutione. Sed plerumque non expedit absolutionem tam frequenter scrupulosis impertiri. — Quidam etiam dicunt eamdem pænitentiam imponi posse pænitenti qui, statim post absolutionem, peccatum accusat ex oblivione omissum [1]; quia judicare potest eam sufficere etiam pro novo peccato recens accusato; quod vere probabile putamus, quoties hoc peccatum substantialiter non mutat statum conscientiæ pænitentis. Attamen contradicit *S. Alphonsus* (n. 513), quia non potest idem opus, jam injunctum per modum satisfactionis, iterum imponi eodem titulo. Unde melius est *in praxi* levem saltem imponere pænitentiam, dummodo prævideatur pænitentem libenter eam accepturum esse.

(**b**) Dictum est etiam "*pænitenti quem absolvit*", quia, si nulla datur absolutio, necesse non est pænitentiam injungere, cum sacramentum non conficiatur; id tamen valde utile est, ut pænitens sic melius ad absolutionem præparetur ac brevior imponi possit satisfactio, quando suam confessionem complebit.

369. II. Gravitas hujus obligationis. (**A**) Si agitur de *peccatis mortalibus nondum declaratis*, hæc obligatio *per se* gravis est; nam si pænitentia non imponitur, gravis fit injuria sacramento, — necnon detrimentum pænitenti, qui gravioribus pœnis temporalibus luendis obnoxius manet, et remedio opportuno contra futura peccata privatur.

(**B**) Si vero agitur de *venialibus* tantum, vel de mortalibus jam declaratis, pro quibus pænitentia olim injuncta et adimpleta fuit, controvertitur; nonnulli dicunt obligationem etiam in hoc casu esse gravem, ne mancum remaneat sacramentum; probabilius tamen cum *Lugone* [2] alii tenent confessarium tunc non peccare mor-

[1] **Lacroix**, n. 1239; **Ball. P.**, n. 494; **Genicot**, n. 311.
[2] **Lugo**, disp. XXV, n. 49.

N.B.- Penitent must have at least the intention to perform the penance. Confessor has to impose a penance for mortal sins, least grave.

taliter, si, secluso contemptu, pænitentiam non injungat; nam non videtur esse gravis deordinatio levia absolvere peccata absque ulla satisfactione, cum sacramentum in hoc casu incompletum maneat solummodo in re levi. — Cæterum hæc controversia ad praxim vix refert; nam prudens confessarius non voluntarie omittet levem pænitentiam in hoc casu imponere, et, si ex oblivione omittat, nullum peccatum committit.

370. III. De tempore quo imponi debet. Regulariter loquendo pænitentia ante absolutionem injungi debet, ut constat ex *Rituali Romano*, secundum quod satisfactionis impositio sequitur opportunas correptiones et præcedit absolutionem. Et merito; nam judicialis ordo postulat ut reus satisfactionem promittat antequam absolvatur.

Si tamen ex oblivione omissa fuerit, *statim* post absolutionem injungi potest, quia tunc moraliter absolutioni unitur. Si vero hic defectus nonnisi *post paucos dies* advertatur, in proxima confessione pænitentia imponi *potest*, quæ ad peccata in utraque confessione declarata extendatur; non autem certum est exinde integrari sacramentum, quod incompletum fuerat propter satisfactionis defectum, quia jam deficit unio moralis inter absolutionem antea datam et impositionem pænitentiæ. Quidquid sit, pænitentes de hoc non sunt inquietandi, cum satisfactio *in re* ad validitatem absolutionis non requiratur.

§ II. De qualitatibus satisfactionis [1].

I. Principium.

371. Confessarius debet, pro qualitate criminum et pænitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere. *Certum* est ex *Tridentino* superius allegato.

1° Hujusmodi satisfactiones *salutares* esse debent, i. e., ad salutem et spirituale bonum pænitentis promovendum aptæ; ideoque tum *vindicativæ*, ad punienda et expianda peccata præterita, tum *medicinales*, ad præcavendos futuros relapsus. Jamvero omne opus supernaturaliter bonum pœ-

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 15; **Suarez**, disp. XXXVIII, sect. 4-6; **Lugo**, disp. XXV, n. 60-67; **Salmant.**, cap. 10, n. 26-47; **Lacroix**, n. 1233 sq.; **Billuart**, l. c.; **S. Alphonsus**, l. c.; **Lehmk.**, n. 459-467; **Ballerini P.**, l. c.; **Genicot**, n. 312 sq.; **Noldin**, n. 300 sq.; *Ami du Clergé*, l. c., 1048 sq.; **Th. a Villanova**, *Tractatus de satisfactione sacramentali ad usum confessariorum*, 1926. For while do not give any penance that is out of the ordinary. Do what [illegible] nothing unusual.

nale est seu vindicativum, cum arduum sit opera nostra ad Deum referre. Ut autem sit *medicinale*, animæ vulneribus debet mederi et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollere. Quapropter curet confessarius "quantum fieri potest, ait *Rituale*, ut contrarias peccatis pænitentias injungat : veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia".

Quod tamen non est ita intelligendum ut pro singulis peccatis ab eodem pænitente accusatis diversæ satisfactiones injungantur, sed ut pro peccato graviori, in quod frequentius pænitens relabitur, contraria imponatur pænitentia.

372. 2° Debent esse *convenientes*, i. e., proportionatæ *gravitati criminum*, *quantitati pœnæ* quæ manet exsolvenda, necnon *facultati pænitentium*.

(**A**) *Gravitati criminum* proportionatæ : ad hoc enim confessarius tenetur ut judex et medicus. Hinc graviter peccat confessarius qui, absque justa causa, levem injungit pænitentiam pro peccatis certo mortalibus[1]; si enim sunt dubie gravia, non requiritur gravis satisfactio, cum in dubio odiosa sint restringenda.

Jamvero, juxta hodiernam disciplinam, *gravis* censetur pænitentia quæ respondet operi quod sub gravi ab Ecclesia imponitur vel imponi potest, v. g., missam semel audire, jejunare, recitare rosarium imo et tertiam rosarii partem, seu quinque decades, officium B. M. Virginis legere, vel septem Pænitentiales Psalmos, Litanias Sanctorum cum sequentibus orationibus, viam crucis obire, meditari vel pium librum legere vel alia opera perficere per quadrantem. — *Levis* autem pænitentia censetur psalmus *Miserere* vel unus e consuetis psalmis, litania Lauretana vel SS. Nominis Jesu aut SS. Cordis, actus fidei, spei et caritatis, quinquies *Pater* et *Ave*. Attamen pænitentia *in se* levis potest fieri gravis si pænitens non semel, sed pluries eam recitare debet.

Si non unum, sed plura mortalia commissa sunt, regulariter gravior injungi debet pænitentia, et quidem eo gravior quo plura et graviora sunt peccata; non tamen proportione *arithmetica*, ita ut pro centum mortalibus centuplo major sit; si res enim ita se haberet, jam moraliter impossibile esset pænitentiam adimplere.

[1] Juxta **D'Annibale** (n. 347), tunc tantum confessarius peccat mortaliter quando *levissimas* pro *gravissimis* peccatis pænitentias injungit.

373. (B) Proportionatæ *quantitati pœnæ*, quæ exsolvenda manet : —

(a) Posito quod *contritio vehementior* fuerit, eo ipso minuitur pœna temporalis exsolvenda, ideoque minor esse potest pænitentia. Ex hoc tamen non sequitur nullam injungendam esse satisfactionem, quando dolor est valde intensus, quia nescit confessarius utrum ita vehemens sit ut totam temporalem pœnam deleat. Aliunde qui ita est dispositus libenter gravem pænitentiam accipiet.

(b) Levior etiam injungi potest satisfactio tempore *Jubilæi*, vel occasione indulgentiæ plenariæ lucrandæ, quia indulgentiis exstinguitur vel minuitur temporalis pœna. Imo olim quidam theologi contendebant in his circumstantiis omnino omitti posse sacramentalem pænitentiam : quod tamen improbarunt *Benedictus XIV* et *Leo XII*, monendo aliquam pænitentiam jubileum lucraturis imponendam esse [1].

(c) Quidam sancti levem pænitentiam injungere solebant, quia ipsi pro pænitentibus jejunio, macerationibus aliisque arduis operibus satisfaciebant; quod fieri potest; nam, vi communionis sanctorum satisfactiones unius alteri prodesse possunt.

374. (C) Proportionatæ *facultati pœnitentium*, seu, ut ait *Rituale*, " habita ratione status, conditionis, sexus, ætatis et dispositionis pænitentium "; aliis verbis, secundum eorum *vires* et *dispositiones*.

(a) Secundum pænitentis *vires;* ita *ægrotis* levis pænitentia injungenda est, quia graviorem adimplendi capaces non sunt; si vero spes affulgeat recuperandæ sanitatis, expedit ut aliud opus injungatur *conditionate* (i. e. si convaluerit) perficiendum. Quando ægroti sunt valde debiles, confessarius laudabiliter eos adjuvat ad statim pænitentiam adimplendam; secus eam oblivisci possent. — Ita pariter non sunt imponenda jejunia pueris aut junioribus, qui robusti non sunt, vel opificibus continuo labore defatigatis; nec prolixæ orationes aut peregrinationes famulis et ancillis, aut etiam mulieribus sub potestate viri constitutis; nec eleemosynæ pauperibus; nec ullum opus quod cum officiis proprii status pugnet.

Neque injungi debent pænitentiæ perpetuæ, v. g., ingressus in religiosum ordinem, — aut ad diuturnum tempus, v. g., ad annum, ad quinque menses, etc., quia tales pænitentiæ anxietatem generant, et, post aliquod tempus, in oblivionem facile cadunt; et si id facerent varii confessores, innumeris vinculis ligarentur pænitentes, magno cum animarum detrimento. Neque intricatæ esse debent

[1] **Benedict. XIV**, Constit. *Inter præteritos;* **Leo XII**, Const. *Caritate Christi.*

Of - priest did not impose a specific penance ad said "Pater" he imposed a penance.

pænitentiæ; secus enim oblivioni dabuntur. — Hinc, si præscribatur recitatio alicujus orationis per sex vel octo dies, expedit pænitentem monere ut, si hanc recitare una die omiserit, possit eam subsequenti die recitare, ut ita vitentur anxietates. Uno verbo, nil nimis arduum imponatur sive in se, sive relative ad varios pænitentes; v. g., regulariter non jubeantur pueri veniam a parentibus petere ob inobedientiam vel ob furtula, ne confessio ipsis odiosa reddatur.

375. (**b**) Secundum *dispositiones pænitentis;* videlicet non injungatur satisfactio quam pænitens probabiliter non accipiet vel non perficiet; v. g., non jubeatur, per modum pænitentiæ, inimicos invisere vel veniam ab eo quem offendit petere, quando prævidetur id omnino ipsi repugnare.

Hinc, admonentibus *S. Carolo Borromæo* et *S. Francisco Salesio* [1], aliquando juvat eum interrogare an possit pænitentiam sibi impositam peragere; alioquin eam confessarius minuet vel mutabit. "Tutius est, ait *Gersonius* [2], cum parva pænitentia quæ sponte suscipitur et verisimiliter adimplebitur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum". Experientia enim constat multos a confessione deterreri timore nimiam pænitentiam accipiendi [3].

II. Causæ minuendi pænitentiam.

Ex jam dictis constat causas esse quæ excusent a pænitentia peccatis proportionata injungenda, sive *modicam* pro gravibus delictis imponendo, sive *minus gravem* quam multitudo peccatorum mereatur. Eas exponere juvabit.

376. 1° *Ex parte pænitentis*, præcipuæ sunt : (**a**) *infirmitas corporalis*, vel debilitas mentis, ex qua fit ut nonnisi ægre proportionatam pænitentiam implere possit.

---

[1] **S. Car. Borrom.**, *Instruct. Confess.*, *Acta Eccles. Milan.*, t. I, p. 655-656 ed. Lugdunensis, 1683; **S. Franc. Sales.**, *Avertissement aux Confesseurs*, Œuvres, t. VI, p. 143 ed. Vivès.

[2] *Regula Mor.*, p. 2, c. de Pænit., ap. **S. Alphons.**, n. 509.

[3] Ad rem **S. Thomas**, *Suppl.*, q. 18, a. 4 : "Et quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ medicinæ sunt, sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt... ita pœnæ satisfactoriæ in canonibus determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur, ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis [illegible] magnitudine

(**b**) *Infirmitas moralis*, ex qua valde timetur ne pænitens, quamvis sufficienter attritus, gravem pænitentiam non persolvat; tunc autem expedit ut, præter leve opus supererogatorium injunctum, aliud addatur quod sit jam aliunde præscriptum, v. g., missæ auditio die dominica, abstinentia a carne die Veneris.

(**c**) *Extraordinaria contritio*, qua pœna luenda minuitur, ut supra, n. 373.

(**d**) Spes fundata *alliciendi peccatorem* ad frequentiorem sacramentorum usum, si minor injungatur pænitentia, cum per receptionem Pænitentiæ et Eucharistiæ minuatur pœna temporalis peccatis debita; aut eum inducendi ut voluntarie sibi majores pœnas infligat.

377. 2° *Ex parte confessarii*, voluntas pro pænitentibus satisfaciendi, qualis erat in quibusdam sanctis, v. g., *S. Francisco Xaverio*, qui cruentis flagellationibus pænitentium delicta expiare solebat.

378. 3° *Ex parte Ecclesiæ*, quæ in quibusdam occasionibus indulgentiam plenariam concedit sive in forma ordinaria, sive sub forma Jubilæi, per quam pœna peccato debita ex integro solvi valeat, positis ponendis.

In his autem variis casibus expedit pænitentes monere de insufficientia operis injuncti, ut voluntarie aliis modis satisfaciant.

III. Corollaria.

Ex his intelligi datur 1° *quale opus* per modum satisfactionis injungi possit, et 2° *quænam* sint præcipuæ pænitentiæ imponendæ.

379. 1° Pænitentia sacramentalis potest esse quodlibet opus *bonum* et *supernaturale* : (**a**) sive *externum*, sive *internum*, quia, quamvis dubitetur num opus mere internum, v. g., meditatio, ab auctoritate humana injungi valeat, hæc difficultas in casu non verificatur, cum sacerdos in sacro tribunali non humanam, sed divinam exerceat auctoritatem.

---

pœnæ desperet, et a pænitentia totaliter recedat ". Cfr. **S. Alphonsus**, n. 510, cum auctoritatibus ibidem allegatis.

Nec dici potest actum mere internum non esse materiam sensibilem sacramenti; nam hujusmodi actus efficitur sensibilis per impositionem sacerdotis et pænitentis acceptationem. — *Convenit* tamen generatim rudibus et indoctis aliquod opus *externum* injungere, cum actus mere interni ipsis sint difficiliores.

380. (b) *Publicum* aut *privatum;* confessarii tamen "pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pænitentiam non imponant", ut recte ait *Rituale;* secus enim facile gravis peccati commissi suspicio oriretur, et ita sigillum confessionis violaretur; v. g., si uxor jubeatur duobus vel tribus diebus post confessionem jejunare, vir suspicabitur eam graviter peccasse. Pro peccatis autem publicis publicum opus injungi potest, præsertim si quædam reparatio necessaria sit ad scandalum tollendum, ut fit v. g., quando quis matrimonium contraxit coram præcone acatholico.

Aliquando tamen, etiam pro publicis delictis, prudentia suadet reluctanti non imponendam esse publicam pænitentiam, ne sic peccatores a sacro tribunali deterreantur, præsertim cum sæpius reparatio scandali alio modo fieri possit, v. g., publica sacramentorum receptione, missæ auditione vel ecclesiæ visitatione [1].

381. (c) Opus *supererogatorium* vel *alias debitum;* nam etiam opus aliunde præceptum est ex natura sua satisfactorium et ejus valor satisfactorius ad efficaciam sacramentalis satisfactionis potestate clavium elevari potest. Attamen generatim expedit opera supererogatoria injungere, ut pænitentibus occasio præbeatur plura bene operandi.

Hinc opus per modum satisfactionis impositum non censetur esse idem ac illud quod jam lege præscribitur, nisi id expresse declaretur a confessario, v. g., si injungatur missæ auditio, intelligitur pænitentem teneri missam audire extra tempus præscriptum. — Si vero explicite imponatur opus alias præscriptum, v. g., auditio missæ die dominica, ejus culpabilis omissio duplex erit peccatum, quia duplex violatur præceptum, unum generale per modum legis impositum, alterum particulare per modum mandati. — Potest etiam præscribi *cessatio* ab aliquo opere bono, pro brevi tempore, non quia talis cessatio bona est in se, sed quatenus occa-

[1] Cfr. **S. Alphons.**, n. 512; **Ciolli**, I, n. 39. — Neque imponendæ sunt satisfactiones quæ pænitentem aliorum ludibrio exponant, v. g., brachiis extensis in ecclesia orare, vel publice veniam petere.

sionem præbet alias virtutes colendi, præsertim obedientiam et humilitatem.

382. (d) Injungi potest etiam opus *conditionatum*, v. g., oratio dicenda vel confessio instituenda sub conditione relapsus. Certum est hoc esse licitum, si simul alia pænitentia absoluta præscribatur.

Juxta paucos [1], id etiam licet si *sola* injungatur; nam, ut aiunt, specialis conatus adhibitus ad cavendum a lapsu est sufficiens pænitentia. Hæc tamen ratio solida non videtur; nam hic conatus non fuit elevatus ad efficaciam sacramentalis satisfactionis ex eo quod sacerdos orationem præscripserit sub conditione relapsus. Unde communem sententiam prudentes confessarii sequentur.

383. 2° *Præcipuæ autem pœnitentiæ* quæ injungi possunt ad quatuor capita reducuntur : *eleemosynam*, *jejunium*, *orationem* et *patientiam* in pœnis a Deo inflictis.

(A) *Probatur.* Etenim, (a) ut recte arguit *S. Thomas* [2], satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei; atqui non habemus nisi tria bona, sc., bona animæ, bona corporis et bona fortunæ; ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid per eleemosynam; ex bonis corporis, per jejunium : ex bonis animæ, per orationem, qua facultates nostras Deo submittimus. (b) Præterea tres sunt peccatorum radices, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ; atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio.

His tamen pœnis, sponte susceptis, addi debent, juxta *Trident.*, [3] pœnæ a Deo inflictæ et patienter toleratæ : sæpe enim Dominus permittit nos variis vexari adversitatibus, ærumnis, animi vel corporis doloribus, quibus patienter toleratis, præsertim in unione cum Christo, amplissimam satisfaciendi opportunitatem habemus. Igitur patientia in adversis etiam tanquam sacramentalis pænitentia injungi potest.

384. (B) *Exponitur.* (a) Sub nomine *eleemosynæ* comprehenduntur omnia caritatis opera, sive corporalia, sive spiritualia; *corporalia*, v. g., invisere infirmos, pauperes, in hospitalibus aut in carcere detentos; iisdem servire et adjutorium præstare; cibum esurientibus dare, potum sitientibus, vestimenta nudis, libertatem captivis; — *spiritualia*, v. g., ignorantes erudire, christianam doc-

[1] **Ballerini P.**, n. 524; **Genicot**, n. 314.
[2] **S. Thomas**, *Supplem.*, q. 15, a. 1 et 3.
[3] Sess. XIV, can. 13, **D. B.**, 923.

trinam docere, eis qui dubio laborant consilium præbere, delinquentes corrigere, mœstos consolari, injurias condonare, aliorum defectus patienter ferre, pro aliis orare.

Quoad eleemosynas autem, hæc notentur verba *Ritualis :* " Pænitentias pecuniarias sibi ipsis confessarii non applicent : neque a pænitentibus quicquam tanquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant ".

385. (b) Nomine *jejunii* intelliguntur omnes actus mortificationis sive externi sive interni, quales sunt : jejunium sive integrum (quod hodie frequenter imponere non expedit), sive partiale, partem jentaculi vel cœnæ subtrahendo; — abstinentia a carnibus, vel a certo cibo, sed præsertim ab inebriante potu; — moderatio in somno, ludo, venatione, conviviis; — abstinentia a choreis et theatro, ab inutilibus et periculosis colloquiis; mortificatio nimiæ curiositatis in visu, auditu, in legendis libris vel foliis publicis; — interiores actus obedientiæ, humilitatis, caritatis, etc.

386. (c) *Orationis* nomine intelligi possunt : *preces proprie dictæ*, v. g., recitare quinque *Pater* et *Ave*, actus fidei, spei et caritatis, rosarium, litanias, quosdam psalmos, hymnos, preces matutinas et vespertinas, Officium B. M. Virginis, vel partem Breviarii; orationes jaculatorias ex corde dicere; missam audire; — *mentales orationes*, videlicet aliquam peragere meditationem de novissimis, vel de Passione Christi vel de aliis fidei mysteriis; piam lectionem alicujus capitis Scripturæ sacræ, præsertim Evangelii, vel optimi libri *de Imitatione Christi*, etc., cum aliqua meditatione super ea quæ leguntur; — oblationem sui ipsius et omnium actuum summo mane et sæpius per diem repetere; — *praxes ad orationem accedentes*, ut sunt visitatio ecclesiarum, exercitium viæ crucis, concionis auditio, frequens sacramentorum receptio, confessio sacramentalis statim post lapsum.

387. (d) Tandem *patientia* specialiter injungi potest, per tempus determinatum, iis qui multum laborant, aut acerbos dolores sustinent, vel persecutionem patiuntur; tunc expedit brevem actum resignationis suggerere, v. g. : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; non mea voluntas, sed tua fiat; pro te, o Jesu, pati et contemni.*

388. 3° Ut illæ pænitentiæ sint *medicinales*, prudens confessarius eas seliget quæ vitiis pænitentis magis directe opponuntur, juxta illud : *contraria contrariis curantur.* Quædam exempla subjicimus quoad peccata capitalia : (a) *Superbis* injungi potest attenta consideratio propriæ miseriæ et infirmitatis, propriorumque peccatorum, ut exinde facilius actum humilitatis eliciant; iis qui de suis qualitatibus ac meritis gloriantur meditanda proponet hæc aut similia

verba : "Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?" [1]

(b) *Avaris* ac bonum alienum detinentibus quasdam eleemosynas aut restitutionem imponet, simul cum meditatione mortis, quæ nos ab omnibus separat, aut paupertatis Christi.

(c) *Luxuriosis* præscribi potest proximarum occasionum fuga, sensuum mortificatio, otiositatis devitatio, frequens pœnarum inferni consideratio, oratio ad B. Virg. quæ incipit : *O Domina mea...*

(d) *Gulosis* et *ebriosis :* subtractio aliqua cibi ac potus, abstinentia a potu inebriante, fuga cauponarum vel sociorum quibuscum inebriari solent.

(e) *Invidiosis :* reparatio damnorum quæ invidia sua aliis intulerunt, oratio pro iis quibus invident, aliqua meditatio vel pia lectio de motivis caritatis.

(f) *Iracundis :* per aliquod tempus tacere quando oriuntur primi iræ motus, fuga occasionum, mortificatio superbiæ quæ sæpe ad iracundiam movet, consideratio malorum quæ frequenter ex ira sequuntur.

(g) *Pigris* et *acediosis :* consideratio brevitatis hujus vitæ ac proinde necessitatis bonum operandi, dum tempus est; assiduitas et perseverantia in quibusdam precibus per aliquod tempus recitandis, major conatus per duos vel tres dies.

§ III. De commutatione pænitentiæ [2].

Quando pænitentia injuncta moraliter adimpleri nequit, sub quibusdam conditionibus mutari potest.

389. I. *Principium :* **Sacramentalis pænitentia jam injuncta, justa de causa mutari potest, non quidem ab ipso pænitente, sed a confessario auctoritatem habente.** Certum est.

1° *Mutari non potest etiam in perfectiorem ab ipso pænitente;* nam mutatio pænitentiæ importat novum judicium, quod ferri non potest nisi a judice; aliunde nullum opus potest elevari ad dignitatem et efficaciam satisfactionis sacramentalis nisi auctoritate ipsius ministri.

2° *Mutari potest sive ab eodem confessario sive ab alio jurisdictionem habente;* nam pænitentia injungitur per modum

[1] *I Cor.*, IV, 7.

[2] **Suarez**, disp. XXXVIII, sect. 10; **Lugo**, disp. XXV, n. 95-115; **Salmant.**, n. 71-99; aliique auctores superius allegati.

legis particularis; porro lex mutari potest sive a legislatore sive ab ejus successore, sed in sacramentali confessione.

Controvertitur num pænitentia imposita a superiore ob casus reservatos possit ab inferiore commutari. Affirmant nonnulli probabiliter cum *Vasquez*[1] : nam, ablata reservatione per superioris absolutionem, quilibet confessarius potest de his peccatis ferre judicium ac proinde novam imponere pænitentiam. Multi autem *probabilius* negant cum *Lugone* et *S. Alphonso*[2]; nam accessorium sequitur principale; atqui judicium in causa principali, scilicet in peccatis reservatis, ad superiorem solummodo spectat; ergo pariter judicium de accessorio, nempe de pænitentia. — Attamen *S. Alphonsus* concedit id fieri posse si gravis accedat causa et non sit facilis accessus ad superiorem : tunc enim merito præsumitur superioris consensus. Quod admitti potest, propter eamdem rationem, si pænitens nonnisi reluctanter superiorem adiret.

390. II. Conditiones ut pænitentia mutari possit. 1° *Moralis unio* esse debet inter pænitentiæ commutationem et absolutionem; nam elevatio alicujus operis ad dignitatem satisfactionis sacramentalis fieri nequit, etiam a ministro, nisi quatenus est judex, seu quatenus absolutionem profert.

Hinc (a) *idem* confessarius *certo* potest pænitentiam mutare statim post absolutionem, antequam pænitens discedat, quia judicium jam prolatum adhuc moraliter perseverat. Imo graves auctores, ut *Lugo*[3], probabiliter tenent id posse fieri, extra confessionem, etiam post notabile tempus, dummodo confessarius peccatorum recordetur saltem in confuso; nam etiam in hoc casu pænitentia moraliter unitur cum absolutione : si enim absolutio hodierna potest uniri cum confessione facta ante octo dies, mutatio pænitentiæ, etiam post octo dies, cum absolutione præterita moraliter etiam unitur : nec judicium omnino completum dici potest, nisi sententiæ executione, seu pænitentiæ adimpletione. Contradicit tamen *S. Alphonsus* (n. 529, dub. 3) quia, si tale adsit intervallum, novum fit judicium novaque requiritur absolutio ut pænitentia mutari possit. Hanc opinionem sequi expedit saltem relate ad eos qui frequenter confitentur; si agatur vero de iis qui nonnisi raro sacrum tribunal accedunt, *Lugonis* opinio potest, absque scrupulo, in praxim adduci, cum hic non agatur de validitate sacramenti.

---

[1] **Vasquez**, q. 94, a. 2, dub. 3., n. 9; **Elbel-Bierb.**, n. 242; **Ball. P.**, n. 532.

[2] **Lugo**, n. 104; **S. Alphons.**, n. 529.

[3] **Lugo**, disp. XXV, n. 112.

(b) Si vero commutatio pænitentiæ ab *alio* confessario petatur, hic eam mutare nequit nisi in sacro tribunali, post aliquam confessionem auditam, et probabilius cum nova absolutione : secus nulla unio esset inter satisfactionem et absolutionem.

391. 2° Ad commutationem faciendam requiritur insuper *sufficiens cognitio status pænitentis :* secus nova pænitentia nec proportionata nec medicinalis esse potest.

Unde si pænitens *eumdem* confessarium adeat, qui saltem in confuso status pænitentis recordetur, necesse non est confessionem repetere; si *alium* adeat confessarium, probabilius opus non est integram repetere confessionem, sed sufficit vel declarare pænitentiam jam prius impositam, vel summariam confessionem instituere : hoc enim sufficit ad statum pænitentis cognoscendum relate ad pænitentiam injungendam.

392. 3° Requiritur etiam *justa causa*, quæ potest esse vel notabilis utilitas pænitentis, vel difficultas in executione prioris pænitentiæ. Unde fieri potest mutatio, etiamsi non postuletur a pænitente, dummodo tamen hic consentiat; potest siquidem mutationi obstare; si eam ut gravamen spectat.

Facta autem commutatione, multo *probabilius* pænitens potest, si velit, satisfactionem prius injunctam eligere, quia commutatio, utpote pænitenti favens, sub hac conditione fieri censetur : nisi pænitens ad priorem redire velit [1].

Art. III. Obligationes pænitentis [2].

Dicemus tum de *obligatione* tum de *modo* pænitentiam implendi.

§ I. De obligatione pænitentiam adimplendi.

393. 1° *Existentia hujus obligationis :* **Pænitens tenetur acceptare et adimplere pænitentiam rationabiliter sibi injunctam a confessario.** Certum est.

Etenim (a) *Conc. Lateranense IV*, post enuntiatam legem annuæ confessionis, addit [3] : "et injunctam sibi pænitentiam

[1] Ita **S. Alphons.**, *H. A.*, tr. XVI, n. 61, cum auctoribus ibi allegatis.

[2] **Suarez**, disp. XXXVIII, sect. 7-9; **Lugo**, disp. XXV, n. 68-94; **Salmant.**, n. 48-70; **Lacroix**, n. 1273 sq.; **S. Alphonsus**, n. 515-527; ceterique auctores jam allegati. — [3] **D. B.**, 437.

studeat pro viribus adimplere". Aliunde, teste *Tridentino* (supra, n. 367), confessarius jus et officium habet pænitentiam imponendi, atqui tale jus inutile esset, nisi pænitens teneretur eam acceptare et implere. (**b**) Aliunde pænitens obligatur, non secus ac confessarius, ad integritatem sacramenti procurandam; atqui, ex dictis, pænitentia sacramentalis est pars integrans sacramenti; ergo...

394. Corollaria. (**a**) *Hæc tamen obligatio non urget si confessio invalida sit, vel absolutio data non fuerit :* tunc enim sacramentum non existit, nec proinde ulla ex eo oritur obligatio.

Attamen, si confessarius medicinalem quamdam pænitentiam imponat, tanquam futuræ absolutionis conditionem, perfici debet, non quidem ut pars integrans sacramenti, sed ut præparatio ad absolutionem. Idem dici debet, si pænitentia præscribatur in confessione, quam absolutio non sequitur, eo fine ut minor injungi possit tempore quo absolvitur pænitens, prout raro fit : tunc enim impleri debet ratione absolutionis non acceptæ, sed accipiendæ.

(**b**) *Si pænitens existimet satisfactionem nimis onerosam esse,* rogare potest ut mutetur vel minuatur, et regulariter confessarius ejus desiderio acquiescet. Si tamen confessarius eam moderari nolit, pænitens potest sine absolutione recedere, et alteri sacerdoti peccata sua confiteri, vel pænitentiam acceptare et ab alio confessario postulare ut eam commutet.

395. 2° *Gravitas hujus obligationis :* **Pænitens tenetur sub gravi ad implendam pænitentiam quæ legitime sub gravi injungitur.** Certum est.

(**A**) *Probatur.* Etenim confessarius, ut judex, potestatem habet præcipiendi sub gravi ea quæ in re gravi ad integritatem sacramenti pertinent; atqui pænitentia ad integritatem sacramenti spectat, et quidem in re gravi, quando pro gravibus delictis imponitur; ergo...

396. (**B**) *Declaratur.* Jamvero confessarius censetur sub gravi obligare, quando satisfactionem gravem imponit pro mortalibus peccatis nondum accusatis, nisi contrarium dicat; nam gravitas obligationis gravitati materiæ proportionari debet.

attitude { 1) Forgot it
demeanor { 2) Should not give confession

Potest tamen confessarius, juxta communiorem sententiam, pro gravibus peccatis gravem pænitentiam sub levi tantum imponere, quia quilibet legislator potest gravem materiam præscribere sub levi. Id tamen non expedit, juxta *S. Alphonsum* (n. 518), nisi quando jam alia pænitentia sub gravi imposita est; tunc addi potest alia gravior sub levi, ad consulendum pænitentis infirmitati.

Quando pænitentia levis est, sub levi tantum obligat. Si vero satisfactio in se gravis pro venialibus vel mortalibus jam remissis imponatur, probabilius sub levi tantum obligat, quia confessarius censetur noluisse sub gravi obligare; aut si voluit, potestatem suam excessit, cum pænitentia gravitati peccati proportionari debeat. Excipitur tamen casus quo gravis pænitentia injungitur pro levibus peccatis, quæ ad mortalia valde disponunt, ut periculum istud removeatur; hoc autem fit non per modum satisfactionis pro peccatis, sed ad urgendam naturalem obligationem proximas occasiones vitandi.

397. Corollarium. *Qui culpabiliter omittit sive partem sive circumstantiam pænitentiæ,* peccat graviter vel non, prout hæc pars aut circumstantia notabilis est vel non. Ad dijudicandum autem utrum sit notabilis necne, inquirendum est utrum, omnibus attentis, in se aut relate ad pænitentem gravem aut levem molestiam causet, ex judicio prudentum; v. g., si quis jubeatur rosarium recitare *coram imagine B. Virginis*, hæc circumstantia levis est; si jubeatur recitari *brachiis extensis*, gravis esse videtur. In praxi, hujusmodi circumstantiæ nonnisi cum magna circumspectione imponantur.

§ II. De modo pænitentiam adimplendi.

398. 1° *Principium :* **Pænitentia eo modo persolvi debet, in se aut in suis circumstantiis, quo a confessario injuncta est.** Certum est.

Pænitentia enim imponitur per modum præcepti ecclesiastici, proindeque tanquam lex ecclesiastica adimpleri debet tum in se, tum in suis circumstantiis.

399. 2° **Corollaria.** (A) *Quoad tempus :* (a) pænitentia adimpleri debet tempore assignato, vel, si nullum tempus statutum fuerit, quamprimum moraliter : id enim requirunt intentio confessarii, integritas sacramenti ipsumque pænitentis bonum. — Non autem stricte requiritur ut ante absolutionem vel communionem impleatur.

(b) Peccat igitur graviter qui gravem pænitentiam sub gravi impositam, absque ratione, per longum tempus differt. Quodnam vero tempus sit longum disputant theologi; dilatio per tres aut sex menses multis videtur esse gravis, dum quidam putant eam esse gravem, solummodo quando sic pænitens exponitur periculo eam omnino omittendi. — Etiam quando determinatum est tempus a confessario, dilatio brevis non erit grave peccatum. — Si vero pænitentia levis sit, nulla dilatio, quantacumque sit, grave erit peccatum. Omnibus vero suadendum est ut, statim post peractam confessionem, adimpleatur, ne forte in oblivionem cadat.

(c) Si pænitentia tempore statuto persoluta non fuerit, remanet onus eam quamprimum peragendi, cum tempus non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem præscriptum fuerit.

400. (B) Stricte loquendo pænitentia *valide impletur*, juxta communem sententiam, *ab eo qui versatur in statu peccati mortalis;* nam pænitentia, etiam in hoc statu adimpleta, est opus bonum et pœnale, ideoque sufficit ad satisfaciendum præcepto.

Attamen, juxta S. Alphonsum (n. 523), qui ita agit, venialiter peccat, quia ponit obicem uni ex effectibus sacramenti, scilicet remissioni pœnæ. Sed *Lugo* [1] valde probabiliter tenet id ab omni culpa vacare; verum est quidem pænitentiam in hoc casu non esse satisfactoriam de condigno; sed statim ac peccator, statum gratiæ recuperando, removet obicem, satisfactio suum producit effectum, i. e. remissionem pœnæ.

Qui, dum pænitentiam implet, venialiter peccat, v. g., distracte preces injunctas recitando, non privatur fructu satisfactionis *ex opere operato*, quia veniale peccatum non impedit remissionem pœnæ temporalis aliis peccatis debitæ [2].

401. (C) Regulariter satisfactio *per ipsum pænitentem*, non autem per alium, præstanda est, nisi de consensu confessarii; est enim pars integralis sacramenti, ac proinde ab ipso pænitente perfici debet, sicut contritio et confessio; hinc ab *Alexandro VII* damnata hæc propositio 15 (24 sept. 1665) [3]: "Pænitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pænitentiam adimpleat".

Confessarius tamen potest permittere ut satisfactio per alium præstetur, quando agitur de *eleemosyna;* controvertitur autem num

[1] Lugo, disp. XXV, n. 40, cum auctoribus ibi allegatis.
[2] Lacroix, n. 1247; Müller, § 127, n. 6.
[3] D. B., 1115; cfr. *Cod.* can. 887.

id permittere valeat quoad alia opera, ut jejunium, peregrinationem etc., justa accedente causa [1]. Quidquid sit, id non expedit, saltem generatim, et si quis pænitentiam persolvere nequit, melius est ut alia imponatur quam perficere valeat.

402. (D) *Controvertitur num opus injunctum debeat perfici ex intentione pænitentiam adimplendi.* (a) Negant non pauci cum *Lugone* [2]; nam eo ipso quod perficitur opus a confessario impositum et a pænitente acceptatum, ad dignitatem et efficaciam sacramentalis pænitentiæ attingit, etiamsi ex mera devotione peragatur et non ex intentione satisfaciendi.

(b) Affirmant multi alii cum *Vasquez* et *Lacroix* [3]; nam, ut aliquod opus possit esse satisfactio sacramentalis, oportet ut a pænitente cum sacramento connectatur explicite vel implicite; atqui nonnisi vi intentionis cum sacramento connectitur; ergo.

Judicio nostro, res sic componi potest : si quis opus a confessario impositum perficit, non cogitans quidem de pænitentia persolvenda, sed tamen illud opus non ordinans in alium finem, vere pænitentiam implet, vi intentionis quam habuit satisfactionem acceptando; si vero positive hoc opus ordinat in alium finem, v. g., ad præceptum aliquod adimplendum, pænitentia non impletur, cum pænitens positive aliquid aliud intendat; ita v. g., si rosarium imponatur ei qui quotidie illud recitat, pænitens potest arbitrio suo eligere ut primum rosarium devotionis causa, secundum autem tanquam pænitentia sacramentalis dicatur.

403. (E) *Si quis injunctæ pænitentiæ oblitus fuerit, etiam culpabiliter,* non tenetur confessionem repetere, ut aliam accipiat pænitentiam, juxta communem sententiam [4]; nemo enim tenetur sua peccata repetere quando jam fuerunt directe remissa : hoc enim gravissimum esset onus; ideoque pænitentiæ adimpletio ut moraliter impossibilis haberi potest. Si quis vero culpabilis oblivionis reus sit, satis erit hoc peccatum negligentiæ accusare. Tenetur autem eumdem confessarium adire, si commode possit, ac præsumat eum adhuc memorem esse pænitentiæ : hoc enim grave onus non est; non autem stricte tenetur ab alio confessario commutationem pænitentiæ postulare, quamvis id laudabile sit, ipsi pænitenti utile ac proinde commendandum.

---

[1] Affirmat **Suarez**, disp. XXXVIII, sect. 9; negat **Lugo**, disp. XXV, n. 82.

[2] **Lugo**, disp. XXV, n. 34.

[3] **Lacroix**, n. 1286, cum auctoribus ibi allegatis; **Berardi**, *Praxis*, n. 4547.

[4] Cfr. **Lugo**, disp. XXV, n. 87; **S. Alphons.**, n. 520, cum auctoribus ibi allegatis.

PARS III.

DE CONFESSARIO.

Dicemus 1° de *potestate* in confessario requisita; 2° de ejusdem *officiis*.

CAPUT I.

DE POTESTATE IN CONFESSARIO REQUISITA [1].

404. Prænotanda. Jure divino duplex potestas in ministro requiritur non solum ad licite, sed etiam ad valide ministrandum Pænitentiæ sacramentum, videlicet potestas *ordinis sacerdotalis* et *jurisdictionis* (supra, n. 100-124).

Duplex hujusmodi potestas, ante *Tridentinum*, ad validam sacramenti administrationem sufficiebat, juxta communem sententiam [2]. Sed Patres Tridentini, timentes ne quandoque jurisdictio concederetur iis qui ad audiendas confessiones idonei non sunt, decreverunt nullum confessiones sæcularium audire posse, nisi ab Ordinario approbatum : " Decernit tamen sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias *idoneus* judicetur, et *approbationem*, quæ gratis detur, obtineat " [3]. Quæ quidem verba non solum de liceitate, sed etiam de validitate absolutionis ab omnibus intelligebantur; Concilium enim declarat nullum, nisi approbatum, *posse* confessiones sæcularium audire, nec ad id *idoneum* esse.

Codex autem, tacendo de hac approbatione, statuit jurisdictionem concedi non debere, " nisi iis qui *idonei*... reperti fuerint " (can. 877).

---

[1] **P. Chrétien,** *De pænitentia quædam quæstiones* (1929), pp. 2-95.

[2] Pauci quidem dixerunt, etiam ante *Tridentinum*, approbationem necessariam fuisse iis qui delegata jurisdictione tantum fruebantur; sed hoc nullo solido argumento probare valent, ut videre est ap. **Suarez,** disp. XXVIII, sect. 3, n. 2-4. — [3] Sess. XXIII, cap. 15 de Reformatione.

405. Cum alibi satis de *potestate ordinis* dictum fuerit, de *potestate jurisdictionis* dicendum est, aliquibus præmissis de *judicio idoneitatis*. Hic erit ordo :

1° De judicio idoneitatis prævio ;
2° De jurisdictione sive ordinaria sive delegata;
3° De jurisdictione quam Ecclesia supplet;
4° De jurisdictione religiosorum;
5° De jurisdictione quoad religiosas;
6° De limitatione jurisdictionis, seu casuum reservatione.

approbation was not required any longer for valid but for licit

Art. I. De judicio idoneitatis prævio [1].

406. 1° **Notio.** Judicium idoneitatis est *judicium authenticum Ordinarii de idoneitate sacerdotis ad excipiendas confessiones.*

judgment or examination of the fitness of the priest for the licit ministry of confessions given faculties - authentic or administrative for licity. The order given it when one is not fit - suis. The order known not fit - if he know

Dicitur : (a) *judicium*, id est actus *intellectus*, externis tamen signis manifestatus; (b) *authenticum*, seu a legitimo superiore prolatum, et quidem modo auctoritativo; legitimus autem superior in hac materia est Ordinarius loci, id est "pro suo quisque territorio Episcopus, Abbas vel Prælatus *nullius* eorumque Vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Præfectus apostolicus, itemque ii qui prædictis deficientibus interim... succedunt in regimine" (c. 198), et etiam pro suis subditis superior religiosus exemptus, ad normam can. 875; (c) *de idoneitate sacerdotis...*, nempe de dotibus requisitis ad utiliter confessiones excipiendas; quæ dotes sunt præcipue, ex parte intellectus : *scientia*, qua principia ac regulæ theologiæ moralis noscuntur; necnon *prudentia*, ad eadem particularibus casibus applicanda; ex parte voluntatis : *morum integritas* ac *pietas.*

407. 2° **Necessitas.** (a) Juxta *Codicem* (can. 877) judicium idoneitatis necessarium est omnibus confessariis, etiam regularibus, ad confessiones licite audiendas : "Tum locorum *Ordinarii* jurisdictionem, tum *Superiores religiosi* jurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne

[1] Suarez, disp. XXVIII; Lugo, disp. XXI; Salmantic., cap. 11, n. 86-110; Lacroix, n. 1485-1547; S. Alphons., n. 542-552; Lehmk., n. 483 sq.; Genicot, 326; *D. T. C.*, I, 1700-1707.

concedant, nisi iis qui *idonei per examen* reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cujus theologicam doctrinam aliunde compertam habeant". Quæ lex merito condita est, ut a sacro tribunali arcerentur ministri inhabiles et indigni.

(b) *Doctores* et *lectores S. Theologiæ* ab hac lege non eximi expresse declaratum est a Pio V [1]. Qui vero *parochiale beneficium* obtinent, cui adnectitur cura animarum, speciali examine non indigent; nam eo ipso quod ad hoc munus deputantur, *implicite* idonei agnoscuntur ad audiendas confessiones. Aliunde in parochum assumi non debet qui non sit *doctrina* et prudentia præditus (can. 453), et Ordinarius ad novum *periculum doctrinæ* adigere potest parochum, imo et Canonicum pænitentiarium de quorum idoneitate enascuntur dubia [2].

(c) *Regulares exempti* hodie huic examini subduntur, quidquid a jure antiquo fuerit necne determinatum, ad excipiendas confessiones *Regularium sui ordinis* [3]; sed in hoc casu de eorum idoneitate judicent Superiores religiosi (can. 877).

408. 3° Modus quo profertur. (a) Judicium ferri debet ab *Ordinario loci in quo confessio excipitur*, non autem ab Episcopo pænitentis vel confessarii. Id certo hodie constat ex *Codice*, c. 874 et 877. Quod quidem sapienter statutum est; nam judicium hujusmodi supponit cognitionem non solum sacerdotis approbandi, sed etiam fidelium pro quibus approbatur; porro hanc cognitionem habere censetur solus Ordinarius loci ubi confessiones audiuntur. — Hinc sacerdos in una diœcesi idoneus reputatus, ad obtinendam jurisdictionem in alia, debet idoneus inveniri ab Ordinario hujus diœcesis. — Ex quo pariter sequitur Ordinarium aptos posse declarare non solum suos subditos, sed etiam extraneos sacerdotes, ad confessiones excipiendas in sua diœcesi.

Ordinarius autem loci potest id facere sive *per se*, sive *per alium* ad id specialiter deputatum, v. g., per archipresbyteros, aut vicarios

[1] Constit. *Romani Pontificis*, 8 aug. 1571.

[2] "Si post concessam jurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinæ periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico pænitentiario" (Can. 877, § 2).

[3] Regulares exempti ii sunt qui vota edunt solemnia, ut *Franciscani*, *Dominicani*, *Benedictini*, et etiam quædam Congregationes hoc speciali privilegio gaudentes, ut *Congreg. SS. Redemptoris*.

foraneos, aut per Superiores Regularium relate ad subditos suos, etc. Res enim tota judicio Ordinarii committitur, ex *Codice* (can. 877).

409. (b) Potest quis idoneus judicari quoad aliquam parochiam non autem quoad aliam, in qua videlicet difficillimi conscientiæ casus sæpe inveniuntur; quoad aliquod genus personarum, non autem quoad alias personas; v. g., quidam idonei possunt esse quoad viros, non autem quoad mulieres, eas præsertim quæ ad eximiam perfectionem tendunt; quoad aliquod tempus, propter urgentem necessitatem, non autem quoad omnia tempora. De quibus omnibus sapienter judicabit Ordinarius.

410. (c) Insuper Ordinarius non tenetur cuilibet idoneo jurisdictionem conferre; nam, ad confessiones utiliter excipiendas non sufficit scientia, sed aliæ requiruntur conditiones, quales sunt prudentia, discretio, vitæ puritas, etc., n. 406, de quibus judex est Ordinarius. Si alicui injuste denegatum fuerit judicium idoneitatis, non potest confessiones valide excipere, cum jurisdictione careat quæ non confertur sine prævio idoneitatis judicio. (Sometimes conferred without [illegible] by material sin) should be examined.

ordinary is not obliged to give faculties

Art. II. De jurisdictione sive ordinaria sive delegata[1].

jurisdiction by his office

Jurisdictio *ordinaria* ea est quæ ipso jure adnexa est officio; *delegata* ea est quæ commissa est personæ (can. 197).

§ I. De Jurisdictione ordinaria.

1° De iis qui ordinariam jurisdictionem habent.

411. *Principium :* **Ii omnes jurisdictionem ordinariam obtinent quibus confertur officium cui ipso jure adnexa est.** Certum est.

[1] S. Thomas, *Supplem.*, q. 8, a. 4-5; Suarez, disp. XXV-XXVI; Lugo, disp. XIX; Salmant., cap. 11, n. 4-85; Lacroix, n. 1548-1574; Billuart, diss. VI, a. 2-3; S. Alphons., n. 537-569; Marc, n. 1749-1752; Lehmk., n. 480-509; Ballerini P., n. 588 sq.; Genicot, n. 325-329; Noldin, 337-348; Merkelbach, cap. II, q. 1.

412. Hi autem sunt *S. Pontifex* et *S. R. E. Cardinales* pro tota Ecclesia, *Ordinarius loci* pro suo territorio, pro sua parochia *Parochus*, aliique qui loco parochi sunt, insuper et canonicus pænitentiarius ecclesiæ quoque collegiatæ et Superiores religiosi exempti pro suis subditis [1].

(**A**) *Romanus Pontifex* pro universali Ecclesia, et quidem pro utroque foro, et pro omnibus casibus (c. 218); omnes *Cardinales* (et non tantum *Pænitentiarius major*, ut olim), pro foro *interno*, et ubique terrarum [2]. — *Nuntii* aut *Delegati Apostolici*, jam non habent nisi jurisdictionem *delegatam*, juxta tenorem sui mandati. (*Codex*, c. 267, § 2.)

413. (**B**) *Ordinarius loci*, ideoque qui hoc nomine designantur : *Episcopus* pro sua diœcesi, in utroque foro, dependenter tamen a Rom. Pontifice, qui ejus jurisdictionem limitare potest; *vicarii generales*, item in utroque foro, dependenter tamen ab Episcopo, ita ut, eo mortuo, horum facultates eo ipso expirent; mortuo Episcopo, *vicarius capitularis*, (ubi desunt Capitula *administrator diœcesis)*, pro utroque foro.

Insuper, ex *Codice*, c. 401, "*Pænitentiarius canonicus* tum ecclesiæ cathedralis tum ecclesiæ collegialis obtinet a jure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in diœcesi extraneos quoque, et diœcesanos extra territorium quoque diœcesis".

414. (**C**) *Parochus* in sua parochia, in foro interno tantum; quæ potestas competit parochis amovibilibus, qui in Gallia *succursalistæ* dicebantur; item vicariis qui plena potestate parœciali sunt præditi, nempe vicariis curatis, œconomis, substitutis et adjutoribus (si in omnibus suppleant parochi vicem), nunquam autem cooperatoribus [3].

415. (**D**) *Superiores religiosi exempti*, scilicet abbates, præpositi generales, provinciales ac superiores locales jurisdictionem habent *a jure* [4] et *ad normam Constitutionum*, ordinariam in suos subditos; nam vi sui officii, ipsis cura incumbit animarum suorum subditorum.

[1] *Codex*, c. 873. — [2] Excipiuntur quidam casus. Cfr. can. 239, § 1, n. 1.
[3] *Codex*, can. 451, § 2, 2° et can. 471, 472, 473, 474, 475, 476.
[4] *Codex*, c. 873, § 2.

416. Corollarium. Duobus modis pænitentes fieri possunt subditi eorum qui ordinaria jurisdictione pollent :

(**A**) *Ratione domicilii aut quasi-domicilii;* videlicet ii omnes qui domicilium vel quasi-domicilium habent in aliqua diœcesi, aut parochia, eo ipso subjiciuntur ordinariæ jurisdictioni Episcopi hujus diœcesis vel parocho hujus loci.

Jamvero domicilium acquiritur commoratione in aliqua parœcia aut quasi-parœcia, aut saltem in diœcesi, vicariatu apostolico, præfectura apostolica; quæ commoratio vel conjuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum [1]; quasi-domicilium autem commoratione uti supra, quæ vel conjuncta sit cum animo ibi manendi saltem per sex menses, vel sit reapse pertracta ad majorem anni partem (seu ad sex menses) [2]. — Qui duo habet domicilia, vel domicilium in uno loco et quasi-domicilium in altero, utriusque Ordinarii vel parochi ordinariæ jurisdictioni subjicitur. — Uxor necessario retinet domicilium viri, et minor domicilium illius cujus potestati subjicitur [3].

(**B**) *Ratione privilegii status*, seu *cooptationis :* (**a**) qui sunt de familia Cardinalium vel Episcoporum, reputantur eorum subditi; hinc Cardinales vel Episcopi eligere valent in confessarium, tam pro se quam pro sua familia, quemlibet sacerdotem, qui, si jurisdictione careat, eam ipso jure obtinet [4]; (**b**) pariter novitii, domestici ac perpetuo commensales alicujus monasterii vel domus religiosæ exemptæ reputantur subditi superiori hujus domus, quod infertur ex can. 873 et 875.

N. B. Ex Codice [5], *vagi*, qui nullum domicilium aut quasi-domicilium habent, et *peregrini*, qui alibi domicilium habent, sed per aliam diœcesim vel parochiam iter faciunt, necnon et catholici cujusque ritus orientalis valide ac licite absolvi possunt non solum a parochis locorum ubi pro tempore versantur, sed ab omnibus utriusque cleri sacerdotibus ad audiendas confessiones approbatis in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata jurisdictione instructis.

2° De proprietatibus jurisdictionis ordinariæ.

417. (**A**) Qui ordinaria jurisdictione pollent, *suos subditos valide absolvere possunt, ubicumque sint*, etiam extra proprium territorium, et extra diœcesim, quin indigeant licentia Episcopi illius loci ubi confessiones audiunt [6]; ratio est quia jurisdictio ordinaria est non solum localis, sed

[1] *Codex*, c. 92, § 1. — [2] *Codex*, c. 92, § 2. — [3] *Codex*, c. 93, § 1.
[4] *Codex*, c. 239, 349, § 1. — [5] *Codex*, c. 881. — [6] *Codex*, c. 881, § 2.

etiam personalis, ac proinde sequitur personas, quocumque ierint.

(B) Possunt *Ordinarii locorum* suam jurisdictionem sacerdotibus tum sæcularibus tum religiosis etiam exemptis *delegare*. (*Codex*, c. 874, § 1).

(C) *De jure communi* parochi jurisdictione gaudent pro suo territorio [1] tantum; sed *de jure particulari*, in quibusdam diœcesibus [2], *valide* audiunt confessiones non solum in parœcia sua, sed in tota diœcesi, attamen jure delegato. Id autem *licite* facere ~~nequeunt~~ sine licentia parochi vel capellani illius loci ubi confessiones excipiunt.

Num vero possint hodie alios sacerdotes delegare ad confessiones audiendas in sua parochia, infra (n. 421) expendemus.

3° De acquisitione et amissione ordinariæ jurisdictionis.

418. Ordinaria jurisdictio *incipit* cum beneficii vel officii possessione, et cum ejus amissione *desinit*. Nam, ut dictum est, ipsi officio adnectitur. Jamvero missio in possessionem fit secundum modum jure peculiari præscriptum vel legitima consuetudine receptum, nisi justa ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu hæc dispensatio locum tenet captæ possessionis [3]. Amittitur autem officium renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis præfiniti [4]. Hæc jurisdictio cessat etiam, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto [5].

§ II. De Jurisdictione delegata.

419. 1° **Ejus natura.** Jurisdictio delegata in tribus *præsertim* differt ab ordinaria : (a) qui ordinaria potitur, *vi officii* eam exercet, dum delegatus agit *vi commis-*

[1] *Codex*, c. 873.

[2] Insuper in quibusdam regionibus, v. g., in tota Canadensi regione, quisque sacerdos, jurisdictione pollens in aliquo loco, absolvere potest quemcumque sacerdotem aut personam in ejus domo ratione propinquitatis vel famulatus degentem. — In praxi igitur sedulo legantur *Statuta diœcesana* et *Litteræ*, quibus Facultates conceduntur.

[3] *Codex*, c. 1444. — [4] *Codex*, c. 183. — [5] *Codex*, c. 873, § 3.

sionis illius a quo jurisdictionem accepit; (**b**) ordinaria jurisdictio ubique terrarum valide exercetur in subditos, absque nova approbatione, dum delegata *exerceri nequit extra territorium* pro quo concessa est; (**c**) ordinaria *per se* subdelegari potest, non autem delegata saltem per se.

420. 2° **De jure concedendi jurisdictionem delegatam.** (**A**) *In genere* statuit *Codex* (can. 199) de potestate delegandi : " Qui jurisdictionis potestatem habet *ordinariam*, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse jure caveatur "; sed, ut statim dicetur, limitatio apponitur pro concessione jurisdictionis pænitentialis.

(**B**) Quoad *forum pænitentiale :* (**a**) *S. Pontifex* delegare potest pro tota Ecclesia. Insuper qui delegantur a S. Pontifice, etiam modo transitorio, v. g., *delegati apostolici* qui ad aliquam missionem *pro tempore* exercendam deputantur, alios subdelegare possunt sive ad actum, sive etiam habitualiter. (**b**) *Ordinarius loci* in quo confessiones excipiuntur (quo nomine veniunt vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Præfectus Apostolicus, itemque ii qui prædictis deficientibus interim ex juris præscripto succedunt in regimine) sacerdotes tum sæculares tum regulares in suo territorio delegare valet, ut constat ex can. 874 : " Jurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive sæcularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum sæcularibus tum religiosis etiam exemptis *Ordinarius loci* in quo confessiones excipiuntur... " [1]

421. (**C**) Unde, promulgato *Codice*, controversia orta est de potestate delegandi parochis competente. 1) Quidam putabant parochos posse, saltem in casibus urgentibus, alienos sacerdotes delegare ad audiendas suorum subditorum confessiones, vi principii generalis quod potestatem habentes *ordinariam* possunt eam delegare. 2) Sed *Pontificia Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos*, 16 oct. 1919, declaravit parochos, vicarios parochorum, aliosve sacerdotes ad universitatem causarum delegatos non posse sacerdotibus sæcularibus aut regularibus delegare jurisdic-

Bishop is not only unicus fons

[1] Jurisdictionem pænitentialem possunt quoque delegare *Superiores* in religione clericali exempta (ad normam c. 875, § 1), et delegati qui expresse potestatem subdelegandi acceperunt. Canonicus pænitentiarius facultate delegandi non gaudet (c. 401).

tionem ad confessiones recipiendas, nec iisdem jam approbatis jurisdictionem extendere ultra fines circumscriptos, sed ad id egere speciali facultate seu mandato Ordinarii loci. Et merito; nam *Codex* non alium nisi *Ordinarium loci* designat tanquam fontem a quo accipienda sit delegatio, et positive hanc facultatem delegandi denegat canonico pænitentiario; unde silendo de pastore, eamdem facultatem ei denegat; — aliunde, jam a tribus sæculis, tota jurisprudentia eo tendit ut Ordinarius loci constituatur pro sæcularibus unicus fons delegatæ jurisdictionis [1].

In *praxi* autem vix aliqua est difficultas; nam Episcopi parochis in finibus diœcesis degentibus concedere solent facultatem advocandi sacerdotes in locis contiguis suæ diœcesis ministerium exercentes eisque jurisdictionem conferre; aliunde recursus ad Episcopum hodie facilis est.

422. 3° **De variis modis** delegandi jurisdictionem. Duobus modis acquiri potest jurisdictio delegata : *ab homine* et *a jure*.

(**A**) *Ab homine*, seu a Superiore jurisdictionem ordinariam habente, aut a delegato qui subdelegare valeat. Hæc autem delegatio accipi debet ab Ordinario loci, in quo absolutio datur, non autem ab Ordinario pænitentis vel delegati [2].

N. 14. Ut jurisdictio valide obtineatur, (**a**) requiritur concessio *expressa* sive scripto, sive verbis, nec sufficit tacita aut præsumpta [3]; (**b**) quæ concessio *libera* esse debet, non autem vi aut minis extorta [4]; (**c**) nec sufficit scribere ad jurisdictionem petendam, nam jurisdictio *vere concedi* debet a delegante (infra, n. 425).

Superior vero jurisdictionem duplici modo concedere potest : *directe*, quando ipsi sacerdoti committit potestatem absolvendi;

---

[1] **J. Creusen** et **A. Vermeersch**, *Summula novi juris*, 1918, n. 346; **A. Boudinhon**, *R. C. F.*, 15 apr. 1919, p. 96, et 1 jul. 1919, p. 73.

[2] *Codex*, c. 874, § 1. — [3] *Codex*, c. 879.

[4] Juxta omnes, illicitum est jurisdictionem gravi metu extorquere, ac plerique Canonistæ tenent, jurisdictionem ita extortam invalidam esse; ita **Reiffenstuel**, *l. I Decret.*, tit. 40, n. 62; **Schmalzgrueber**, ibid., n. 19; **De Angelis**, ibid., n. 6. — De hoc tamen nonnulli dubitant, ut **Pirhing**, n. 33; **Lacroix**, n. 1554, Cf. c. 103. — Plerumque nulla erit difficultas in praxi, cum Ecclesia suppleat jurisdictionem in casu erroris communis et dubii speculativi, ut infra exponetur.

impetratio — you get it for asking for it.

indirecte, quando pænitenti conceditur facultas quemlibet sacerdotem sibi in confessarium eligendi.

423. (B) *A jure.* Ita, jure communi, ex ipso Codice :

(a) Cardinales et Episcopi, sive residentiales sive titulares, ab accepta authentica notitia peractæ canonicæ provisionis sibi suisque familiaribus eligere possunt sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si jurisdictione careat, eam ipso jure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras reservatas quoque, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicæ specialissimo modo reservatis et illis quæ adnexæ sunt revelationi secreti S. Officii [1].

(b) Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo a proprio (loci) Ordinario, vel ab Ordinario portus sive initialis sive intermedii, confessiones excipiendi facultatem habeant, possunt, toto itinere durante, tum fideles secum navigantes, tum fideles qui quavis ex causa ad navem accedant, tum eos qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis : non tamen, si extra navem, ultra triduum si loci Ordinarius facile adiri possit [2].

424. (c) "Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata jurisdictione instructi, possunt etiam *vagos* ac *peregrinos* ex alia diœcesi vel parœcia ad sese accedentes, itemque catholicos cujusque ritus orientalis, valide et licite absolvere" [3].

(d) *Capellani militum* audire possunt confessiones militum etiam extra diœcesim Episcopi approbantis, quando milites sunt *in castris* aut *in itinere;* durante bello amplissimas facultates accipiunt [4].

4° De acquisitione et amissione jurisdictionis delegatæ.

425. Jurisdictio delegata *ab homine exercetur valide* a momento quo ejus concessio expresse data est (cc. 37, 38); sed *licite* exerceri nequit antequam ejus concessio sacerdoti certo innotescat.

426. *Cessat* autem, ex can. 207 : 1) "expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit". Attamen, pro foro *interno*, actus per inadver-

[1] *Codex*, c. 239 et 349. — [2] *Codex*, c. 883. Cf. resp. *Com. Int.*, 20 maii 1923; 30 jul. 1924. — [3] *Codex*, c. 881.

[4] Ita, v. g., *S. Pœnitent.*, 18 dec. 1914 (*A. A. S.*, VI, 712), capellanis militum concessit ut, dum exercitum comitantur, excipere possint confessiones quorumcumque fidelium ad se accedentium et in eorum favorem uti facultatibus sibi pro foro conscientiæ concreditis. Cf. *Codex*, c. 451, § 3.

tentiam positus elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est. Insuper, si aliqua confessio incœpta est, perdurat jurisdictio usquedum pænitens absolvatur. 2) Cessat etiam "cessante causa finali delegationis". 3) Aut etiam "revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata"; revocari autem nequit sine gravi causa. 4) Non autem "resoluto jure delegantis" nisi delegatio facta sit ad casum particularem vel *ad beneplacitum* delegantis. Non cessat ergo quando conceditur *usque ad revocationem* (quod fit communiter). 5) Cessat ob *excommunicationem* delegati postquam sententia intercessit (c. 2264).

Art. III. De jurisdictione quam supplet Ecclesia[1].

427. Quando deest jurisdictio, sive ordinaria sive delegata, eam supplere potest Ecclesia; non potest quidem id supplere quod ejus auctoritati non subest, v. g., defectum materiæ aut formæ in sacramentis; sed cum *jurisdictio* ejus potestati subsit, eam extraordinarie suppeditare potest, quando non fuit regulariter collata. Hæc jurisdictio quam supplet Ecclesia, differt a jurisdictione ordinaria aut delegata, in eo quod confertur solum *in ipso actu* confessionis posteaque extinguitur, dum altera ante confessionem datur et post absolutionem permanet.

Jamvero duo sunt potissimum casus in quibus Ecclesia de facto jurisdictionem supplet: 1° in *periculo mortis;* 2° in casu *erroris communis* et *jurisdictionis probabilis.*

§ I. De Jurisdictione in periculo mortis.

428. *Principium :* **Omnis sacerdos valide et licite absolvere potest eos qui versantur in ~~articulo vel~~ periculo mortis, ab omnibus censuris et peccatis, sed pro foro interno tantum.** Certum est.

[1] **Suarez**, disp. XXVI, sect. 4 et 6; **Lugo**, disp. XVIII, n. 15-40 et disp. XIX, n. 28-35; **Salmantic.**, cap. 11, n. 72-77; **Lacroix**, 1548, 1559; **Billuart**, diss. VI, a. 4; **S. Alphons.**, n. 560-563 et n. 571-574; **Müller**, § 137; **Lehmk.**, n. 502-509; **Haine**, q. 73; **Ball. P.**, n. 591-599 et n. 628-638; **Marc**, 1753-1756; **Genicot**, n. 330-332; **Noldin**, 344-346.

Probatur hac declaratione *Tridentini*[1] : "Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut *nulla sit reservatio in articulo mortis;* atque ideo *omnes sacerdotes* quoslibet pænitentes *a quibusvis peccatis et censuris* absolvere possunt".

Concilium loquebatur de *articulo mortis;* sed præcisius loquitur *Codex* : "In *periculo mortis* omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet pænitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi præsens sit sacerdos approbatus"[2] Jamvero tale periculum adesse censetur, quando prudenter timetur ne mors brevi occurrat, v. g. in morbo gravi, difficili operatione chirurgica, laborioso partu, in longa ac periculosa navigatione, pro militibus tempore belli[3], etc.

(a) Dicitur "*omnis sacerdos*"; quibus verbis, utpote amplissimis, significatur quilibet sacerdos, etiam non examinatus, irregularis, suspensus, excommunicatus etiam vitandus, schismaticus, hæreticus, apostata.

(b) "*A quibusvis peccatis et censuris*", pro foro tantum *interno*[4]. Si quis tamen, censura *specialissimo modo* S. Pontifici reservata irretitus, postea convalescat, recurrere debet intra mensem sub pœna reincidentiæ, ad S. Pænitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate præditum; si vero absolutus fuerit a censura *ab homine*, ad eum qui censuram tulit[5]. Insuper licite non agit sacerdos qui, extra casum necessitatis, absolvit complicem in peccato turpi (can. 884).

§ II. De errore communi et de jurisdictione probabili.

429. *Graviter* peccat, et incurrit suspensionem a divinis[6], sacerdos qui extra necessitatis casum absolvit, *certo sciens* se carere jurisdictione et quidem legitime a superiore competente collata. Sed casus sunt in quibus, pro utilitate fidelium, Ecclesia supplet jurisdictionem : tunc absolutio est semper *valida*, et *sæpe* etiam *licita*, ex dicendis.

Jamvero ex *Codice* duo sunt casus hujusmodi : "In *errore*

[1] Sess. XIV, cap. 7. — [2] *Codex*, c. 882. — [3] *S. Pæn.*, 18 mart. 1912; 29 mai 1915. — [4] *Com. Int.*, 28 dec. 1927. — [5] *Codex*, c. 2252 et 884. — [6] *Codex*, c. 2366.

communi aut in *dubio positivo* et *probabili* sive juris sive facti, *jurisdictionem supplet Ecclesia* pro foro tum externo tum interno (can. 209)".

1° Error *communis* in re pænitentiali dicitur *judicium* (non simplex ignorantia) *erroneum, ratione positiva innixum, quo plerique vel saltem multi fideles* (etiam ex iis qui non confitentur) alicujus territorii vel domus piæ censent talem sacerdotem jurisdictione gaudere in loco vel in pænitentes ad ipsum accedentes. Sufficit, juxta multos [1], dummodo agatur de vitando *communi* damno [2], error *virtualis*, vi cujus erronee judicarent fideles ex circumstantiis si de jurisdictione sacerdotis interrogarentur. — Sacerdos vero qui sine gravi ratione scienter absolvit in casu erroris communis probabilius graviter peccat, forsan tamen nonnisi leviter.

430. 2° *Dubium* autem duplex est : *juris* aut *facti*. (**A**) *Dubium* adest positivum et probabile *juris* quando, antecedenter ad confessionem, sacerdos, juxta interpretationem legis non certam, sed vere probabilem, seu ex sententia gravi, jurisdictione gaudet in casu.

Jamvero in hoc casu confessarius *valide* agit, quia *Ecclesia certo supplet jurisdictionem*, si revera desit, ex *Codicis* c. 209.

Imo *licite* agit sacerdos qui cum tali probabilitate juris absolvit, saltem quando accedit ratio gravis absolvendi, ut ait *S. Alphonsus* (n. 573). — Non pauci autem, cum *Lugone* et *Ballerini* [3], putant id licere, etiam absque speciali ratione, cum certum sit in hoc casu Ecclesiam libenter supplere jurisdictionem; et hæc opinio est vere probabilis.

431. (**B**) In dubio autem *facti*, v. g., quando dubitatur num jurisdictio a superiore concessa fuerit, num adhuc perduret vel expiraverit, Ecclesia supplet etiam jurisdictionem, si tale dubium est positivum et probabile, si nempe militat serium motivum pro existentia jurisdictionis. Utrum vero licitum sit absolvere cum tali dubio? Pendet a gravitate circumstantiæ; sed ex quo Ecclesia jurisdictionem supplet, non tam gravis causa requiritur quam antea Theologi postulabant.

---

[1] **Cappello, Wernz-Vidal, Jombard, Creusen,** aliique. Cf. **A. Cance,** I, n. 199. Quæ opinio est *practice tuta*, cùm Ecclesia suppleat in dubio juris.

[2] *Ami du clergé*, 1930, p. 648; *Periodica*, 1933, p. 196-201.

[3] **Lugo,** disp. XIX, n. 30; **Ball. P.,** n. 631-635.

Art. IV. De jurisdictione Religiosorum [1].

Qua de re *Codicis* regulas exponimus.

432. (**A**) Religiosi etiam exempti jurisdictionem ad recipiendas confessiones sæcularium aut religiosorum accipiunt ab *Ordinario loci* in quo confessiones excipiuntur : eadem vero uti nequeunt sine licentia saltem præsumpta sui superioris. Ordinarii autem jurisdictionem habitualiter non concedant nisi religiosis a proprio superiore præsentatis, nec eam sine gravi causa denegent iis qui a superiore præsentantur; quod tamen fieri non debet sine prævio examine quo idonei reperti fuerunt, excepto casu sacerdotis cujus theologica doctrina aliunde comperta fuit [2].

433. In religione *clericali exempta* ad recipiendas confessiones *professorum, novitiorum, aliorumve in religiosa domo diu noctuque degentium causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmæ valetudinis*, jurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem *Superior* ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero sæculari aut alius religionis [3].

434. In religione *laicali exempta*, Superior proponit confessarium, qui tamen jurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur [4].

435. Quoad *novitiatus* et *Seminaria* hæc notetur restrictio : "*Magister novitiorum* ejusque socius, *superior Seminarii collegiive* sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant" [5]. Item *Superiores religiosi* possunt, jure servandis servatis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant [6]. Imo "omnes religiosi superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiæ manifestationem sibi peragendam. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum superioribus valeant" [7].

436. **(B) De absolutione ipsorum Religiosorum** [8]. (a) In singulis religionis *clericalis* domibus deputentur plures confessarii

---

[1] Agitur tum de religiosis votorum simplicium, tum de religiosis Ordinum seu *regularibus*. Cfr. *Codex*, c. 488, 804. — [2] *Codex*, c. 874, 877.
[3] *Codex*, c. 875, § 1. — [4] *Codex*, c. 875, § 2. — [5] *Codex*, c. 891.
[6] *Codex*, c. 518, § 2. — [7] *Codex*, c. 530. — [8] Pro novitiis, c. 566.

legitime approbati cum potestate absolvendi etiam a casibus in religione reservatis [1].

437. (b) Religiosus, etiam exemptus, ad suæ conscientiæ quietem, adire potest confessarium ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, et confessarius potest religiosum aliquem absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis [2].

438. (c) In *laicalibus* virorum religionibus deputetur confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id ægre ferre demonstrans [3]; nullibi tamen decernit *Codex* invalidas esse confessiones quas faciunt religiosi apud alium confessarium. Aliter de monialibus, can. 876.

Art. V. De jurisdictione quoad Religiosas [4].

Religiosarum confessarii, extra mortis periculum, duplicis sunt generis : aliis *specialis jurisdictio* necessaria est, aliis sufficit jurisdictio pro *mulieribus* audiendis.

439. 1° **De speciali jurisdictione requisita.** (a) *Necessitas specialis jurisdictionis* ita in *Codice* asseritur [5] : " Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum sæculares tum religiosi cujusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari jurisdictione indigent... Hanc jurisdictionem confert loci Ordinarius ubi religiosarum domus sita est ". Patet quod præfato canone agitur tantum de confessione religiosarum *in earum domo* facienda, quod satis innuitur ex can. 520-523, ubi sermo est de confessario tum ordinario, tum extraordinario pro confessionibus domi tantum audiendas. Ergo, salvis statutis diœcesanis, quilibet confessarius pro mulieribus approbatus absolvit religiosas in parochia commorantes, non tamen in domo religiosa viventes cum speciali sacello [6], si saltem in hac domo confitentur.

---

[1] *Codex*, c. 518, § 1. — [2] *Codex*, c. 519.
[3] *Codex*, c. 528. — [4] **A. M. de Sobradillo**, *Tractatus de religiosarum confessariis*, 1932. — [5] *Codex*, c. 876.
[6] **Sebastiani**, *Sum. Theol. Mor.*, n. 472; *Ami du Clergé*, 1923, 548.

440. (b) *Collatio jurisdictionis* sic determinatur : "Si religiosarum domus Sedi Apostolicæ immediate subjecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si Superiori regulari, hic confessarios Ordinario præsentat, cujus est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare, et superioris negligentiam, si opus sit, supplere" [1]

441. 2° **De confessario ordinario :** "Singulis religiosarum domibus *unus* duntaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universæ communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam justam causam sit opus altero vel pluribus" [2].

Ut tamen in tuto maneat libertas : "si qua religiosa, ad animi sui quietem et ad majorem in via Dei progressum, aliquem *specialem* confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat, qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiæ libertate" [3].

442. "Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat *ultra triennium;* Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel major religiosarum pars, earum quoque quæ in aliis negotiis jus non habent ferendi suffragium, in ejusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est" [4].

443. 3° **De extraordinario confessario.** Juxta *Codicem* [5] : (a) Extraordinarius confessarius cuique religiosarum communitati detur, qui *quater saltem in anno* ad domum religiosam accedat, et cui omnes religiosæ se sistere debent, saltem benedictionem recepturæ.

(b) Insuper Ordinarii designent aliquot sacerdotes pro singulis domibus, ad quos pro sacramento pænitentiæ in casibus particularibus recurrere eæ facile possint quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire. Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitæ liceat per se vel per alios, directe aut indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id ægre ferre. Antistita autem quæ contra hæc præscripta se gesserit, a loci Ordinario moneatur; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta S. Cong. de Religiosis [6].

---

[1] *Codex*, c. 525. — [2] *Codex*, c. 520, § 1. — [3] *Codex*, *ibidem*, § 2.
[4] *Codex*, c. 526. — [5] *Codex*. c. 521. — [6] *Codex*, c. 2414.

444. 4° De iis quæ utrumque confessarium spectant. (a) Quoad *dotes* requisitas, " in munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero sæculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia præstantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi justa causa, judicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes " [1].

(b) Quoad *novam deputationem* : Confessarius *ordinarius* non potest renuntiari extraordinarius, nec præter casus supra recensitos rursus deputari ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; *extraordinarius* vero immediate ut ordinarius renuntiari potest [2].

(c) Quoad *regimen communitatis*, confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immisceant [3].

(d) Quoad *amotionem* confessariorum, " loci Ordinarius potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales Regularibus subdantur " [4].

445. 5° Quando sufficit jurisdictio pro mulieribus audiendis? Præter periculum mortis, in duplici casu non requiritur specialis jurisdictio.

(a) Religiosæ omnes, cum *graviter ægrotant*, licet mortis periculum absit, *quemlibet* sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere [5].

(b) Ex can. 522, ad conscientiæ suæ tranquillitatem, religiosa potest adire aut vocare quemlibet confessarium pro mulieribus approbatum, et confessio licita et valida est, dummodo fiat in ecclesia vel oratorio etiam semipublico, aut in loco ad audiendas confessiones mulierum vel religiosarum legitime destinato (sive habitualiter sive per modum actus), aut in loco legitime electo ad normam can. 910, § 1 : extra illa loca invalida esset [6].

---

[1] *Codex*, c. 524, § 1. — [2] *Ibid.*, § 2.
[3] *Ibid.*, § 3. — [4] *Codex*, c. 527.
[5] *Codex*, c. 523.
[6] *Com. Int.*, 24 nov. 1920; 28 dec. 1927; 12 feb. 1935.

Art. VI. De limitatione jurisdictionis seu casuum reservatione [1].

446. Prænotanda. (a) Ut diximus n. 122, *jurisdictio variis modis limitari potest a legitimis superioribus*, sive quoad *homines*, sive quoad *locum* et *tempus*, sive quoad *peccata*, quatenus superior sibi reservare potest absolutionem a gravioribus peccatis.

(b) Quando jurisdictio limitatur quoad peccata, adest *casus reservatus*, qui definiri potest *peccatum, cujus absolutio non committitur cuivis confessario, sed manet penes Superiorem legitimum aut ejus delegatum.* Reservatio igitur in eo consistit quod negatur alicui sacerdoti potestas absolvendi a quibusdam peccatis gravioribus, concessa facultate a ceteris absolvendi; directe igitur confessarium afficit, ejus potestatem restringendo, et indirecte tantum pœnitentem.

(c) Peccata triplici modo reservari possunt ratione motivi: 1° *ratione sui et sine censura;* 2° *ratione sui et cum censura* (cc. 894, 2363); 3° *ratione censuræ* (cc. 2260, § 1; 2275, n. 2; 2250, § 2). — Hic agemus de peccatis reservatis ratione sui.

Quibus positis, dicemus 1° de *potestate reservandi;* 2° de *conditionibus* ad reservandum requisitis; 3° de *præcipuis casibus* reservatis; 4° de *absolutione* a reservatis.

§ I. De potestate reservandi.

447. 1° *Existentia hujus potestatis.* De fide est, ex *Tridentino* [3], **Episcopis inesse potestatem sibi reservandi casus, non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo:** "Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacer-

[1] **Suarez,** disp. XXIX-XXXI; **Lugo,** disp. XX; **Salmant.,** cap. 13; **Lacroix,** n. 1599-1698; **Pauwels,** *de Casibus reservatis,* (**Migne,** *Theol. Curs.,* t. XVIII, p. 935-1604); **Elbel-Bierbaum,** *Conf.* 13-14; **S. Alphons.,** n. 578-602; **Lehmk.,** n. 520-540; **Marc,** n. 1766-1779; **Genicot,** n. 342-350; **Noldin,** n. 355-362; **Prümmer,** 418-430; **P. Chrétien,** p. 59-95; **Farrugia,** *De casuum reservatione,* Taurini, 1922; **Dargin,** *Reserved Cases,* Washington, 1924.

[2] Censura, de qua in speciali Tractatu agitur, est pœna spiritualis ac medicinalis, qua homo baptizatus, delinquens et contumax, per Superiores ecclesiasticos, quorumdam spiritualium bonorum usu privatur. Triplex distinguitur: *excommunicatio, suspensio* et *interdictum.* — [3] Sess. XIV, can. 11, **D. B.,** 921.

dos a reservatis vere absolvat; A. S." — Quod etiam patet ex *Codice*, c. 893, infra allegato, n. 448.

Finis autem propter quem casus reservantur est triplex: (a) *pœnalis*, ut graviora delicta gravius puniantur, dum delinquentes coram judice superiori comparere coguntur, et ab eo difficiliorem pænitentiam accipere; (b) *medicinalis*, tum quia difficultas absolutionis obtinendæ a peccatis reservatis magis deterret, tum quia Superiores ecclesiastici, utpote doctiores ac prudentiores, magis idonei censentur ad graviores morbos spirituales curandos; qui finis raro attingitur, cum delinquentes ab ordinariis confessariis absolvantur facultatem absolvendi obtinentibus; (c) ad aptius providendum ecclesiasticæ *disciplinæ* (*Codex*, c. 2246, § 1).

448. 2° *De iis qui peccata reservare possunt.* **Potestas reservandi iis omnibus competit qui ordinario jure possunt potestatem audiendi confessiones concedere aut ferre censuras.** Certum est ex *Codice*: "Qui ordinario jure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario Capitulari et Vicario generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare judicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes. Hæc avocatio dicitur *reservatio* casuum" [1].

Hinc: (A) *Summus Pontifex* casus reservare potest pro tota Ecclesia; cum enim suprema potestate in universam Ecclesiam polleat, majores causas ad suum tribunal evocare potest pro utroque foro, ac consequenter easdem episcoporum judicio subtrahere, ut dictum est in *Tr. de Ecclesia*, n. 853.

449. (B) *Episcopi* casus sibi reservare possunt pro suis diœcesibus, sed "peccata ne reservent nisi, re in Synodo diœcesana discussa, vel extra Synodum auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suæ diœcesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit" [2]. — Vide n. 450 alias conditiones servandas.

(C) "Inter superiores religionis clericalis exemptæ unus Superior generalis, et in monasteriis sui juris Abbas cum proprio cujusque consilio, peccata subditorum reservare possunt, firmo præscripto can. 518, § 1, 519" [3].

---

[1] *Codex*, c. 893, § 1. — [2] *Codex*, c. 895. — [3] *Codex*, c. 896.

B. Censure as mortal sin must be grievous matter, full consent & sufficient reflection. He has to know there is

(D) *Parochi* jurisdictionem non conferunt (c. 874, § 1), et proinde eam limitare non possunt.

§ II. De conditionibus ad peccatum reservandum requisitis.

450. 1° Ut peccatum aliquod reservationi subjaceat, quatuor conditionibus vestiri debet; requiritur ut sit : —

(A) **Mortale,** non solum ratione *objecti*, sed etiam ratione *subjecti*, id est cum plena advertentia ac pleno consensu commissum; frustra enim venialia reservarentur, cum nulla sit obligatio ea confitendi. — Insuper peccator cognoscere debet specialem malitiam propter quam peccatum reservatur: v. g., si incestus in secundo gradu reservatur, reservatio non incurritur ab eo qui peccat cum consanguinea, si nesciat incestum in hoc gradu a simplici fornicatione specifice differre; quæ tamen ignorantia de facili non est supponenda.

(B) **Externum** simul ac internum; quamvis enim Ecclesia interna peccata reservare posset, quum hic agatur de foro interno, hoc facere non consuevit, ne locus detur anxietatibus, quæ sæpe occurrunt de cogitationibus, utrum videlicet quis eis consenserit vel non. Imo, juxta communem sententiam, actio externa secundum se gravis esse debet; si ergo esset levis, quamvis actus internus grave peccatum esset, reservatio non incurreretur, v. g., si quis graviter clericum percutere intendens, leviter eum tangeret. — Necesse tamen non est ut peccatum sit publicum, vel in alicujus notitiam venerit; sufficit ut exterius committatur, quamvis occulte.

(C) **Completum,** seu consummatum in specie quæ reservatur; nam reservatio, utpote pœnalis et odiosa, est restringenda. Unde ubi homicidium est reservatum, mera criminis attentatio (vulnus infligendo vel venenum præbendo) non sufficit, sed requiritur ut mors sequatur. Excipe tamen si hæc ipsa attentatio reservetur, v. g., non solum duellum perpetrantes, sed etiam ad illud provocantes, in casum reservatum incidunt (*Codex*, c. 2351).

(D) **Certum,** id est certo reservatum, certo commissum et certo mortale; hinc si serio dubitetur utrum lex reservans

se extendat ad hunc casum, vel utrum peccatum revera commissum fuerit, vel utrum sit grave subjective vel objective, non incurritur reservatio : odiosa enim sunt restringenda. Cf. c. 2245, § 4.

451. 2° *Controvertebatur* olim utrum necne impuberes, — id est mares ante annum decimum quartum, feminæ ante duodecimum, — reservationem incurrerent. Codex autem nullatenus eximit impuberes a reservatione peccatorum.

452. 3° Num *ignorantia* excusat a reservatione?

(**A**) Si peccatum reservatur *propter censuram annexam*, reservatio non existit si propter ignorantiam censura non incurritur. Quando autem ignorantia excusat a censura, dicitur in Tract. *de Censuris* (*Codex*, c. 2229).

453. (**B**) Si peccatum reservatur *propter se* : (**a**) quidam affirmant non incurri reservationem [1], quia reservatio est pœna medicinalis, statuta ad deterrendos homines a certis gravioribus peccatis; atqui reservationem ignorans non deterretur ab his peccatis; ergo pro eo cessat finis reservationis, proindeque ipsa reservatio. — Hi tamen fatentur pænitentem, qui reservatum commisit, regulariter de reservatione monendum esse, ut in posterum ab hoc peccato deterreatur. (**b**) Communior autem sententia tenet, cum *S. Alphonso* (n. 581), reservationem etiam ab ignorantibus incurri; nam reservatio non est directe pœna respiciens pænitentes, sed ex c. 893 avocatio casus ad judicium superioris, quâ *limitatur* in inferiori potestas absolvendi; hinc nihil possunt sacerdotes in peccatis reservatis, quia carent jurisdictione super illis. Quæ sententia haud parum confirmatur responsione *Comm. Interpr. Cod.* (24 nov. 1920), vi cujus *peregrini* tenentur reservationibus loci in quo degunt; hi enim plerumque reservationes alienæ diœcesis ignorant. — In praxi : cum episcopi casus sibi reservant, convenit ut aliquo modo circa ignorantes mentem suam aperiant.

Unicum, ex *Codice*, est peccatum ratione sui Sanctæ Sedi reservatum, falsa nempe delatio de crimine sollicitationis (can. 894). Verba *Benedicti XIV* [2], talem reservationem statuentis, interpretari poterant de reservatione pœnali et medicinali quæ ab ignorantibus non incurrebatur; sed cum *Codex* circa idem peccatum *et* reser-

[1] **Salmant.**, Tr. XVIII, cap. 6, n. 12; **Ball. P.**, n. 772 sq.
[2] **Const.** *Sacramentum Pænitentiæ.*

vationem *ratione sui* (can. 894) *et* excommunicationem pariter reservatam (can. 2363) statuerit, certum est reservationem peccati incurri etiam ab eo qui propter ignorantiam censuram non incurrit.

454. 4° *De conditionibus servandis in reservatione* 1) "Casus reservandi sint pauci omnino, tres scilicet vel, ad summum, quatuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis"; 2) "ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam" [1]; 3) "prorsus ab iis peccatis sibi reservandis *omnes* abstineant quæ jam sint Sedi Apostolicæ etiam ratione censuræ reservata et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a jure imposita sit" [2]; 4) "statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles judicaverint, curent locorum Ordinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eædem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant" [3].

§ III. De præcipuis casibus reservatis.

Who can

Triplicis generis distinguuntur casus reservati : *papales*, *episcopales et regulares*, prout reservantur *Papæ*, *Episcopo*, vel *Superiori* regulari. — De quibus iterum monemus hic non agi de casibus reservatis cum censura.

455. 1° *Casus papalis* unus est tantum ex Codice, *calumniosa scilicet denuntiatio confessarii* de crimine sollicitationis [4], quando videlicet quis confessarium innocentem tanquam reum sollicitationis ad turpia, apud judices *ecclesiasticos*, falso accusat sive per se sive per alium. Qui casus ita reservatur, ut ab eo absolvere nequeant etiam ii qui potestatem obtinent absolvendi a censuris specialiter R. Pontifici reservatis, nisi *expresse* in concessione enumeretur : hinc *specialissime* reservatus dici potest.

De expresso Summi Pontificis mandato, Eoque approbante et confirmante, S. Pænitentiaria (16 nov. 1928) statuit Sanctæ Sedi reservari peccatum confessariorum sacramentaliter absolventium quos quomodocumque noverint factioni "*L'Action Française*" actu adhærentes quique ab ipsis, uti tenentur, moniti, ab ea se retrahere renuunt. ∎

---

[1] *Codex*, c. 897. — [2] *Codex*, c. 898. — [3] *Codex*, c. 899.

[4] *Codex*, c. 894 — Cfr. **Benedict. XIV**, Constit. *Sacrament. Pænitentiæ*. — Ut casus reservetur, falsa denuntiatio fieri debet apud superiores seu judices ecclesiasticos; si fiat apud alios, non est reservatio peccati, neque censura (c. 2363). — [5] Hujus reservationis ea vis est ut in illis quoque casibus, in quibus juxta

456. 2° *Casus episcopales* nulli reservantur *jure communi*, sed aliqui Ordinario reservari possunt *jure particulari*, sive per Concilia plenaria aut provincialia, sive per *Statuta* diœcesana; quæ proinde attente legere oportet, ut quisque apprime sciat quinam casus in sua propria diœcesi reserventur.

3° *Casus regulares* in unaquaque religione assignantur. De iis autem non est cur simus solliciti cum omnis confessarius possit ab iis absolvere religiosos (*Codex*, c. 519).

§ IV. De absolutione a casibus reservatis.

1° Principia.

457. (A) A casibus reservatis absolvere possunt : (a) **ordinaria potestate** ipse *reservans*, ejus in munere *successor*, vel ejus *superior*, dummodo in reservantis subditos veram jurisdictionem habeat (v. g., S. Pontifex); nam hi omnes possunt reservare; ergo et a reservatis absolvere, quum eadem potestas sufficiat ad tollendam ac ad statuendam reservationem.

458. (b) **Delegata potestate** ii omnes qui hanc specialem facultatem obtinuerunt a legitimo Superiore, ab eo nempe qui potest delegare. — Unde a casibus papalibus absolvere possunt potestate *delegata :* episcopi et sacerdotes delegati a S. Sede, vel ab alio superiore facultatem subdelegandi habente. Delegatio enim semper requiritur ad absolvendum a peccato Sedi Apostolicæ reservato etiam sine censura.

Insuper in *articulo et periculo mortis*, quilibet sacerdos ab omnibus reservatis absolvere potest (c. 882).

459. (B) " *Quælibet reservatio, etiam pontificia, omni vi caret :* 1) cum confessionem peragunt sive ægroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; 2) quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii judicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi pænitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; 3) extra territorium reservantis, etiamsi duntaxat ad absolutionem obtinendam pænitens ex eo discesserit " [1].

canonicas dispositiones quævis reservatio cessat, onus adhuc remaneat prædictis sacerdotibus ad S. Pænitentiariam recurrendi, sub pœna excommunicationis specialiter Sanctæ Sedi reservatæ, intra mensem a die obtentæ sacramentalis absolutionis, vel postquam convaluerint si ægroti, et standi ejus mandatis.

[1] *Codex*, c. 900 — Cfr. *Com. Pontif.*, 10 nov. 1925.

Ex hoc igitur canone, si facultas non possit a Superiore peti sine gravi pænitentis incommodo, Confessarius quilibet *directe* de reservatis absolvere potest. Illud autem incommodum sane gravius exigi non debet ac illud quod sufficiens reputatur ab ipso *Codice* (c. 2254), pro immediata absolutione a *censura* reservata : "si durum sit pænitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut superior competens provideat". Nullibi vero exigitur ut tali modo absolutus a casu reservato sine censura recurrat postea ad superiorem facultate præditum.

460. (C) Quoad *peccata ab Ordinariis reservata, hæc notentur*[1] : "Facultas absolvendi a reservatis *ipso jure* competit canonico pænitentiario"; "habitualiter *impertiatur* saltem vicariis foraneis, addita, præsertim in locis diœcesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant"; "*ipso jure* a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in jure censentur, toto tempore ad præceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat".

2° Notanda quoad praxim.

Has to be certainly a reserve sin or cen

461. (a) Quando pænitens peccatum reservatum (a Papa aut Ordinario) accusat, statim confessarius expendat utrum adsint necne omnes conditiones ad incurrendam reservationem necessariæ. Si constat peccatum vere esse reservatum, ac simul confessarius debitis facultatibus caret, tunc, nisi sit urgentia, moneat pænitentem ut vel Superiorem adeat, vel post paucos dies redeat, quando videlicet necessariæ facultates obtentæ fuerint : hoc ultimum generatim eligent pænitentes; quo casu cetera peccata declarare eis permitti potest.

(b) Confessarius, specialibus facultatibus carens, qui *scienter*, extra necessitatis casum, a peccatis reservatis absolvit, *graviter* peccat et ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus[2]; attamen absolutio valida est, si simul cum reservatis aliud peccatum declaratum est : directe enim remisso peccato non reservato, indirecte alia remittuntur, si pænitens sit bonæ fidei.

[1] *Codex*, c. 899. — [2] *Codex*, c. 2366.

Si vero *ex inadvertentia* aut *ex ignorantia* id factum fuerit, posteaque confessarius id animadvertat, debet pænitentem admonere de errore commisso, si facile fieri potest, ut error reparetur; secus, in bona fide eum relinquat. — Si pænitens ipse postea cognoscit (quod raro occurrit) se a peccato reservato indirecte tantum fuisse absolutum, hoc peccatum accuset confessario speciali facultate munito; cetera autem peccata repetere non tenetur.

(c) Valde probabiliter reservatio tollitur per confessionem nullam aut sacrilegam, factam apud confessarium qui facultate gaudet a reservatis absolvendi, dummodo non reticeatur ipsum peccatum reservatum; cum enim Superior jam de casu reservato judicaverit ac congrua remedia proposuerit, cessavit reservationis ratio. — Idem dic *probabiliter*, si peccatum reservatum, in confessione non sacrilega, ex oblivione omissum fuerit; nam Superior, per absolutionem indirectam, reservationem censetur abstulisse.

Excipitur tamen, juxta *S. Alphonsum* [1], confessio *invalida*, sive culpate sive inculpate facta in *jubilæo*, cum Pontifex non conferat facultatem a reservatis absolvendi, nisi ut fideles jubilæum lucrentur. Si vero confessio valida fuerit, quamvis peccatum reservatum ex oblivione omissum fuerit, reservatio tollitur [2].

462. (d) Quando alicui confessario conceditur facultas a reservatis absolvendi, quædam apponuntur conditiones, sive generales, sive speciales.

1) *Generales* sub hac formula exprimi solent : *injunctis de jure injungendis.* Sex numerantur : *reparatio damni; reparatio scandali; remotio occasionis peccandi; promissio* de crimine non amplius perpetrando; *promissio* adimplendi quæ Superior præscripsit vel postea præscribendum judicabit; *acceptatio* specialis pænitentiæ.

2) *Speciales* autem variæ sunt secundum varios casus, et inveniuntur in pagella a Superiore missa, quæ proinde sedulo legenda est.

(e) *Nulla* specialis forma requiritur pro absolutione a peccatis *sine censura* reservatis.

[1] Lib. VI, n. 598.
[2] Cfr. **Lugo**, disp. XX, n. 99.

CAPUT II.

DE MINISTRI OFFICIIS.

Dicemus : 1° de ejus officiis quoad *omnes pœnitentes in genere;* 2° de ejus officiis quoad *varia pœnitentium genera;* 3° de quibusdam *abusibus vitandis.*

Art. I. De Ministri Officiis in genere.

Prænotanda [1].

463. 1° Præcipuum munus quod confessarius in sacro tribunali exercet est *judicis* officium : aperte sequitur ex eo quod sacramentum Pænitentiæ *ad modum judicii* ministratur. Quia vero hoc sacramentum non solum ad *præterita* peccata delenda institutum est, sed etiam ad *futura* præcavenda, confessarius partes *medici* etiam agere debet, opportuna *remedia* suggerendo [2]. Cum autem una ex humanis infirmitatibus sit ignorantia, quæ nonnisi salutari doctrina curari possit, necesse est ut officio *doctoris* fungatur, ignorantes instruendo. Hæc autem varia munera eo tendunt ut vitam spiritualem *generent* vel *nutriant;* proindeque confessarius vere est pænitentium spiritualis *pater*, suaque munia fructuose exercere nequit nisi paterno affectu eos diligat, *S. Pauli* vestigiis inhærens dicentis [3] : " Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis ".

464. 2° Dum autem confessarius sua varia munera exercet, tria respicere debet : (A) *bonum sacramenti;* videlicet quatenus fidelis *minister*, procurare debet, in quantum fieri potest : (a) *validitatem* sacramenti, quæ a recto materiæ ac formæ usu pendet; (b) ejus *integritatem*, quoad peccatorum accusationem et satisfactionis impositionem; (c) ejus *legitimam administrationem*, servando ea omnia quæ ab Ecclesia præscribuntur, et curando ut nihil fiat quo sacramentum pænitentibus reddatur odiosum.

(B) *Bonum pœnitentis;* nam sacramenta sunt propter homines. Hinc pænitentem adjuvabit : (a) ut peccata integre confiteatur;

---

[1] **S. Alphons.**, *Praxis Confessarii*, cap. I; **Lehmk.**, n. 541; **Berardi**, *Praxis*, n. 4701; **Gaume**, *Manuel*, ch. I; **Aertnys**, *Théol. Pastoralis*, n. 26 sq. — [2] *Codex*, c. 888, § 1. — [3] *Galat.*, IV, 19.

(b) eadem supernaturali odio detestetur, opportuna contritionis motiva proponendo; (c) ut futura præcaveat peccata, salutaria remedia præscribendo.

(C) *Bonum publicum*, i. e., non solum ipsius pænitentis, sed etiam aliorum fidelium, cavendo v. g., ne frequens ac protracta quorumdam confessio, aut absolutionis concessio vel denegatio aliquod causet scandalum aliudve malum in communitate, et præsertim moralia principia integre tradendo et mores corrigendo.

Ut autem hæc omnia ordine chronologico simul et logico comprehendamus, dicemus de officiis confessarii : 1° *ante* actum confessionis; 2° *in* ipso confessionis actu; 3° *post* confessionem.

§ I. De officiis confessarii ante confessionis actum.

Hæc officia duo sunt : 1° obligatio audiendi confessiones; 2° obligatio ad confessiones excipiendas sese præparandi.

I. De obligatione confessiones audiendi [1].

Obligatio hujusmodi oritur vel ex *justitia*, vel ex *caritate*.

465. 1° *Ex justitia pastores, aliique sacerdotes curam animarum vi muneris habentes, tenentur sub gravi, sive per se, sive per alios, confessiones audire subditorum suorum, quoties hi rationabiliter audiri petunt* [2]. Certum est.

Qui enim curam animarum in se suscipiunt ad hoc se obligant ex tacito contractu cum subditis suis, a quibus sustentationem accipiunt sub conditione ministrandi sacramenta; et cum Superiore ecclesiastico, qui non committit alicui curam animarum nisi sub conditione quod munera hujus officii fideliter adimpleantur : jamvero unum ex his officiis est audire confessiones subditorum [3].

466. Corollaria. (a) In casu *extremæ necessitatis*, quando videlicet instat certum periculum damnationis, v. g., si quis morti proximus in peccato mortali versatur, et remedium aliud non habet præter confessionem, quia v. g., nescit quomodo actum contritionis

[1] **Suarez**, disp. XXXII, sect. 1; **Lugo**, disp. XXII, n. 1-13; **Billuart**, diss. VI, a. 10, § 1; **Marc**, n. 1802-1803; **Hilar. Sexten.**, § 46, p. 404-405; **Merkelbach**, *De Pœnitentiæ ministro*, cap. III, q. 2, a. 1. — [2] *Codex*, c. 892, § 1. [3] Cfr. *Syn. Theol. Dogmat.*, De Sacramentis, n. 104.

perfectæ eliciat, proprius pastor tenetur sub gravi, *etiam cum periculo vitæ*, suum subditum absolvere; bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis. — Imo idem communiter docetur in casu *quasi-extremæ necessitatis*, nempe quando quis in *probabili* periculo damnationis versatur, v. g., si agitur de peccatore moribundo, qui parum christiane vivebat, et potest quidem elicere perfectam contritionem, sed solum cum magna difficultate [1]. Quod confirmari potest ex decreto *S. Cong. Concilii*, 1576, ubi declaratur " parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et *Pœnitentiam* " [2].

(b) In casu autem *gravis necessitatis*, videlicet quando sine confessione grave spirituale damnum incurrent, reparabile tamen, — v. g., si peccatores gravi morbo laborant, vel sub gravi ad confitendum tenentur, aut etiam si fideles gravibus tentationibus impugnantur, quæ difficile, sine recursu ad sacrum tribunal, superari possunt, — pastores aliique animarum curam habentes sub gravi tenentur subditorum confessiones audire, etiam cum gravi incommodo. — Relate ad *infirmos*, hæc attendantur *S. Caroli Borromæi* verba [3] : " Quacumque vero diei vel noctis hora ad sacramenta infirmis ministranda parochus vocabitur, nullam moram interponet; imo populum præmonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis, neque loci distantis, etc., ratione ".

(c) In *communi necessitate*, quando scilicet pænitentes *rationabiliter* petunt, i. e., propter veram spiritualem utilitatem, tenentur quidem pastores aliique ex officio ministri audire confessiones subditorum, ita tamen ut, propter legitimum impedimentum, ad modicum tempus pænitentes remittere possint [4]; quum enim non sit urgens necessitas, lex non obligat cum tanto incommodo.

Hinc graviter peccant si declarent se nolle confessiones audire nisi raro et paucis diebus determinatis, v. g., semel aut bis quolibet mense; aut sæpe se difficiles ac morosos præbent in excipiendis confessionibus; sic enim confessio odiosa redditur, et fideles non pauci ab ejus praxi deterrentur.

---

[1] Ita **Lugo**, disp. XXII, n. 10; **S. Alphons.**, *H. A.*, Tr. VII, n. 28.

[2] Apud **S. Alphonsum**, l. c.

[3] *Acta Eccl. Mediolan.* part. 4; ap. **S. Alphons.**, n. 58.

[4] Bonus pastor nonnisi raro, et propter gravem rationem pænitentes ad aliud tempus remittet, sed potius in praxim adducet hoc monitum *Conc. Plen. Baltimorensis II* (n. 280) : " Promptum semper paratumque se exhibeat, cum fuerit ad hoc munus obeundum accersitus, præsertim ab egenis et vilioris conditionis hominibus, atque iis quos peccatorum sarcina onustos esse, aut a confessione diu abfuisse noverit ".

(d) Si parochus idoneos coadjutores habet, non tam stricte obligatur ad excipiendas confessiones per seipsum, sed per vicarios huic officio satisfacere potest, nisi nominatim requiratur. Attamen omnino decet ut pastores hac in re bonum exemplum vicariis præbeant.

467. 2° "Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes". (*Codex*, c. 892, § 2).

(a) In casu *extremæ necessitatis*, quando moribundus non potest moraliter actum contritionis elicere, tenentur eum absolvere, etiam cum *periculo propriæ vitæ*, deficiente proprio sacerdote.

(b) In casu *quasi-extremæ necessitatis*, quando moribundus nonnisi difficile actum contritionis perfectæ elicere potest, simplex sacerdos tenetur, deficiente proprio sacerdote, audire confessionem, etiam cum *gravi incommodo*. Controvertitur autem utrum ad id teneatur, etiam cum *vitæ periculo;* communior sententia affirmat, post *S. Alphonsum* [1], quia si moribundus inabsolutus relinquitur, in probabili damnationis periculo manet; jamvero ordo caritatis postulat ut exponamus vitam nostram temporalem probabili periculo ad eripiendam vitam spiritualem proximi ab æquali periculo. — Probabiliter tamen alii cum *Lugone* [2] negant, quia dum proximus absolute potest seipsum a periculo liberare, non tenemur cum tanto incommodo succurrere ei qui minori expensa potest sibi subvenire. Excipitur tamen, juxta eosdem, casus quo tota communitas in necessitate gravi versaretur, v. g., grassante morbo contagioso et gravi : tunc etiam simplex sacerdos, pastore deficiente, confessiones audire teneretur, etiam cum periculo vitæ; quia in necessitate gravi communitatis vix fieri potest quod non sit necessitas extrema respectu aliquorum [3].

Notandum. Ut gravis adsit obligatio confessiones excipiendi cum propriæ vitæ periculo, tria requiruntur: 1) ut necessitas proximi sit moraliter certa, — 2) ut pariter certa sit spes valide absolvendi moribundum, — 3) ut ex morte sacerdotis majora mala non sequantur, v. g., probabilis damnatio plurium aliorum, si non sit alius sacerdos in hoc loco.

II. De obligatione sese præparandi ad confessiones excipiendas.

Confessarius ad confessiones excipiendas sese præparare debet, qualitates acquirendo necessarias ad hoc munus rite

[1] **S. Alphons.**, *H. A.*, Tr. XVI, n. 125.
[2] **Lugo**, disp. XXII, n. 12. — [3] Ita **Lugo**, l. c., n. 13.

Fr. Haney "Retreat Conferences for Priests"

adimplendum : ex parte *intellectus*, scientiam et prudentiam; ex parte *voluntatis*, bonitatem vitæ.

468. 1° **De scientia confessario necessaria**[1]. *Confessarius peccat graviter si confessiones audit absque scientia quæ dicitur competens*, i. e., ea qua possit casus solvere qui communiter occurrunt in loco ubi confessiones audire solet, et de difficilioribus saltem prudenter dubitare, ut libros vel alios doctiores consulere valeat.

Nam, deficiente hac scientia, proximo ac moraliter certo periculo se exponit munus suum male explendi, cum injuria sacramenti et pænitentium damno. Hinc merito ait *S. Alphonsus*[2] : "Affirmo in statu *damnationis* esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia, ad confessiones excipiendas se exponit".

Nec dicatur *sanum sensum* seu *naturale judicium* ad casus solvendos plane sufficere. — Sufficit quidem ad prima principia morum cognoscenda, non autem ad ultimas horum conclusiones : nec ad detegendas leges positivas circa vota, justitiam, sacramentorum administrationem, jurisdictionis ambitum et limites, casus reservatos, matrimonii impedimenta ac dispensationes, aliaque hujusmodi. Aliunde naturale et sanum judicium, quod ad principiorum et regularum applicationem non solum utile sed necessarium est, non parum juvatur theologiæ studio, ubi invenire est monita, ac consilia, quæ sensus communis sapientium per plura sæcula elaboravit ac digessit.

Neque sufficit experientia sola : hæc quidem multum prodest, præsertim ad interiores pænitentium dispositiones melius scrutandas, necnon regulas applicandas secundum varias locorum, temporum ac personarum circumstantias. Sed, absque scientia, parum inservit et aliquando multum nocet; non desunt enim confessarii qui, post triginta vel quadraginta annos in exercitio sacri ministerii consummatos, casus solvant contra omnia sanæ doctrinæ principia, quia ab initio id facere solebant; et, ut recte advertit *Habert*[3], "diuturna confessarii experientia, qui studio et scientia careat, vetustas erroris est".

---

[1] **Suarez**, disp. XXVIII, sect. 2; **Lugo**, disp. XXI, n. 70-74; **Salmant.**, cap. 12, n. 3-13; **Billuart**, diss. VI, a. 9, § 2; **S. Alphons.**, n. 626-628; **Lehmk.**, n. 566-570; **Marc**, n. 1786-1787; **Genicot**, n. 355-356; **Noldin**, n. 382-383; **Segneri**, *Il Confessore istruito*, ch. I; **Prümmer**, n. 432.

[2] **S. Alphons.**, *Praxis*, n. 18.

[3] **Habert**, *Praxis Sacram. Pænit.*, Tr. I, cap. 4; cfr. *Ami du Clergé*, t. XIX, 1898, Notes d'un Vieux Moraliste, pp. 1009, 1057 sq.

469. Corollaria. (a) Non eadem scientia in omnibus confessariis requiritur, sed major vel minor pro locorum ac personarum diversitate. Ita generatim major scientia necessaria est in civitate, ubi omnis generis pænitentes confiteri solent, quam in humili ac remoto pago, ubi nonnisi rudium ac simplicium confessiones excipiuntur.

(b) Peccat graviter sacerdos qui, dum certo noverit sibi competentem scientiam deesse, munus confessarii accipit; neque eum excusat jurisdictio ab Episcopo data, cum hæc supponat, sed non suppleat scientiam. In dubio tamen utrum desit vel non, judicium Episcopi sequi potest. — Graviter etiam peccat Episcopus confessarium approbans quem scit esse ignarum, quia sic ejus peccato cooperatur. Excusatur tamen si minus idoneum approbat pro locis exiguis et remotis, quando doctiorem invenire nequit.

(c) Sub gravi igitur tenentur Seminariorum alumni diu ac serio theologiæ studere, non solum dogmaticæ, sed etiam morali. — Præterea nullus confessarius, etiam approbatus, intermittere debet studium theologiæ, præsertim moralis; nam ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, præsertim ex iis quæ positiva lege præscribuntur et rarius occurrunt, multæ facillime e memoria decidunt, nisi iterum atque iterum legantur [1]. — Quapropter Ecclesia vult ut non solum apud sacerdotes sæculares, sed etiam apud regulares curam animarum habentes, frequenter habeantur *collationes* seu *conferentiæ pastorales;* ut tamen hæ vere utiles sint, necesse est ut qui in eis participant se ad eas præparent, probatos auctores consulendo; secus tempus incassum teritur [2].

(d) Quando difficiles occurrunt casus, non expedit eos statim solvere, sed dicendum est pænitenti ut det tempus rem maturius considerandi; interea vero hic absolvi potest, dummodo decisioni dandæ obedire paratus sit; ita enim multi præcaventur errores,

---

[1] **Benedictus XIV** asserere non dubitat (*Instit.*, XXXII, n. 4) "aliquos nempe sacerdotes, qui initio præclarissime *confessarii* munus susceperint, inde post diuturnum tempus omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis theologiæ scientiam amittere, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua confusaque ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur". — Cfr. *Concil. Plen. Balt. III*, n. 189.

[2] Hinc una ex quæstionibus quibus Episcopi respondere debent, dum relationem status ecclesiarum suarum conficiunt, hæc est "an habeantur conferentiæ theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ... et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur". Cfr. *Conc. Plen. Balt. III*, n. 189-193; *Collect. P. F.*, n. 108.

præsertim si libri aut doctiores consulantur. Imo neo-confessariis valde utile est, etiam quando casum statim solvere debuerunt, de eodem libros ac peritiores consulere, ut sic cognoscant utrum recte egerint an non; ita enim defectus admissi reparari possunt et futuri errores præcaveri.

470. 2° De prudentia in confessario requisita[1]. Scientiæ accedere debet *prudentia*. Prudens vero est confessarius qui facultate pollet generalia principia et præcepta variis pænitentibus applicandi, pro circumstantiarum varietate, ita ut eos tuto ad christianam perfectionem et vitam æternam perducat.

(a) **Necessitas.** Quæ quidem prudentia requiritur : in *interrogationibus*, quæ cujusque pænitentis indoli, ætati ac conditioni adaptari debent, cavendo præsertim ne simplices et innocentes ignota peccata doceat; — in *judicio ferendo* de moralitate et gravitate actionum, attentis non solum externis circumstantiis, sed etiam subjectivis cujusque dispositionibus; — in *contritione excitanda*, motiva proponendo juxta singulorum ingenium, indolem ac peccata; — in *remediis suggerendis*, quæ vere diversis spiritualibus morbis medeantur, causam tollendo peccatorum; — in *consiliis præbendis* sive ad varia statuum officia adimplenda, sive ad progressum in virtutum praxi; — in *satisfactionibus imponendis* non solum pro criminum qualitate, sed etiam pro pænitentium spiritualibus morbis et viribus; — in *absolutione* danda, differenda aut neganda, recte judicando de dispositionibus pænitentium, præsertim quando de occasionariis et recidivis agitur; — in excipiendis confessionibus *mulierum*, vitando quidquid alios vel seipsum scandalizare posset, ac pænitentibus ipsis aliquid detrimenti causare. Uno verbo in omni fere gressu cautus et circumspectus esse debet; nam "ars artium regimen animarum".

471. (b) **Media quibus prudentia acquiritur.** Imprimis prudentia ab eo postuletur qui est auctor sapientiæ; quum enim sit virtus supernaturalis, oratione obtineri et augeri maxime potest. — Conditiones autem, quæ ad hujus virtutis augmentum deside-

[1] **S. Alphons.**, *H. A.*, Tr. XXI, n. 4; **Habert**, *Pratique du Sacr. de Pénitence*, Paris, 1748, Tr. I, ch. 4, p. 100-131; **Aertnys**, Th. Past., n. 9-12; **Prümmer**, n. 433.

rantur, sunt, præter scientiam, de qua dictum est : *puritas intentionis;* Deus enim illuminare solet eos qui nihil nisi divinam gloriam quærunt, dum obcæcat vanos ac superbos; — *circumspectio*, qua morose consideret varias personarum ac casuum circumstantias, necnon principia quæ his circumstantiis sunt applicabilia; — *docilitas mentis*, quæ junioribus præsertim necessaria est : hæc autem postulat ut, sibi ipsis merito diffidentes, doctorum et expertorum frequenter consilia expetant : "Nullus in his quæ subsunt prudentiæ sibi quantum ad omnia sufficit", ut recte ait *S. Thomas;* — *diuturna praxis*, cum *scientia* et *circumspectione* conjuncta; qui enim per longum tempus attente conscientiarum latebras scrutaverint, et sæpe ab effectibus ad causas ascenderint, aut vice versa a causis ad effectus descenderint, multo melius norunt quomodo interrogare oporteat; quando pænitentes monere aut in bona fide relinquere; quibus modis in eorum animos sibi viam parare; quod nam judicium de dispositionibus ferre, etc.

472. 3° Bonitas vitæ in confessario requisita[1]. Hæc bonitas non consistit solum in statu gratiæ, qui certo requiritur ad vitandam sacrilegam hujus sacramenti administrationem; sed in complexu earum virtutum, quæ ad hoc munus fructuose obeundum desiderantur. Siquidem peccatorum ulcera, etiam turpissima, ita tractare debet, ut ipse non contaminetur; præterea alios in viam sanctitatis ducere debet.

473. **Præcipuæ virtutes,** quæ confessario necessariæ sunt ad munus suum fructuose obeundum, sunt :

(a) *Supernaturalis zelus animarum*, quo pænitentes speciali caritate diligat tanquam spirituales *filios* sibi a Deo commissos, ut eos ad æternam beatitudinem perducat. Quare non præferet divites et nobiles pauperibus et rudibus, devotas aut devotulas mulieres viris peccatis gravibus oneratis : omnes paterno affectu amplectetur, maxime vero eos qui miseriores sunt ac graviorum peccatorum rei. Mansuetum et benignum se omnibus ostendet : "Cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus caritas, quam potestas"[2].

(b) *Patientia*, quæ sane necessaria est ad ignorantes et rudes instruendos, ad disponendos eos qui imparati accedunt, præsertim

[1] **Habert**, *op. cit.*, Tr. I, ch. 2, p. 9-40; **Hilar. Sexten**, § 44, p. 387-391; **Gaume**, *Manuel*, n. 1-28; 129-166.

[2] *Trident.*, sess. XIII, cap. I de Reformat. — De paterna caritate erga pænitentes cfr. **S. Alphons.**, *H. A.*, Tr. XXI, n. 1-3.

si multum peccaverint ac vix contritionis scintillam habeant; ad benigne excipiendos eos qui prolixas instituunt confessiones, præsertim si confessarius jam per longas horas in sacro tribunali sederit.

(c) *Fortitudo*, ne ex vano timore ac pusillanimitate monere ac corripere omittat præsertim divites, nobiles ac potentes, eisque salutaria remedia præscribere.

(d) *Eximia puritas*, ne dum aliorum sordes mundat, ipse maculetur. Hinc, in confessione mulierum, ab omni verbo affectuoso generatim abstineat; cautus et brevis sit in interrogando de materia castitatis; oculos in vultum pænitentium non figat, nimiamque familiaritatem, sive intra sive extra confessionem devitet. Neque in præterita castitate nimis confidat, aut pænitentium sanctitate; nam, teste *S. Augustino*, etiam sanctissimi viri ceciderunt, et quo sanctiores sunt mulieres, eo magis alliciunt [1].

§ II. De officiis confessarii in ipso confessionis actu.

In ipso confessionis actu quatuor præsertim præstare debet confessarius : 1° ut *judex*, debet causam instruere et cognoscere per *legitimas interrogationes;* 2° ut *doctor*, pænitentem docere et monere; 3° ut *medicus*, ejus vulnera curare, eum disponendo ad absolutionem eique remedia præscribendo; 4° ut *minister simul et judex*, absolutionem dare aut differre.

1) Suppleant — 1) For integrity
subtilter 2) disponere
2) Integrant. 3) Conduct in purpose of amen

I. De obligatione interrogandi pænitentes [2].

474. (A) **Regula :** *Confessarius pænitentem interrogare tenetur, per se sub gravi, quoties probabiliter judicat eum, sive*

[1] Ita **S. Thomas** (*Opusc.* LVII, De modo confitendi, p. 439, t. XXVIII ed. Vivès) hæc *Augustini* verba referens : "Sermo brevis et rigidus cum mulieribus est habendus. Nec tamen quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendæ. Quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis". Ibidem S. Augustinus declarat magnos Prælatos corruisse, de quorum casu non magis præsumebat quam Hieronymi et Ambrosii.

[2] **S. Thom.**, *in 4*, dist. XIX, q. 2, a. 3 in Expos. textus; **Suarez**, disp. XXII, sect. 3; **Lugo**, disp. XXII, n. 14-22; **Salmant.**, cap. 12, n. 14-28; **S. Alphons.**, n. 629; **Marc**, n. 1804-1807; **Lehmk.**, n. 542-544; **Aertnys**, *Th. Pastor.*, n. 27-47; **Noldin**, n. 386-387; **Zelle**, *La Confession d'après les grands maîtres*, liv. II; **Timon-David**, *Traité de la Confession des enfants et des jeunes gens*, 11e éd., t. I, 2e p., ch. 7; **Desurmont**, *La Charité sacerdotale*, II, p. 123; **Gerster** ▪ **Zeil**, *De quæstionibus a confessario ponendis*, Œniponte, 1929.

culpabiliter sive inculpabiliter, omittere quædam scitu necessaria ad absolutionem. Certum est.

Probatur : (a) *Auctoritate Conc. Lateran. IV* aientis [1] : "Sacerdos autem sit discretus et cautus... diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati". Legitur pariter in *Rit. Romano* [2] : "Si pænitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget".

(b) *Rat. theol.* Confessarius enim, ut *judex*, cognoscere debet tum peccata quæ pænitens commisit tum ejus dispositiones; atqui haud raro pænitens, præ ignorantia aut confusione, peccata, vel saltem numerum aut circumstantias peccatorum tacet; sæpius nil de propriis dispositionibus dicit. — Præterea, ut *medicus*, opportuna remedia præscribere debet; jamvero ea suggerere nequit, nisi de occasionibus ac consuetudine necnon aliis peccati causis interroget, cum plerique pænitentes de his omnino taceant.

475. **(B) Corollaria.** (a) Confessarius interrogare non tenetur pænitentes qui ex una parte sufficienter instructi videntur, et ex altera diligentes sunt in confitendo, nisi tamen in aliquo casu ex eorum accusatione probabilitas oriatur aliquid scitu necessarium omitti. — E contra ordinarie interrogandi sunt qui raro sacrum tribunal accedunt, præsertim si parum instructi videantur.

Improbanda est igitur praxis eorum qui nunquam pænitentes interrogant, imo nec sinunt eos confessionem ad exitum perducere, sed, paucis peccatis auditis, statim absolutionem impertiuntur.

(b) Confessarius non tenetur ad minutiorem investigationem in interrogando quam pænitentes in confitendo; proinde illa diligentia sufficit quæ diversæ capacitati pænitentium proportionetur. Ita non tam accurate examinandus est rudis et incultus quam bene instructus, nec ægrotus quam sanus et robustus, quia illi ad tam minutum examen non obligantur [3].

(c) Si, ex levi negligentia, inadvertentia, memoriæ labilitate, aut distractione, vel defatigatione, confessarius aliquid inquirere omittat quod *ex se* necessarium sit ad integritatem confessionis, nullum aut leve erit peccatum; nam ad impossibile nemo tenetur. — Item, non peccat qui ab ulterioribus interrogationibus abstinet, ne confessionem odiosam reddat, quamvis prævideat protracta inquisi-

[1] D. B., 437. — [2] Ordo ministrandi Sacr. Pænit.
[3] Quod optime declarat **Lugo**, disp. XVI, n. 594.

V.B. Credendum est pœnitenti Tam pro se quam contra.

tione plura peccata detegi posse : melius est enim confessionem materiali integritate carere quam odiosam multis fieri.

476. (C) De qualitatibus interrogationis. Interrogatio debet esse *moderata*, *discreta*, *opportuna*.

(a) *Moderata*, id est, non de curiosis aut inutilibus, quæ confessioni extranea sunt, non de omnibus peccatis, sed solum de iis quæ verisimiliter a pænitente commissa sunt. Pariter quemque interroget secundum scientiam qua prædītus est, non autem secundum scientiam qua pollet ipse confessarius : proindeque si pueri, ignari, semifatui, etc., nonnisi confusam peccatorum notitiam habent, incassum aliquid magis præcisum exquiret.

Nec confessarius existimet necessarium esse certum proferre judicium de gravitate aut levitate omnium peccatorum quæ declarantur : dummodo scientia competenti polleat et dispositionum pænitentis sufficientem notitiam acquirat, judicium sapiens efformare potest, et cætera Deo relinquere.

477. (b) *Discreta*, seu *prudens*, tum in *rebus* de quibus interrogatur, tum in *modo* interrogandi, vitando ea omnia quæ pænitentes probabiliter scandalizare possent, aut ea docere quæ ignorare melius est.

Quod præsertim attendendum est in materia castitatis quoad juniores, qui forsan peccata hujusmodi adhuc non cognoscunt[1]. Aliunde, quum experientia constet peccata contra castitatem a quibusdam non accusari, nisi de eis interrogatio fiat, expedit quasdam quæstiones hac de re proponere, prudenter tamen. Videlicet confessarius utatur primum generalibus terminis, ita ut pænitentes, si reus sit, intelligat; si vero innocens, nil novi discat; v. g., numquid peccasti contra modestiam, decentiam, puritatem? — Postea a levioribus peccatis incipiat, et, secundum accepta responsa, ad graviora transeat; v. g., interroget de cogitationibus, — de verbis auditis vel prolatis, — de aspectibus, nimiis familiaritatibus, — tactibus cum seipsis, cum aliis, ejusdem vel alterius sexus, etc. — Notandum est tamen non paucos, rudes et ignaros, cogitationes et desideria non declarare, quia nesciunt accusanda esse peccata mere interna; unde etiam quando negative respondent de cogitationibus, de immodestis actionibus quæstio proponi potest; postea, si affirmative respondent, quæri potest utrum de his rebus etiam cogitaverint ante vel post actiones commissas, et desiderium habuerint eas sæpius perficiendi.

[1] "Sed caveat ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant". (*Rit Rom.*, I. c.) Cfr. *Codex*, c. 888, § 2.

Sedulo vitentur cum junioribus, qui innocentes præsumuntur, illa verba quæ periculosam curiositatem excitare valeant, prout sunt pollutio, fornicatio, sodomia, bestialitas, etc.

Quoad personas conjugatas, inquiri potest utrum officia sua erga alterum conjugem impleverint, quin expresse de debito conjugali mentio fiat, — vel numquid aliquid ipsos remordeat quoad matrimonii usum; si negative respondeant, nil amplius inquirendum, nisi specialis sit ratio; si affirmative, illas quæstiones proponere sufficiat quibus cognosci possit utrum voluntarie media sumant ad impediendam prolis conceptionem vel nativitatem.

N.B. Uno verbo, in hac materia, servanda est hæc regula ab omnibus fere tradita : *Melius est in multis deficere quoad integritatem, quam in uno abundare cum probabili ruina pœnitentis.*

478. (c) *Opportuna*, i. e., convenienti tempore ac modo facta.

Ante confessionem, si ignotus sit pœnitens, benigne inquiratur a quo tempore confessus sit — an absolutus — an circa vitam præteritam perfecte quietus? — Si inquietus sit, paternis verbis inducatur ad causam suæ anxietatis exponendam, dicendo v. g., omnem sollicitudinem facile candida confessione expelli posse, et omnia peccata, etiam gravissima, contritis corde dimitti. — Possunt quidem ab initio interrogationes fieri de statu et conditione; sed sæpe melius fiunt in decursu confessionis, data opportunitate, ne ab initio pœnitens quæsitis obruatur.

In ipso actu confessionis, generatim paucas et breves tantum, vel nullas, quæstiones proponat, v. g., de numero et circumstantiis speciem mutantibus. Patienter ac benigne audiat peccata quæ accusantur; si inutilia referuntur, comiter dicatur hæc dicere necessarium non esse; si maxima peccata declarantur, nullum detur admirationis vel horroris signum, sed potius pauca dicantur de misericordia divina, quæ gravissima delicta dimittit; si pœnitens hæret et nonnisi ægre sua peccata confitetur, paucis humanioribus verbis ad perfectam sinceritatem inducatur, et nonnullis quæstionibus juvetur. Ab omni increpatione abstineatur antequam confessio finiatur.

Post auditam confessionem, interrogari debet pœnitens de iis quæ probabiliter omisit, percurrendo ea quæ ipse declaravit. Si agitur de iis qui valde timidi sunt, sæpe prodest, post paternam exhortationem, immediate ante absolutionem, paterno affectu quærere utrum aliquid eorum conscientiam oneret : sunt enim qui omnia peccata non detegant nisi postquam, humanissimis verbis, confessarius eorum fiduciam sibi conciliaverit. — Si tunc accusetur peccatum antea reticitum, mitissime agat confessarius, ac contritionis motiva proponat, non solum quoad hoc peccatum, sed etiam quoad malitiam illud reticendi.

479. Corollarium. Exinde inferri potest quid agere debeat confessarius, quando de sinceritate pænitentis dubitat, vel moraliter certus est ab eo reticeri grave peccatum.

In foro pænitentiæ receptum est axioma : *credendum est pænitenti tam pro se quam contra se loquenti.* Quod quidem omnino valet, quando solum dubitatur de sinceritate pænitentis et simul confessarius media adhibuit ordinaria ad veritatem detegendam; nam ipse est reus simul et testis, ejusque testimonium *per se* melius est quam quodcumque aliud, cum melius noverit quam quilibet alius utrum peccaverit vel non, et utrum peccatum commissum jam fuerit remissum vel non. — Si vero res sit moraliter certa, dubitatur utrum præfatum axioma applicari possit. Unde : —

(a) Si confessarius dubitet de sinceritate pænitentis dubio *negativo*, i. e., sine speciali motivo, nulla per se requiritur interrogatio, sed opportune sæpe fit; si dubio *positivo*, diligenter interrogandus est, et si perseveret affirmare suam sinceritatem, absolvendus est vi præfati axiomatis.

(b) Si *certo* moraliter noverit peccatum grave commissum fuisse, quod reticetur, imprimis expendere debet utrum pænitens sit in bona fide, ignorans hujus peccati gravitatem, aut putans se habere motivum illud pro tempore reticendi, an probabiliter hoc peccatum apud alium confessus fuerit; nam si quid hujusmodi præsumi possit, credendum est pænitenti.

Si vero nihil hujusmodi probabiliter præsumatur, distinguendum est ex quo fonte confessarius peccatum noverit; — si propria experientia sciat peccatum commissum, v. g., homicidium perpetratum viderit, pænitentem convincere debet, et si hic omnia negare pergat (quod raro continget), sine absolutione dimittendus est, utpote indispositus. — Si id noverit ex aliorum testimonio, extra confessionem, debet specialiter pænitentem de hoc peccato interrogare; si vero pænitens negat, *probabilius* absolvi potest, quia potius pænitenti credendum est quam aliis qui forsan decepti sunt; *probabiliter* tamen *S. Alphonsus* (n. 631) docet in hoc casu absolutionem denegandam esse, si testes adeo graves sunt ut rem moraliter certam reddant. — Tandem si id noverit *ex alterius confessione* (v. g., sponsæ, uxoris, etc.), confessarius non potest specialiter de hoc peccato interrogare, sed solum generaliter, prout interrogari solent personæ ejusdem conditionis, ne forte violetur sacramentale sigillum. Neque expedit in hoc casu a complice licentiam petere hac notitia utendi ad reum convincendum : hoc enim confessionem odiosam redderet. Si vero pænitens generaliter interrogatus peccatum tacet, melius est dare absolutionem, saltem sub conditione,

ne forte suspicio oriatur denegari absolutionem propter complicis confessionem. Probabiliter tamen *S. Alphonsus* (l. c.) asserit absolutionem denegandam esse, id est simulandam.

instruit:

II. De obligatione docendi et monendi pænitentes [1].

480. 1° De obligatione docendi ignorantes : *Confessarius docere debet pænitentes eas veritates quæ necessariæ sunt ad sacramentum rite suscipiendum, nisi absolutio in aliud tempus differri possit.* Certum est.

now the ho necessary salvation

Cum enim sit *minister* sacramenti, procurare debet ejus validam ac licitam administrationem; cum sit *doctor*, ea docere tenetur quæ necessaria sunt ad ejus validam ac licitam susceptionem. Quibus positis : —

now how make their ession: good will internal)

(a) Pænitens qui, sive culpabiliter sive inculpabiliter, *ignorat veritates necessarias necessitate medii*, de his instruendus est antequam absolvi possit; nam incapax est justificationis, ac proinde absolutionis.

sufficient ther, for fession to make nunciation then - in- nuts them t way.)

Jamvero duæ sunt veritates quæ certo necessariæ sunt necessitate medii, scilicet *existentia Dei*, ejusque *Providentia*, seu fides quod Deus existat et remunerator sit; nullus igitur absolvi potest sine fide explicita harum veritatum.

Sed insuper probabile est fidem in mysteria *SS. Trinitatis* et *Incarnationis* necessariam esse necessitate medii; et cum in rebus hujusmodi tutior sententia sequenda sit, nemo absolvi potest, extra casum extremæ necessitatis, quin expressam fidem concipiat horum mysteriorum; secus sacramentum exponitur periculo nullitatis [2]. Si vero de moribundo agitur, quem de his instruere impossibile sit, conditionaliter absolvi potest ac debet : et si postea supervixerit, instruendus est, et iterum absolvendus. — Advertatur tamen non requiri scientificam horum mysteriorum notitiam, sed sufficere ut credatur, quoad Trinitatem, tres esse personas distinctas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et has tres esse unum Deum; quoad Incarnationem, Filium Dei hominem factum sua morte nos redemisse. Brevi igitur ac facile confessarius has edocere potest.

---

[1] **Suarez,** disp. XXXII, sect. 4; **Lugo,** disp. XXII, n. 23-37; **Salmant.,** cap. 12, n. 32-45; **S. Alphons.,** n. 608-616, **Lehmk.,** n. 571-576; **Müller,** § 150; **Ball. P.,** n. 811-831 ; **Genicot,** 357-359; **Noldin,** n. 384-385.

[2] Hinc *S. Offic.*, 25 jan. 1703, declaravit "missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria Fidei quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt præcipue mysteria Trinitatis et Incarnationis" (*Collect. P. F.*, n. 549). Quod declaratum est de adulto relate ad baptismum; sed ratio eadem est quoad absolutionem.

481. (b) Pariter instrui debet, antequam absolvatur, *qui ignorat dispositiones necessarias ad sacramentum fructuose recipiendum*, videlicet contritionem, firmum propositum et modum integre confitendi; secus enim periculo exponitur invalide aut illicite absolutionem recipiendi.

482. (c) Si pænitens *nescit veritates quæ necessariæ sunt necessitate præcepti*, — v. g., mysteria fidei in Symbolo contenta, Decalogi et Ecclesiæ præcepta, doctrinam de Sacramentis quæ recipere debet, aliaque necessaria ad rectam vitæ christianæ institutionem, — absolvi nequit nisi serio promittat quamprimum moraliter hæc omnia, pro captu suo, discere; nisi enim id promittat, eo ipso est indispositus, cum præceptum grave adimplere nolit. — Confessarius, qui curam animarum non habet, de his pænitentem instruere non tenetur, nisi forsan ex caritate; si simul parochus est, vel curam animarum habens, ex officio et ex justitia debet ei præbere media hujus scientiæ acquirendæ, assignando locum et tempus pro instructione accipienda.

(d) Si pænitens *ignorat ea quæ ad officium suum* recte implendum necessaria sunt, regulariter absolvi nequit nisi paratus sit vel officium relinquere, — vel requisitam scientiam acquirere, interim abstinendo ab iis muneribus exercendis, quibus grave damnum probabiliter proximo inferretur. Nam qui hoc promittere non vult est indispositus, cum proximo periculo se exponat grave damnum causandi; ita judex, medicus, parochus, ignorantia laborantes, fortunis civium, corporum sanitati ac animarum saluti graviter nocere possunt. — Dictum est *regulariter*, quia si nulla sit spes monitionem profuturam esse, neque scandalum timeatur, monitio de officio relinquendo omitti potest, dummodo urgeatur obligatio quamprimum necessariam scientiam acquirendi.

483. 2° **De obligatione monendi pænitentes :** *Quando ignorantia pænitentis circa liceitatem alicujus rei versatur, monitio facienda est, si, omnibus inspectis, ei vel communitati profutura sit; secus, pro tempore omitti debet.* Certum est.

Ratio est quia confessarius bonum pænitentis ac bonum generale communitatis sibi commissæ procurare tenetur; si igitur monitio utrique prosit, certo fieri debet; si communitati prosit ac pænitenti noceat, videndum est ex qua parte sit majus bonum; jamvero generatim bonum commune bono particulari præferri debet. Si vero nocitura prævideatur, ab ea pro tempore abstinendum est. — Antequam illud generale principium latius et ad praxim evolvamus, notare

operæ pretium est hac in re vix dari aliquam regulam sine exceptione, et multum relinquendum esse prudenti æstimationi confessarii.

484. Regulæ. *Iª Regula.* (a) Si pænitens, ex erronea conscientia, *judicet aliquid esse peccatum quod revera non est tale, aut grave quod de facto leve est*, de hoc errore monendus est, cum sit ipsi nocivus : nam formaliter gravia peccata committit. Quod verum est etiamsi prævideatur eum forsan, ex hac monitione, sæpius commissurum peccata venialia. Ita sæpe cum pueris, sed prudenter.

IIª Regula. (b) Si e contra pænitens *ut licitum habeat quod vere prohibetur, vel ut leve quod revera grave est*, distinguendum est : 1) si ignorantia sit *vincibilis* (v. g., si dubitet, si interroget), magis etiam si sit *graviter culpabilis*, serio monendus est; id enim ipsi nocere nequit, cum, propter culpabilem negligentiam, jam reus sit culpæ mortalis; sed potius prodesse potest, cum ex hac monitione vires haurire possit ad malum vitandum; ita v. g., monendus est paterfamilias qui dubitat num sub gravi teneatur filios christiano modo educare. Interrogatus Confessarius, aliquando, sed raro, poterit ambigue respondere (v. exempla infra). — 2) Si vero ignorantia sit *invincibilis*, seu inculpabilis, monendus est quidem pænitens quoties speratur fructus, saltem pro futuro, nec timentur graviora incommoda; nam malum etiam materiale est deordinatio, ac *per se* nocet tum individuis, viam parando peccato formali, tum societati, ordinem a Deo institutum perturbando [1]. Ita præsertim : si in brevi ignorantia vincibilis evadet; si pænitens est in occasione peccandi; si agitur de bono communi notabili, v. g., cum iis qui proprium negligunt officium ut parochi, parentes, magistratus, vel qui sacramenta frequentant. In hoc tertio casu regulariter monendus est pænitens etiam sine spe emendationis, alioquin confessarius pravis moribus favere videtur. Si regula ab auctoritate ecclesiastica data sit, omnino servanda est ab omnibus, v. g., circa scholarum frequentationem, matrimonii abusum, etc. Ubi autem prudenter majora

[1] Quod dilucide exponit *Vieux Moraliste*, in *Ami du Clergé*, XXI, 1899, p. 1169 sq.

3. — ...ers pro- — ... et ...impersin- ...the penitent ...only common ...od.

N.B. Lift the standard — don't go on the border — give them something to shoot for — show them to

incommoda sive ipsi pænitenti, sive tertiæ personæ imminent, in bona fide relinqui debet : secus enim peccatum e materiali fiet formale; porro e duobus malis minus est tolerandum quo majus vitetur.[1]

In dubio utrum monitio utilis an nociva futura sit, generatim omittenda est, nisi bonum quod speratur multo superet malum quod timetur.

485. Rem paucis *exemplis* declaramus. (a) Si pænitens bona fide matrimonium invalide contraxerit, non monendus est generatim antequam revalidatum fuerit matrimonium, ne forte interea formaliter peccet. — Si pænitens monitionem est suscepturus, sed simul prævideatur grave damnum aliis obventurum (v. g., filiis, casu quo putativi conjuges separentur), monitio omittenda est [1].

(b) Monendus est autem pænitens, si secus periculum sit ne firmetur in prava consuetudine, quam postea nonnisi ægre superabit; v. g., si juvenis falso putet pollutionem non esse grave peccatum; si ignorantia inducit vel relinquit periculum formalis peccati, v. g., si agitur de proxima occasione peccati; — si ignorantia versatur circa prima principia morum vel proximas conclusiones, quia tunc prævidetur brevi cessatura; ideoque monitio utilis est pro futuro; — quando illud exigit bonum commune, v. g., si agitur de scandalo vitando, aut de gravi damno temporali aut spirituali quod tota communitas ex culpa administratorum passura sit; — quando, ex adjunctis, silentium confessarii ut positiva approbatio rei malæ intelligi potest. Hinc, si pænitens interrogat, raro confessarius veritatem dissimulare potest; non tenetur tamen plus dicere quam rogatur; v. g., si quis, post votum simplex castitatis, matrimonium contraxit, et inquirit utrum matrimonium sit validum et debitum *reddi* possit, affirmative responderi potest, quin addatur illicitum esse *petere* debitum.

III. De obligatione disponendi pænitentes [2].

486. 1° De obligatione indispositos ad absolutionem disponendi : *Confessarius ex caritate tenetur, in quantum fieri potest, indispositos ad absolutionem præparare, motiva contritionis proponendo.* Certum est.

[1] **Lugo**, disp. XXII, n. 27.

[2] **Lugo**, disp. XXII, n. 49; **Lacroix**, *Tract. Theol. de Offic. Confessarii*, l. III; **S. Alphons.**, n. 608; *Praxis*, n. 10; **Reuter**, n. 116; **Müller**, § 153; **Marc**, n. 1811-1812; **Ball. P.**, n. 313-322 et 832; **Salvatori**, *Istruzione pratica pei Confessori novelli : anglice* redditum cura *W. Hutch*, London, 1885, Part. II; **Gaume**, n. 217-218.

Quam obligationem *Rit. Romanum* inculcat [1] : " Et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet ". Pariter *Leo XII* [2] enixe hortatur confessarios ad illud officium implendum eosque vituperat qui id prætermittunt : " Sistunt se quidem multi pænitentiæ ministris prorsus imparati, sed persæpe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum illis agere. *Quod si præstare prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum*, quam ceteri ad confitendum accedere ". — Hanc obligationem esse *per se* gravem docet *S. Alphonsus* (n. 608) [3].

487. Corollaria. (a) Si confessarius prudenter judicat pænitentem bene dispositum esse, stricte ad nihil tenetur. Expedit tamen ad contritionem hortari omnes de quibus probabiliter dubitatur utrum sint sufficienter dispositi, aut saltem inquirere num elicuerint actum doloris et firmi propositi; ita enim securius et abundantius fructus sacramenti percipitur. " Monitos esse volo confessarios, perpaucos esse illos pænitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedant [4].

(b) Ad excitandos indispositos ad contritionem, confessarius singulorum ingenio se accommodet, motiva proponens quæ eorum captui proportionentur : vitæ brevitatem, propinquitatem mortis quæ omnibus voluptatibus honoribusque finem imponit, horam ejus incertam, detrimentum animæ æternæque salutis discrimen, dicendo v. g. : " Visne reprobus esse? Si huic peccato adhæres, ad infernum pergis, et si in hoc statu morieris, æternis devoveberis

---

[1] Ordo administrandi Sacr. Pænit. — [2] Encycl. *Caritate Christi*, 25 dec. 1825.

[3] " Quocirca nescio quomodo *a culpa* excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint pænitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum. Dico enim quod confessarius tenetur ex *rigorosa obligatione* caritatis eum disponere quantum valet ". Et addit : " Nec ei curæ esse debet quod alii pænitentes expectent; nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum ad bonum sui pænitentis. " Quod verum est quidem, si alii sint confessarii ad alios pænitentes audiendos, aut si hi patienter et absque gravi incommodo expectare valeant; nam si longa mora grave incommodum aliis afferret, qui forte in majori necessitate versantur, confessarius e duobus malis minus eligere debet. Cfr. **Ball. P.**, n. 832. — [4] **S. Alphonsus**, *Praxis*, n. 10.

cruciatibus". Commemoret etiam Dei beneficia in nos collata, ejusque misericordiam, qui filios prodigos amplecti paratus est, necnon sanguinem Christi pro nobis effusum : "Quis unquam pro te facit quod Christus? Et tu vis eum tradere? Ut tibi aliisque placeas, eum de novo in corde crucifigere non dubitas? Nonne potius creaturis, voluptatibus, honoribus renuntiare debes quam Deo et Christo?" His aut similibus quæ facile confessarius inveniet, si legat et oret, non paucos pænitentes, gratia juvante, movere poterit [1].

488. 2° **De obligatione remedia præbendi contra relapsum.** Confessarius ut *medicus* debet *causam* morborum spiritualium investigare, et salutaria *remedia* præscribere ut futuri lapsus præcaveantur.

(a) *Causam morborum investigare debet :* secus non possunt radicitus extirpari; et nisi extirpentur, malos effectus iterum producent, sicut mala arbor malos fructus affert.

Prudenti igitur interrogatione discrete inquirat confessarius de circumstantiis locorum ac personarum, quibus ad peccatum inducatur pænitens, necnon de pravis ejus habitibus; ut sic detegat utrum præcipua peccati causa sit occasio externa, et quænam; an causa interna, videlicet superbia aut vana gloria, — inordinatus pecuniæ amor, — an sensualitas ac voluptas. Siquidem morbo detecto, remedia opportuna seligere facilius erit.

489. (b) *Remedia præscribere debet*, sive generalia, sive particularia.

Iis qui *raro confitentur* et a quibus parum fructus speratur, hæc proponenda sunt : *oratio quotidiana*, licet brevissima sed intimo corde prolata, erga Deum, et præcipue Dominum Jesum, et B. Mariam Virginem, — Dei et suæ salutis memoria frequens sed pariter brevissima, et *fuga occasionum* [2].

Devotis autem hæc sunt præsertim inculcanda : 1) *frequens oratio*, humilis simul ac fiducialis, cum gratia præsertim per orationem obtineatur, et nonnisi gratiæ ope difficultates superentur.

2) *Sacramentorum Pænitentiæ et Eucharistiæ frequens receptio*, quibus gratia confertur ex opere operato ac jus acquiritur auxilium supernaturale tempore opportuno accipiendi; suadeatur præsertim confessio statim post lapsum, ne peccator in pravos habitus incidat.

3) *Novissimorum pia consideratio*, qua tot præcaventur peccata, juxta illud : "In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in æternum non peccabis" [3]; item piorum librorum lectio.

---

[1] Motiva contritionis pro variis peccatorum generibus dilucide proposita invenies ap. **Salvatori**, *op. cit.*, part. I.

[2] **Desurmont**, *La Charité Sacerdotale*, II, n. 188 et 189. — [3] *Eccli.*, VII, 40.

4) *Divinæ præsentiæ assidua recordatio*, præsertim urgente tentatione : " Deus me videt, intuetur cor meum; quomodo possum hoc malum facere *coram Deo*"?

5) *Conscientiæ seria excussio*, explorando non solum peccata, sed eorum causas, actusque doloris et firmi propositi eliciendo.

6) *Fuga malorum sociorum*, qui sæpe sunt causa peccati, fugaque aliarum peccandi occasionum; conversatio cum piis ac bonis; necnon adscriptio in aliqua Sodalitate, ubi inveniuntur adjuvamenta ad vitam christiane instituendam.

7) *Praxis quarumdam carnis castigationum*, ac *passionum mortificatio* etiam in rebus licitis, quo facilius atque efficacius illicita respuantur : " Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis "[1].

8) *Actus caritatis erga Deum* frequenter per diem repetiti; specialis devotio erga SS. Sacramentum, SS. Cor Jesu, B. Mariam Virg., Angelum custodem; quæ ut melius exerceatur, *pauca* determinanda sunt opera, non autem *multa* opera quæ pænitentes obruant.

Particularia autem remedia ea sunt quæ cuique vitio opponuntur; de his agemus ubi de *Vitiis* et *Virtutibus*[2].

IV. De obligatione concedendi, negandi vel differendi absolutionem[3].

490. 1° De absolutione concedenda. " *Si confessarius dubitare nequeat de pænitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est*". Ita ex *Codice*, can. 886.

Etenim confessarius, pænitentis confessionem excipiendo, quasi-contractu sese obligat ad sententiam secundum Christi institutionem ferendam; atqui, juxta Christi institutionem, hoc sacramentum ad peccata bene dispositorum remittenda institutum fuit.

Hinc bene *disposito* et *petenti* nunquam deneganda aut differenda est absolutio. *Consentienti* vero confessarius

[1] *Galat.*, V, 24.

[2] Interea legi possunt, præter auctores Theologiæ asceticæ, **Lacroix**, n. 1825; **Du Jardin**, *De officio sacerdotis, qua judicis et medici* (**Migne**, *Theol. Curs.*, XXII, 1288-1350); **Reuter**, n. 56-98.

[3] **Suarez**, disp. XXXII, sect. 5; **Lugo**, disp. XXII, n. 38-48; **Salmant.**, cap. 12, n. 29-45; **Lacroix**, *Tr. theol. de Offic. confess.*, t. I, c. 4; **S. Alphons.**, n. 462 sq. et 604-606; **Lehmk.**, n. 552-559; **Bucceroni**, *Comment. de absol. danda, diff., deneganda*, Romæ, 1889; **Noldin**, n. 391; **Merkelbach**, cap. III, q. 2, a. 3; **J. Salsmans**, in periodico *Nouv. Rev. Théol.*, jan. 1930.

posset, ut *medicus*, absolutionem differre, si id judicaret pænitenti valde utile. Sed fere semper magis proderit absolutionem et salutaria monita impertiri.

Unus tantum casus videtur adesse differendi absolutionem *bene disposito*, nempe cum subito conversus confessionem instituit peccatis oneratam, et timendum est ne ipse postea turbetur de confessione tam celeriter facta. "Experimenti causa denegare, vel ad probandos pænitentes, praxis erit contraria Spiritui Christi et Ecclesiæ", ait *Lehmkuhl*.

Nec unquam expedit absolutionem differre ad *longum tempus*, v. g., ad mensem aut quindecim dies; quia grave est incommodum diu in peccato mortali manere, tum propter periculum mortis, tum propter amissa merita.

491. 2° De absolutione deneganda. *Absolutio deneganda est iis qui certo moraliter sunt incapaces vel indigni.* Certum est.

Nam scienter et volenter ministrare sacramentum modo certe invalido et infructuoso est grave sacrilegium.

(**A**) Jamvero *incapaces* sunt perpetuo amentes, — nondum baptizati, — qui jam certo mortui sunt, — aut nesciunt veritates necessarias necessitate medii, — vel certo non sunt moraliter præsentes.

492. (**B**) *Indigni* autem seu indispositi censeri possunt, juxta *S. Leonardum a Portu Mauritio :*

(**a**) Qui peccandi occasionem proximam ac liberam scienter ac volenter dimittere nolunt; (**b**) qui graves inimicitias vel odium scienter ac volenter deponere nolunt; (**c**) qui restitutionem vel damnorum reparationem necessariam facere, quando valent, parati non sunt; (**d**) qui artes seu occupationes graviter peccaminosas relinquere recusant; (**e**) qui ad pravum habitum corrigendum laborare renuunt; (**f**) qui remedia ad relapsum vitandum vere necessaria adhibere nolunt; (**g**) qui scandalum, quod aliis præbuerunt vel præbent, auferre parati non sunt [1]. — Quibus addi possunt *modo*

1) Will not give up occasion of sin
2) Enmity of
3) Will not give restitution
4) occupation of sin.
5) Do not wish to correct a bad habit
6) Will not take remedy to stop the
7) Scandal to others & will not wish to [illegible] it away

[1] Quod sic breviter contrahit *Rit. Romanum* (Ordo minist. Sacr. Pænitentiæ) : "Ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces; quales sunt : qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant".

generali ii omnes qui gravem obligationem sibi notam adimplere nolunt; vel qui integre sua peccata confiteri recusant, nisi gravi ratione, saltem putativa, ab integritate materiali excusentur.

Antequam vero absolutio denegetur, confessarius hos peccatores ad contritionem exhortari debet; si enim, prius imparati, dein ferventi exhortatione attritionem concipiunt, absolvi possunt. Insuper nonnisi benignis verbis confessarius denegare debet absolutionem, rationem exponendo cur concedi nequeat ac declarando se libenter absolutionem concessurum statim ac pænitens dispositus erit.

493. 3° De absolutione differenda. *Absolutio differenda est iis quorum dispositio, etiam post exhortationem, vere dubia manet, nisi gravis ratio urgeat eos sub conditione absolvendi.* Certum est.

Etenim non licet sacramentum periculo nullitatis exponere, nisi gravis excuset ratio.

494. Porro dubie dispositi censentur, juxta *S. Leonardum* : (**a**) qui eodem aut pejori modo relapsi sunt, quin remedia a confessario præscripta adhibuerint, et absque serio conatu emendationis; (**b**) qui frigide tantum respondent se dolere, præsertim si jam sæpius relapsi sunt; (**c**) si magnum affectum ad peccatum ostendunt, aut magnam utilitatem magnamve voluptatem ex peccato hauserunt, vel in passionibus satisfaciendis totum studium conferunt; (**d**) quando sua peccata temere excusant, vel cum confessario contentionem atque altercationem instituunt, aut de peccato commisso jactare videntur; (**e**) quando ad sacramentum accedunt non spontanee, sed solum parentum aliorumve jussu, aut ex mera consuetudine, aut ad aliis placendum, vel ex timore ne famam amittant; (**f**) si recusant pænitentiam moderatam ac viribus proportionatam.

Hi enim sincera contritione carere videntur, nec legitimam suspicionem amovere possunt nisi exhibendo *specialia* contritionis signa, de quibus infra, ubi de *recidivis*.

Quandonam autem dubie dispositi *conditionaliter* absolvi possint jam expositum est, n. 98.

495. Corollarium. Quando adsunt utrinque rationes serio ac solide probabiles, ita ut *prudenter* judicetur, sed cum prudenti formidine, pænitentem esse dispositum, confessarius absolutionem differt vel sub conditione concedit, prout ex variis adjunctis dilatio utilis vel nociva pænitenti

prævidetur. Videlicet si valde probabiliter judicatur pænitentem, post aliquod tempus, melius dispositum ad sacrum tribunal accessurum esse, benigne dimitti debet; si vero probabiliter non est reversurus, post ferventem ad dolorem ac firmum propositum exhortationem, sub conditione absolvi potest, juxta plerosque theologos[1]. Nam ad absolvendum *non requiritur semper moralis certitudo*, sed sufficit aliquando *prudens* judicium, quod in casu habetur.

Quod erui potest ex his verbis *Catechismi Conc. Tridentini* (n. 50): "Si enim, audita confessione, judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam neque in detestandis dolorem pænitenti *omnino* defuisse, absolvi poterit"; jamvero si *prudenter* judicatur pænitentem esse contritum, judicatur non *omnino* dolorem defuisse. Huic conclusioni contradicere videtur *S. Alphonsus*, dum dicit (n. 459): "Ut confessarius possit pænitentem absolvere, debet *esse moraliter certus* de ejus dispositione"; sed alibi, n. 461, scribit: "Semper ac confessario positive non innotescit pænitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest". Priori S. Doctoris assertione continetur regula generalis, posteriori autem exceptio.

§ III. De officiis ministri post confessionem.

Tria sunt: *corrigere defectus*, seu *errores*, si qui occurrerint; *servare sigillum; et non uti illicite scientia* ex confessione acquisita.

I. De obligatione corrigendi defectus, seu errores[2].

496. Triplex defectus occurrere potest; (**a**) circa *valorem sacramenti*, v. g., si confessarius non absolverit, vel sine jurisdictione absolverit, aut indispositum absolverit; (**b**) circa *integritatem sacramenti*, v. g., si confessarius de specie et numero peccatorum necessarias interrogationes omiserit, vel nullam pænitentiam imposuerit; (**c**) circa *obligationes pænitentis*, v. g., si de occasione peccati removenda non monuerit, vel ad debitam restitutionem non obligaverit, aut e contra ad indebitam restitutionem obligaverit.

---

[1] Ita **Suarez**, disp. XXXII, sect. 2, n. 1; **Sporer**, n. 801; **Faure**, *Dubitat. theol.*, ed. 4ª, Lovanii, 1865, dub. I-II, p. 9-22; **Lehmk.**, n. 558; **Genicot**, n. 367.

[2] **Suarez**, disp. XXXII, sect. 6; **Lugo**, disp. XXII, n. 50-77; **Salmant.**, cap. 12, n. 46-56; **S. Alphons.**, n. 619-622; **Billuart**, diss. VI, a. 10, § 8; **Del P.**, n. 836-861; **Lehmk.**, n. 603-607; **Noldin**, n. 401-405.

Invalid: it is not a sacrament or it is a sacrilege

 damnum - out something you h
cessan "something you sho
have

NB. **497. 1° De errore circa validitatem sacramenti:** *Error invalidans sacramentum, ex gravi culpa confessarii commissus, et cum gravi damno pænitentis adhuc perseverante, ex justitia sub gravi reparari debet, etiam cum gravi damno confessarii.* Certum est.

Nam confessarius, ex quasi-contractu cum pænitente, proindeque ex justitia, tenetur recte disposito validam absolutionem impertiri; si igitur ex gravi culpa invalide absolverit, eo ipso est injustus damnificator, ideoque ad reparandum grave damnum injuste illatum sub gravi tenetur, etiam cum gravi incommodo.

Dicitur: (a) *ex gravi culpa*, quia si sine culpa vel cum levi tantum error fuerit commissus, puta ex oblivione vel quadam negligentia, adest quidem obligatio damnum reparandi, saltem ex caritate, sed non cum magno incommodo; — nisi tamen pænitens esset in gravi periculo moriendi in statu peccati mortalis, quia versatur in articulo mortis [1]; vel in probabili periculo non amplius confitendi, quia longum ac periculosum iter est aggressurus.

(b) *Ex culpa confessarii;* nam si error ex parte pænitentis proveniat, quia v. g., scienter erat indispositus, confessarius tenetur quidem ad reparandum damnum ut cooperator, sed non tam stricte, excepto casu extremæ necessitatis, quia pænitens aliter sibi providere potest, novam confessionem instituendo.

(c) *Cum gravi damno adhuc perseverante;* nam, si damnum leve est, v. g., quia pænitens mortalia non accusaverat; vel si damnum non perseverat, quia pænitens alium confessarium adiit, a quo valide fuit absolutus, jam non urget obligatio.

498. Modus reparandi defectum. (a) Si immediate aut brevi post confessionem detegantur defectus, et pænitens sit adhuc moraliter præsens, potest iterum absolvi, etiam absque prævia monitione, dummodo constet eum esse rite dispositum; si nimis distet, ad sacrum tribunal revocetur, si id absque incommodo fieri possit; secus, ipse confessarius pænitentem adeat et absolvat.

(b) Si vero error reparatus non fuerit immediate aut post breve tempus, confessarius inducat pænitentem ut sibi iterum confiteatur; eum hortetur ut doleat non solum de accusatis in præsenti confes-

---

[1] Neque ab hoc officio excusatur sacerdos eo quod moribundo viaticum administraverit; nam valde probabile est, sed non certum, viatico remitti peccata mortalia ejus qui in bona fide versatur (*De Sacramentis*, n. 54); jamvero, quando de æterna salute agitur, tutior pars est sequenda. Cfr. **Lehmk.**, n. 604, not. 1.

sione, sed de præteritis, præsertim de accusatis in ultima confessione; eumque rite absolvat.

(c) Si vero id fieri nequeat, confessarius, obtenta prius a pænitente licentia cum eo loquendi de re ad confessionem spectante, eum de invaliditate absolutionis moneat, ut error reparari valeat.

499. 2° **De errore circa integritatem sacramenti.** Quando error versatur non circa validitatem, sed circa integritatem sacramenti, si, v. g., confessarius de specie et numero interrogare omiserit vel nullam pænitentiam imposuerit, *defectum reparare non tenetur extra confessionem*, quia ex una parte talis defectus est minoris momenti, et ex altera monitio extra confessionem sæpe molestiam pænitenti affert.

500. 3° *Quando error admissus fuit circa* **obligationes** *pænitentis*, distinguendum est :

1) Si agitur de damno *spirituali*, ita ut pænitens, ex verbis aut agendi ratione confessarii, circa aliquam doctrinam deceptus fuerit (v. g., intellexerit tale peccatum leve esse quod revera grave est, vel necessarium non esse singula mortalia accusare), confessarius tenetur errorem corrigere, etiam *extra confessionem*, prius obtenta pænitentis licentia, dummodo id *sine gravi damno* aut scandalo fieri possit. Nam quisque tenetur reparare damnum quod positive intulit ac ejus causam removere, quod fieri nequit nisi errorem corrigendo. — Idem dic si confessarius omiserit propria remedia in re gravi præscribere

(Po rem nullem)

2) Si vero de damno *temporali* ipsius pænitentis vel tertii agitur (quod in materia restitutionis occurrere potest), iterum distinguendum est : Si confessarius *positive ac culpabiliter* (quod de culpa gravi intelligendum est) *pænitentem in errorem induxit*, v. g., asserendo restitutionem faciendam esse, quando talis obligatio minime urgebat, aut vice versa, sub gravi ex justitia tenetur, etiam cum gravi incommodo, errorem corrigere. Nam quisque tenetur præcavere ne ex sua actione aliis damnum sequatur, et, si id facere culpabiliter omiserit, aut tunc solum monuerit, quando pænitens jam impotens factus est ad injustitiam reparandam, confessarius damnum ex hac actione secutum reparare tenetur, cum vere sit causa efficax, injusta et culpabilis hujus damni, quatenus injustus cooperator seu consulens. — Si autem sine gravi culpa positive errorem hujusmodi commiserit, tenetur quidem ex justitia pænitentem monere, sed non cum gravi incommodo; si vero errorem culpabiliter corrigere omisit, quando commode id facere poterat, ad restitutionem tenetur, non quidem ratione erroris, qui inculpa-

bilis est, sed ratione *omissæ retractationis*, quæ vere est causa damni injusta et efficax.

501. Si confessarius *negative tantum se habuit, etsi culpabiliter*, omittendo monere pænitentem de restitutione facienda, — non ex justitia, sed tantum *ex caritate* tenetur postea pænitentem monere. Etenim non obligatur ex justitia in sacro tribunali præcavere damnum tertii, sed solum bonum pænitentis procurare; nisi tamen pænitens a confessario postulaverit ut ipsum moneret de obligatione restituendi; tunc enim silentium positivæ affirmationi æquivalet.

II. De sigillo sacramentali [1].

502. Ex Codice, cavere debet confessarius ne *prodat* aliquatenus *peccatorem* (c. 889), et prohibetur *scientiæ* ex confessione acquisitæ *usus* cum *gravamine* pænitentis (c. 890).

Dicemus primo (nn. 503-516) de obligatione non prodendi peccatorem, quæ est sigillum sacramentale proprie dictum.

503. 1° **De obligatione sigilli sacramentalis :** *Strictissima est obligatio sub gravi tacendi, extra confessionem, omnia per confessionem sacramentalem cognita, quorum revelatio pænitentem proderet, nisi pænitens loquendi licentiam dederit.* Certum est.

Hæc obligatio *quoad substantiam* oritur ex jure naturali et divino, sed magis explicite determinata fuit jure ecclesiastico.

(a) *Ex jure naturali.* Inter confessarium et pænitentem *pactum implicitum* existit, vi cujus hic peccata sua non confitetur nisi sub conditione quod omnino secreta serventur : hoc est secretum commissum, ad quod servandum ex justitia tenentur ii omnes qui vi officii sui consilia aliis præbent, v. g., advocati, medici; ergo quicumque hoc secretum violaverit, per se graviter contra justitiam peccat.

504. (b) *Ex jure divino*, saltem *implicito.* Etsi enim Christus hac de re nil explicite dixerit, voluit certe sacra-

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 11; **Suarez**, disp. XXXIII; **Lugo**, disp. XXIII; **Salmantic.**, cap. 14; **Lacroix**, n. 1933-2001; **S. Alphons.**, n. 633-661; **Billuart**, diss. VIII; **Lehmk.**, n. 586-602; **Marc**, n. 1860-1869; **Ball. P.**, n. 899-1024; **Genicot**, n. 379-393; **Noldin**, n. 406-489; **Prümmer**, 439-448; **Merkelbach**, cap. III, q. 3, a. 1 et 2; **Chrétien**, p. 76-116.

mentum Pænitentiæ ita ministrari ut fideles ab eo non arcerentur. Atqui, si occulta peccata confessario credita manifestarentur, multi fideles a sacro tribunali arcerentur : merito enim timerent ne, tali manifestatione, aliorum æstimationem amitterent; sæpe pax familiarum turbaretur, si unius conjugis secreta delicta alteri manifestarentur, vel parentum peccata filiis nota fierent, etc.; imo quandoque quorumdam criminum notitia in aures judicum perveniret, cum maximo pænitentium periculo et damno. Quæ quidem omnia confessionem odiosam, scandalosam ac vere nocivam sæpe redderent; unde summa debet esse securitas. Et ne occasio daretur hallucinationis periculo, debuit illa lex secreti cadere in res levissimas et esse absque exceptione.

505. (c) *Ex jure ecclesiastico.*[1] Antiqua est lex secreti sacramentalis, et auriculari confessioni coæva, etsi non fuerit ab initio tam stricte servata. Quamdiu viguit confessio *publica*, nulla erat obligatio tacendi peccata publice accusata. Sed quoties peccata occulta privatim accusabantur, lex secreti vigebat. Can. 889

Lex autem explicita et universalis de secreto servando lata fuit a *Concil. Later. IV*[2] et Codex hanc renovavit can. 889, § 1 : "Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem", hancque obligationem sancivit pœnis de quibus infra agitur, n. 515. N.B. (not for any cause, cannot [illegible] sui or su[illegible] directly or indir[illegible]

Jam antea, fidelium ac confessariorum sensu, necnon theologorum consensu, lex secreti *strictissima* evaserat, ita ut hodie sedulo vitanda sit omnis revelatio quæ pænitentem aliquatenus proderet.

506. Corollaria. (a) Violatio sigilli duplicem, et aliquando triplicem malitiam includit : contra *religionem* seu contra reverentiam sacramento debitam; — contra *justitiam*, revelando secretum commissum; — sæpe etiam

[1] **L. Honoré**, *Le secret de la confession*, Bruges, 1924; **B. Kurtscheid**, *Das Beichtsiegel* 2e éd., 1924. — [2] **D. B.**, 438.

contra *justitiam alio modo*, manifestando delictum occultum proximi.

(b) Hujusmodi lex tam stricta est ut in nullo casu relaxari possit sine *libero* et *certo* pænitentis consensu. Potest quidem pænitens libere de jure suo cedere, cum secretum in ejus gratiam institutum fuerit; sed consensus non potest præsumi, etiamsi hoc cum morali certitudine fiat, quia lex secreti nunquam ab æstimatione confessarii pendere debet sed pænitentis. Insuper confessarius raro et prudenter utatur consensu etiam libere dato, nunquam vero coram tribunali. In foro ecclesiastico, repellitur ut incapax a testimonio ferendo, etsi a vinculo sigilli solutus sit (c. 1757, § 3.)

507. Hinc nullus finis sigilli violationem excusat :

1) *Non bonum ipsius confessarii*, sive *temporale*, cum confessarius potius mori debeat quam sigillum lædere, vestigiis inhærens *S. Joannis Nepomuceni*, qui, propter sacramentale silentium invicte custoditum, martyrii palma decoratus est [1]; — sive *spirituale*, cum ab integritate materiali confessionis excusetur, quando non potest sua peccata integre declarare quin sigillum lædat. Ratio est quia bonum publicum spirituale totius communitatis, ad quod necessaria est sigilli sacramentalis custodia ex dictis, præferri debet bono privato sive temporali, sive etiam spirituali.

2) *Nec bonum ipsius pænitentis;* v. g., si ex ejus confessione mihi notum est eum esse innocentem, id declarare nequeo, ne forte cum affirmo unum esse innocentem et de alio taceo, intelligatur hunc alium esse reum. — Neque bonum *tertiæ personæ :* v. g., si confessione Pauli homicidæ noverim Petrum non esse homicidii reum, id dicere non possum, ne forte suspicio oriatur me ita loqui ex violatione sigilli et Paulus ipse de crimine accusetur.

3) *Nec bonum ipsius Reipublicæ*, v. g., in casu proditoris, quia per inviolabilem sigilli custodiam modo generali Reipublicæ bono melius providetur quam per ejus læsionem; aliunde bonum spirituale bono temporali præferendum est. Hinc confessarius, coram tribunali interrogatus de iis quæ confessione noverit, potest ac debet etiam cum juramento dicere se nihil hac de re scire : hæc est enim restrictio quam omnes intelligere possunt, si velint, cum notum sit confessariis fas non esse secretum sibi commissum revelare [2].

---

[1] Cfr. *Breviar. Rom.*, Pro aliq. locis, die 16 maii.

[2] In multis Statibus sigillum sacramentale lege civili ut inviolabile agnoscitur, ibique confessariis declarare sufficit [illegible] nil respondere posse, cum sigillo seu *secreto professionali* ligentur : ita in *Gallia*. Sed in quibusdam aliis, v. g., in

Attamen, in his omnibus casibus, confessarius qui confessione novit grave damnum sibi, vel alicui privato, vel Reipublicæ imminere, pænitentem monere potest ac debet ut per se, vel per alium illud damnum impediat, v. g., rem superiori manifestando; et recusanti id facere absolutionem denegare potest, utpote indisposito; sed secretum revelare ipse nequit, absque libera pænitentis licentia.

(c) Pariter adeo stricta est obligatio servandi secretum ut in hac materia opiniones mere probabiles sequi non liceat; quia hic non agitur de *solo licito*, sed de damno spirituali totius communitatis necessarie cavendo. Quare, sive agitur de probabilitate *juris*, v. g., quando controvertitur utrum hoc an illud sub sigillo cadat; sive de probabilitate *facti*, v. g., quando dubitatur num aliquid ex confessione vel alio modo cognitum sit, sequenda est opinio sigillo favens, etiamsi alia sit vere probabilis.

508. (d) Attamen hæc obligatio oritur tantum ex confessione *vere sacramentali*, i. e., facta in ordine ad absolutionem obtinendam, non autem ex *simulata confessione*, ad eleemosynam petendam vel seducendum confessarium facta, sine intentione sacramentum suscipiendi: de sola enim sacramentali confessione valent rationes superius allatæ.

Hinc etiam ea quæ, extra confessionem, sacerdoti manifestantur *directionis spiritualis* causa, non cadunt sub sigillo sacramentali, sed solum sub secreto commisso, sed generatim strictissimo. Quæ autem dicuntur in ordine ad confessionem præparandam, certo cadunt sub sigillo.

509. 2° De subjecto sigilli : *Ad sigillum servandum tenentur non solum confessarius, sed etiam ii omnes qui casu vel industria seu illegitime, mediate vel immediate, aliquid ex sacramentali confessione audierunt.* Ita ex can. 889, § 2.

Etenim ii omnes sacramentalis secreti participes fuerunt; ergo obligationis illud servandi participes sunt.

510. Corollaria. Ad sigillum servandum tenentur : —

(a) Clericus vel laicus, qui *fingens se esse sacerdotem, confessionem*

Anglia (cfr. **Stephen**, *Comment. on the Laws of England*, London, 1895, vol. III, p. 579), hoc privilegium minime agnoscitur, ideoque confessarii dicere debent se nil scire. — In *Statibus Americæ Fœderatis*, lex communis eadem [illegible] in Anglia, sed in quibusdam Statibus, lex particularis sigillo favet.

excepit ejus qui bona fide ipsi confitetur, saltem juxta communem sententiam, quæ, dato casu, omnino servanda esset, ex dictis supra (n. 507); confessio enim, quamvis invalida, fit in ordine ad absolutionem, ideoque sigillo protegi debet. Cf. can. 889, § 2.

(b) *Confessarius, qui etiam extra sacrum tribunal, a pænitente consulitur* de peccatis accusandis in confessione sibi facienda; nam talis consultatio est inchoata confessio; non autem probabilius ille qui consulitur de confessione alteri facienda, quia hæc non est inchoata confessio; sed in hoc posteriori casu viget nihilominus lex secreti commissi.

(c) *Qui legerit confessionem alterius scriptam*, jam confessario traditam, sive dum in manu confessarii versatur, sive post absolutionem in confessionali relictam, vel a *confessario* amissam; nam in his omnibus circumstantiis immediate cum confessione connectitur. Si quis autem legerit chartam in qua pænitens sua peccata descripsit per modum examinis conscientiæ, antequam ea usus fuerit in ipso actu confessionis, non tenetur sigillo, sed solum lege secreti naturalis.

(d) *Interpres ad confessionem peragendam adhibitus;* vel qui rogatus alterius confessionem scripsit; adstantes qui, sive casu, sive ex industria peccata in confessione declarata audiunt; aut ii omnes "ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit" (c. 889, § 2). Imo quicumque conantur confitentem audire eo ipso legem sigilli violant.

(e) *Superiores*, a quibus petitur extra confessionem facultas a reservatis absolvendi, quatenus nil dicere aut agere possunt ex quo notum fiat quisnam subditus in reservatum peccatum inciderit.

(f) *Consultor*, seu theologus, ad quem casus conscientiæ refertur cum venia pænitentis : tunc enim fit particeps secreti.

Ipse autem pænitens non tenetur lege sigilli sacramentalis, quæ in favorem pænitentium, non autem confessariorum statuta est; sed lege secreti naturalis ac religiosi, tacere debet quæ audivit in confessione, si sine damno confessarii manifestari nequeant. — Hinc prudens confessarius cavebit ne ea dicat quæ nolit aliis nota fieri : sæpe enim pænitentes inter se de auditis in sacro tribunali confabulantur.

511. 3° De objecto sigilli : *Ea omnia sub sigillo cadunt quæ ex sola confessione sacramentali cognita sunt, et quorum revelatio aliquatenus peccatorem prodere potest.* Certum est.

Siquidem sigillum institutum est eo fine ut fideles a confessione non arcerentur; atqui, si liceret revelatio quæ pecca-

torem prodere potest, eo ipso quidam fideles ab ea deterrerentur. Quænam vero peccatorem prodere possunt, æstimari debet ratione habita circumstantiarum loci, temporis et personarum simulque eorum quæ revelantur.

512. Corollaria. Quædam *directe*, quædam autem *indirecte* cadunt sub sigillo.

Directe sub sigillo cadunt ea omnia quæ declarantur ut *materia* confessionis; videlicet *omnia peccata*, mortalia aut venialia, præterita aut proposita, i. e., ea quæ pænitens committere intendebat. Neque excipiuntur *publica* peccata, quæ ex confessione cognoscuntur, tum quia confessarius suo testimonio ea confirmat et magis publica reddit, tum quia pænitentes timerent ne confessarius ipsorum peccata revelaret sub prætextu quod publica sint.

Non violaret tamen sigillum qui diceret aliquem pænitentem confessum esse venialia, aut eum ita innocenter vivere ut solum pauca venialia committat; nam nemo, sine speciali privilegio, a venialibus omnino immunis esse potest. Sed revelare non licet aliquod veniale in specie, aut etiam dicere talem pænitentem multa venialia accusasse.

513. *Indirecte* sub sigillo cadunt ea omnia quæ ducere possunt in notitiam peccatorum pænitentis, qualia sunt : —

(a) *Circumstantiæ peccatorum*, sive utiles, sive superfluæ, quas pænitens exponit ad sua peccata melius declaranda etiam post absolutionem receptam, dummodo cum ipsa confessione connectantur (v. g., theatrorum frequentatio, quorumdam librorum lectio), et aliquid peccaminosi habeant : hæc enim omnia quid unum moraliter efformant cum peccatis ipsis. — Non cadunt tamen sub sigillo illæ circumstantiæ, quæ, licet ad confessionem utiles, non possunt prodere pænitentem, v. g., quod talis pænitens sit conjugatus, magistratus, miles, etc. ; neque peccata publica aliena quæ pænitens commemorat ut sua explicet, v. g., si dicat se mala precatum esse auctori alicujus criminis publice patrati.

(b) *Defectus pænitentis* sola confessione manifestati, v. g., illegitima nativitas, inurbanitas, ignorantia; peccata in ipsa confessione commissa, sed non accusata, v. g., impatientia, contumeliæ in ipsum confessarium, non sunt materia sigilli proprie dicti, sed revelatio horum defectuum certe pænitenti gravamen affert.

Quoad *scrupulositatem*, est materia sigilli, si accusatur ut defectus moralis, vel ad declaranda alia peccata, aut si eo innotescit quod multa ut peccata accusantur quæ peccata non sunt : quia

tunc est vere defectus sola confessione notus. Si vero innotescit ex modo loquendi et respondendi, est materia secreti naturalis, si aliunde publice non cognoscitur.

(c) *Pœnitentia imposita*, nisi sit levissima, quia secus occasio daretur suspicandi pœnitentem reum esse mortalium vel multorum venialium.

514. (d) *Peccata complicis*, sive legitime sive imprudenter confessario revelata, aut peccata aliorum declarata quo melius propria peccata exponantur (v. g., patrem odivi, quia matrem percusserat), generatim possunt prodere peccatorem. Hinc confessarius hac notitia uti nequit ad complicem monendum aut corrigendum, nisi cum expressa pœnitentis licentia : imo hac licentia sponte data rarissimo utetur, ne complex suspicetur violari sigillum.

(e) *Virtutes et dona Dei, bonaque opera* pœnitentis *non sunt materia sigilli*, nisi manifestentur ad melius declarandum peccatum, v. g., gratiæ abusum; eorum enim manifestatio confessionem odiosam non reddit. Hæc autem omnia sunt objectum secreti naturalis, durante pœnitentis vita; eo autem mortuo, gravi de causa revelari possunt, v. g., pro beatificatione sanctorum.

(f) *Absolutionis negatio* est materia sigilli, cum occasionem det suspicandi gravia peccata commissa; hinc, si parentes, magistri, aliique confessarios interrogant de absolutione data filiis, discipulis, etc., ad ipsos pœnitentes remittendi sunt. — Quamvis *absolutio data* sub sigillo non cadat, imprudenter agit confessarius dicendo se talem absolvisse, quia, quando tacebit, suspicio orietur absolutionem denegatam fuisse. — *Accessio ad confessionem* non est materia sigilli; non violat igitur sigillum qui dicit : Titius mihi confessus est, vel mihi non confessus est. Si quis tamen clam alicui confiteatur, hoc est objectum secreti naturalis.

515. 4° **De læsione sigilli :** *Violatur sigillum proprie dictum quoties manifestantur res sub sigillo contentæ cum probabili periculo notam faciendi personam quæ eas accusavit.* Certum est.

Declaratur. Duplici modo læditur sigillum : *directe*, quando expresse revelatur quod est materia sigilli simulque persona designatur quæ id fecerit; necesse non est ut persona sit audientibus nota, dummodo sit sufficienter determinata, et sine longa investigatione cognosci possit; neque necesse est ut audientes sciant sacerdotem loqui de

rebus in confessione auditis, sed sufficit ut revera ita loquatur e notitia sacramentali. — *Indirecte* violatur dicendo, vel narrando peccatum cum periculo manifestandi personam quæ illud accusavit, vel designando tantum pænitentem cum periculo ingerendi suspicionem peccati.

Directa sigilli revelatio nostris diebus inaudita est. Dici tamen nequit secretum hujusmodi *nunquam directe* violatum fuisse; refertur enim aliquoties, licet rarissime, sigillum etiam directe fractum fuisse [1]; sed facta hujusmodi tam pauca narrantur, etiam de pravis sacerdotibus, ut merito dici possit non sine speciali Dei providentia sacramentale sigillum tam fideliter custodiri.

Directa sigilli *violatio* est gravissimum peccatum, mortale ex toto genere suo, quod nullam admittit materiæ parvitatem, nam materia etiam levissima continet sacrilegam pænitentis proditionem et gravem rei sacræ abusum. — Hinc *confessarius* qui sigillum sacramentale *directe* violare *præsumpserit* plectitur ipso facto excommunicatione specialissimo modo Sedi Apostolicæ reservata (c. 2369, § 1); alii vero qui temere præscriptum can. 889, § 2 violaverint, omnes scilicet ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit, pro reatus gravitate plectantur salutari pœna quæ potest esse excommunicatio (c. 2369, § 2).

Indirecta sigilli violatio est gravis ex se, sed admittit materiæ parvitatem, nam juxta periculum proditionis — quod potest esse leve — dijudicanda est. — Pœnis gravibus ferendæ sententiæ, de quibus in can. 2368, § 1 (c. 2369, § 1), puniendus est confessarius qui indirecte tantum sigillum sacramentale violare præsumpserit.

516. De variis modis indirecte violandi sigillum. Multiplici ratione lædi potest sigillum indirecte :

(a) Si confessarius, narrando aliquod factum, tales refert circumstantias, ut pænitens probabiliter cognosci possit; v. g., primus qui mihi confessus est adulterium commiserat; — vel si facto publico extra confessionem cognito addatur quædam circumstantia

[1] Unum ex his factis refertur in *Vita S. Thomæ a Villanova*, *Acta Sanctorum*, t. XLV, p. 894-896. Videlicet homicida quidam crimen suum ignoto sacerdoti confessus est, qui de facto frater erat occisi; confessarius, post interrogationes de nomine homicidæ et circumstantiis criminis, hæc omnia manifestavit alteri fratri laico, ut judicibus eadem nota faceret. Quapropter homicida morte damnatus fuit; cum autem ante supplicium sua peccata confiteri nollet, *Thomas a Villanova* eum adiit ab eoque didicit ipsum confiteri nolle, quia ex violatione sigilli damnatus fuerat. Re maturius investigata, confessarius suum crimen confessus est et ad perpetuum carcerem damnatus, dum homicida liberatus est, quia judices agnoverunt nullum reum probari posse e violato sacramentali sigillo.

sola confessione nota; — aut, si post paucas confessiones auditas, dicat se audivisse tale grave peccatum; nam exinde singuli pænitentes aliquam suspicionem incurrunt.

(b) Si dicatur talem pænitentem non fuisse absolutum, vel nonnisi post aliquod experimentum : nam exinde infertur ejus peccata gravia fuisse.

(c) Si confessarius parentes vel superiores pænitentis admonet, ut specialiter tali tempore vel loco vigilent.

(d) Si unus pænitens præ aliis laudatur pro puritate conscientiæ, ita ut suspicio in alios conjiciatur; non autem si laudatur simpliciter, absque ulla comparatione, quamvis melius sit nihil in specie dicere de qualitatibus pænitentium sola confessione notis.

(e) Si alta voce increpatur vel interrogatur pænitens, vel si confessarius, audito peccato, gemit et exclamat; ex quo intelligi possit eum graviter peccasse.

(f) Si duo confessarii ejusdem pænitentis de ejus peccatis, absque speciali licentia, confabulantur; vel, si confessarius de his loquitur cum aliis qui hæc peccata aliunde sciunt, v. g., cum parentibus, aut cum altero conjuge. Si cum ipso pænitente extra confessionem, *absque ejus licentia*, de auditis in confessione loquitur confessarius, non quidem violat sigillum; sed utitur illicite scientia ex confessione acquisita, cum gravamine pænitentis (cf. n. 517).

(g) Si revelatur pravum habitum, confessione notum, grassari in aliqua congregatione, vel monasterio, vel parochia, nisi in hoc ultimo casu, pagus sit valde amplus (plus quam 3000 incolas continens); nam infamia hujus peccati in totam communitatem redundat; ita v. g., si de aliquo monasterio dicitur : ibi committuntur sacrilegia; vel de parvo oppido : hic grassatur adulterium, sodomia, fornicatio, etc. — Hinc concionator, qui parvam communitatem monialium vel religiosorum alloquitur, non debet describere aliquod peccatum particulare ab uno vel altero e membris accusatum, ne pænitentes putent id fieri propter peccatum quod declaraverunt; potest tamen modo generali describere defectus in omnibus monasteriis committi solitos.

(h) Parochus, qui missionariis vel extraneis sacerdotibus nota facit præcipua vitia in communitate grassantia, ut ea corrigant, non violat sigillum, si locus sit amplus ac vitia satis communia; sed, si ex notitia confessionis diceret in paucis familiis prævalere incestum, vel aliud vitium, sigillum læderet.

III. De usu scientiæ ex confessione acquisitæ.

517. Principium. — *Etiam excluso quovis revelationis periculo, jure naturali, divino positivo et ecclesiastico (can. 890)*

per se sub gravi prohibetur confessario et aliis usus scientiæ ex confessione acquisitæ, si fiat cum gravamine certo vel tantum probabili pænitentis. (burden - annoyance)

Gravamen intelligitur quæcumque molestia, quodcumque nocumentum (materiale, morale) erga quæ pœnitens invitus esse potest. Hinc : (a) Illicite utitur scientia ex confessione acquisita, qui post auditam confessionem, agendi rationem erga pænitentem mutat, durioribus verbis eum alloquendo, vel pristina benevolentia eum privando; v. g., si claves arcæ non amplius committit famulo, quem ex confessione infidelem invenit [1]; aut etiam rationem agendi mutat quoad alios, v. g., complices pænitentis increpando vel expellendo.

(b) Nec licet hac notitia uti ad removendum indignum ab officio, ad negandum ei suffragium, ad pænitentem in cubiculo includendum ne exeat ad peccandum, ad famulum dimittendum [2], etc.

518. (c) Potest confessarius uti scientia confessionis, quando nullum timetur periculum revelationis, nullumque gravamen pro pænitente aut aliis : 1 *ad bonum ipsius pænitentis*, videlicet pro eo ferventius orando, vel benignius cum eo agendo, quia id pænitenti ingratum esse nequit; 2 *ad bonum aliorum*, experientia acquisita utendo ad prudentiorem administrationem sacramenti, sive quoad interrogationes faciendas, sive quoad consilia præbenda; aut ad concionandum modo magis practico, dummodo tamen nil dicatur quod odiosam reddat confessionem; 3 *ad propriam emendationem*, proprios mores reformando, diligentius officiis suis fungendo ac vigilantius occasiones peccandi fugiendo.

519. (d) Non licet recusare confessionem audire pænitentis, qui e prævia confessione indispositus cognoscitur, v. g., quia occasionem peccati proximam et liberam dimittere non vult : hoc enim est maximum gravamen pænitenti; potest tamen ab initio confessionis eum dimittere, si eumdem indispositum inveniat, quamvis melius sit eum disponere, si fieri potest.

(e) Sacerdos qui ex confessione tantum novit sibi parari insidias vel vinum quo usurus est ad missam, esse veneno infectum, fugere

[1] Disputatur num in hoc casu confessarius possit in ipsa confessione famulo præcipere ut sponte reddat claves; affirmat **Elbel** (n. 514), negat **Lugo** (n. 123), quia talis jussio gravamen afferret pænitenti, et hanc opinionem probabiliorem putamus.

[2] "Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt" (*Codex*, can. 890, § 2).

Sent principiorum - Sacramentalis Compendium.

nequit vel missam omittere, si exinde alii conjicere possent ita violari sigillum, vel si ipsi pænitenti gravamen inferatur; si vero neutrum ex his verificatur, fugere vel a missa abstinere potest. Ceterum in omni casu confessarius, intra sacrum tribunal, licentiam petere potest hac notitia utendi ad vitam servandam; si pænitens autem licentiam recuset, vitam suam exponere debet confessarius potiusquam sigillum violare. Attamen, si certo constaret pænitentem has insidias revelasse in sacro tribunali eo præcise fine ut confessarius fugere non possit, confessio hujusmodi non est sacramentalis, nec proinde ad sigillum obligat.

520. **Corollaria :** (a) *de schedula confessionis danda vel neganda.* In quibusdam regionibus *schedula confessionis* in usu est, i. e., scriptum testimonium de confessione instituta tali die a tali persona datur præsertim iis qui paschalem communionem peragere vel matrimonium celebrare volunt, et ita scribitur : " Audivi talem in confessione, die... "; nihil autem dici debet de absolutione data vel denegata.

Jamvero schedula hujusmodi concedi potest iis omnibus qui confessionem sacramentalem peragunt, sive absolvantur, sive non; hinc denegari nequit pænitenti *indisposito*, qui eam petit extra confessionem : si enim negaretur, confessarius notitia confessionis uteretur cum gravamine pænitentis. Neque pariter denegari potest indisposito, intra tribunal petenti, quando pænitens in iis circumstantiis versatur in quibus dari solet, quia hoc esset implicite dicere pænitentem non fuisse rite confessum; extra has circumstantias, denegari potest vel concedi, secundum leges prudentiæ; hodie raro expedit eam denegare, quotiescumque pænitens unum saltem peccatum serio accusavit, ne ex tali denegatione per longum tempus a sacramentis arceatur.

Si vero pænitens simulatam tantum et irrisoriam confessionem peragit, vel si schedulam petit quin ullum peccatum confiteatur, generatim schedula deneganda est, nisi ex denegatione schedulæ ad matrimonium requisitæ oritura sint scandala.

(b) *De consilio exquirendo.* Si confessarius in casu difficili consilio indigeat, recurrere potest ad theologum cui pænitens ignotus est, vel, si id fieri nequeat, casum ita proponere ut periculum revelationis absit, v. g., casum ut fictum exponendo ac proinde omittendo circumstantias ex quibus cognosci possit pænitens. Potest etiam a pænitente licentia peti consilium capessendi ab alio confessario de re ad confessionem spectante; si vero hæc denegatur, ac simul adest periculum revelationis, confessarius, divino implorato lumine, probatos consulat auctores ad difficultatem meliori quo potest modo solvendam.

521. (c) Etiam excluso quovis periculo revelationis aut sim-

plicis gravaminis pro pænitente, confessarius loqui aut uti nequit de rebus ex confessione cognitis nisi cum summa prudentia, ne aliis confessionem reddat odiosam vel scandalum præbeat. Jamvero, ex Instructione *S^ti Officii* (9 junii 1915), quando positive et concrete aliquid narratur tanquam in confessione auditum, semper judicandum est exinde confessionem odiosam reddi in mente audientium. Districte ergo vetantur confessarii ne id faciant, ne obiter quidem, nec directe, nec indirecte, in suis publicis seu privatis sermonibus, excepto casu necessariæ consultationis, juxta regulas a probatis auctoribus traditas. Ordinarii graviter transgressores moneant, recidivos congruis pœnis percellant et S. Officio denuntient.

Art. II. De officiis confessarii quoad varia pænitentium genera.

522. Prænotanda. Cum diversi sint pænitentes qui ad sacrum tribunal accedunt, diversus esse debet modus cum eis agendi, singulorumque ingenio et indoli, necnon ætati, sexui, conditioni ac indigentiis accommodatus : non enim eodem modo tractari possunt qui levi et qui constanti sunt animo, scrupulosi et laxi, juvenes et senes, viri ac mulieres, magistratus et opifices, recidivi ac pii. Confessarius igitur omnia omnibus fieri debet, ut omnes faciat salvos. Hinc non solum Theologiæ Morali studere debet, sed practicæ *Psychologiæ*, habitibus, passionibus et virtutibus, necnon *Pastorali theologiæ*, ubi fusius exponitur generalium principiorum applicatio variis pænitentium generibus; et insuper *Tr. de Variis Statuum obligationibus;* necnon *Theologiæ Asceticæ*, ut personas pias in viam perfectionis dirigat.

Hic autem pauca tantum adnotabimus de iis pænitentium generibus, in quorum confessione specialis difficultas communius invenitur, pro ceteris remittentes ad probatos auctores qui hac de re fuse scripserunt [1]. — Agemus videlicet :

---

[1] **S. Alphons.**, *Praxis confessarii;* **Reuter**, *Neo-Confessarius*, parte II-III; **Lacroix**, lib. VI, n. 1794-1932; **Gaume**, *Manuel des Confesseurs;* **Ciolli**, *Direttorio pratico del confessore*, *gallice* redditum cura **Mazoyer**, *Directoire pratique du Jeune Confesseur*, Paris, 1899; **Aertnys**, *Theologia Pastoralis*, Tornaci, 1893; **Lehmk.**, n. 608-658; **Berardi**, *Praxis Confessariorum;* **Merkelbach**, *De variis Pænitentium categoriis*, 1928.

1° de iis qui *speciali instructione indigent*, pueris, rudibus, semifatuis, surdis ac mutis;

2° de iis quibus *difficilius est contritionem concipere*, occasionariis, habitudinariis et recidivis;

3° de iis qui *speciali cura indigent*, piis et moribundis.

§ I. De agendi ratione cum iis qui speciali instructione indigent [1].

I. De confessione puerorum.

523. 1° Jam diximus præcepto confessionis teneri pueros qui usum rationis adepti sunt; jamvero generatim sufficientem discretionem consequuntur circa annum septimum; id tamen pendet non ex sola ætate, sed etiam ex ingenii acuitate et educatione, aliisque temporis ac loci circumstantiis; v. g., maturi fiunt prius in calidioribus quam in frigidioribus regionibus. — Usu rationis relate ad confessionem gaudere censentur, quando peccata sua distincte explicant, quæstionibus a confessario propositis apte respondent, et intelligunt gravia delicta æternis puniri suppliciis; e contra si nihil dicere possunt nisi formulas memoriæ commendatas, si ad omnes quæstiones propositas affirmative respondent, absque ullo discrimine, et quamvis ita sibi contradicant, merito censentur rationis usu carere. In dubio autem utrum discretionem sufficientem consecuti sint, extra mortis periculum, non tenentur confiteri.

524. 2° Speciali **benignitate ac paterno affectu** excipiendi sunt pueri, ut, nedum deterreantur a sacro tribunali, potius libenter ad illud accedant suaque peccata sincere confiteantur. — Ipsis suadeatur primum sua peccata explicare; deinde opportunis juventur quæstionibus : num tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam, — utrum matutinas et vespertinas preces recitaverint, — num diebus dominicis aut festivis missæ sacrificio interfuerint, utrum in eo confabulaverint, — an juraverint, blasphemaverint aut indecora verba usurpaverint, — utrum parentibus inobedientes fuerint, aut debita reverentia erga eos caruerint; — num cum aliis rixati fuerint, iracundiæ vel invidiæ viam dederint, alios percusserint vel ignominioso nomine appellaverint, aut pravum exemplum præbuerint; — utrum aliquid turpe audierint, dixerint vel patraverint, quod

[1] De spirituali cura rudium et parvulorum lege aurea opuscula **S. Augustini**, *De catechizandis Rudibus*, P. L., XL, 310-347; **Gersonii**, *De Parvulis ad Christum trahendis;* **Timon-David**, *Traité de la confession des enfants et des jeunes gens*, 11e éd., 3 vol., Paris, 1909; **Mère Loyola**, *Pour la confession des Tout-Petits*, Toulouse, Tournai, 1912; **Pastor**, *La sanctification des enfants*, 2e éd., 1924.

coram parentibus dicere aut facere erubescerent; — num parvula furta commiserint vel damnum aliis intulerint; — an mendacia commiserint, joco vel ad aliis nocendum; — utrum carnem diebus vetitis comederint; — an scholam catholicam frequentent ac catechismo studeant, etc.[1] Caveat confessarius ne nimius sit in interrogando, ne pueri horrorem concipiant confessionis. De castitate illas solum quæstiones proponat, quæ innocentium curiositatem non excitent, et tamen reis occasionem præbeant delicta sua manifestandi : quidam enim pueri et puellæ hac de re nil dicunt, nisi interrogentur.

525. 3° **Post auditam confessionem,** pueri instruendi sunt de mediis ad vitanda peccata adhibendis, et de peccati fœditate, quin tamen ut grave exhibeatur peccatum quod est tantum leve[2]; sed doceantur fugere etiam levia delicta, ut Purgatorii pœnas evitent, placeantque Christo Jesu, qui pro ipsis tam acerbos cruciatus et ipsam mortem passus est. Ad contritionem hortandi sunt non longa exhortatione, quam forsan mente distracti non intelligent, sed quæstionibus eorum captui accommodatis, v. g. : " Fili, possesne per quadrantem inferni ignem sustinere? — Christum pro te passum et mortuum visne de novo crucifigere? — Patrem tuum cælestem, qui tot beneficia tibi contulit ac quotidie confert, visne graviter offendere? — Nonne doles de peccatis quibus infernum meruisti, Jesum ac Deum offendisti? etc. " — Si venialia tantum accusaverint, simili modo eos alloquere de Purgatorio aliisque malis ex hujusmodi peccatis orientibus[3].

Pænitentia eorum ætati conveniens injungetur, levior quam pro adultis, quam statim peragant, ne in oblivionem cadat.

526. 4° Quoad **absolutionem,** (a) certo denegari nequit pueris, qui *gravia* peccata commiserunt, si alias satis videantur *dispositi*, ut recte docet *S. Alphonsus*[4]; hinc omnino reprehendenda est praxis eorum qui sine absolutione eos dimittunt qui ad primam communionem adhuc non sunt admissi. (b) Si autem dubium sit num usum rationis habeant, aut sufficienter sint dispositi, sub conditione absolvendi sunt in periculo mortis, vel urgente præcepto

---

[1] Optimum catalogum peccatorum, quæ communius in pueris committuntur, invenies ap. **Mother M. Loyola**, *First Confession*, p. 34-36.

[2] Aliquando pueri peccant mortaliter *subjective* in iis quæ sunt de se levia, quia e modo loquendi parentum aliorumve intellexerunt hæc esse gravia : prudenter corrigatur hæc erronea conscientia.

[3] Et sane, cum in pueris neque affectus ad peccata, neque passiones inveteratæ adsint, quid minimum sufficit ut, ope divinæ gratiæ, quæ certe non deerit, rite disponantur. Cfr. **Berardi**, *De Recidivis*, n. 191 ubi etiam invenies methodum, sub forma dialogi, ad pueros disponendos.

[4] *Praxis Confess.*, n. 91.

annuæ confessionis, et aliquoties in anno, ne maneant in statu peccati, si forte graviter peccaverint; extra hos casus, cum simplici benedictione benigne dimittantur ad tempus. (c) Si vero nonnisi *venialia* accusaverint, eos ad contritionem excitet, et si sufficienter sunt dispositi, absolvendi sunt, ne sacramentali gratia careant; si *dubie dispositi* post exhortationem maneant, *aliquoties*, non autem quoties confitentur, conditionate absolvantur, ut gratiam sanctificantem recuperent, si forte gravi peccato, cujus sunt immemores, eam amiserint.

II. De confessione rudium, semi-fatuorum et mutorum.

527. 1° **De rudibus.** Hic agitur non de iis qui, licet inculti in rebus humanis, bene in rebus ad salutem spectantibus instructi sunt; sed de iis qui ignari sunt in negotio salutis. Jam dictum est (n. 480 sq.) quomodo ante vel post absolutionem instruendi sint. Hic tantum pauca dicenda sunt de quibusdam difficultatibus quæ in eorum confessione occurrunt.

(a) Quidam vix habent quid accusent; quod oriri potest ex defectu materiæ, examinis aut cognitionis; si primum, i. e., si de facto a gravioribus peccatis abstinuerunt, propter continuos labores, et aliunde leviora delicta accusare non solent, doceantur quomodo venialia confiteri et in futurum vitare possint, necnon quantum prosit anteactæ vitæ graviora iterum declarare et detestari. Si ex defectu *examinis*, benigne juventur ad latebras suæ conscientiæ scrutandas, ut supra, n. 264, dictum est. Si ex defectu *cognitionis*, instruantur in ipso tribunali de iis quæ necessaria sunt ad absolutionem valide ac licite accipiendam, et postea de aliis quæ necessaria sunt de præcepto.

(b) Alii contritionem vix concipere possunt, quia de motivis ægre cogitare valent; hæc motiva igitur simplici sermone, ad modum dialogi, eis proponantur, ut diximus de pueris.

528. 2° **De semi-fatuis.** Perpetuo amentes absolutionem recipere nequeunt; sed de semi-fatuis aliter dicendum.

(a) Si certo inter bonum et malum distinguere possunt, quamvis subobscure, et aliunde bene dispositi videntur, absolvi possunt non solum semel, sed pluries in anno. Sed cum, ob ingenii tarditatem et memoriæ debilitatem, veritates etiam necessarias vix memoria retinere valent, curabit confessarius eos ita disponere ut necessarios actus fidei, spei et contritionis eliciant; ita v. g. procedere potest: "Credisne in unum Deum? Credisne eum malos punire ac bonis præmia largiri? Credisne tres esse personas in Deo, distinctas ac perfecte æquales, et Filium Dei propter nos hominem factum fuisse

suoque sanguine nos redemisse, etc.?" Eodem modo quoad motiva contritionis procedatur.

(b) Si dubitatur de sufficienti usu rationis et utrum possit graviter peccare vel non, meliori quo fieri potest modo instruendus ac disponendus est semi-fatuus, et sub conditione absolvendus in periculo mortis, imo aliquoties in vita, saltem semel in anno, ne in peccato mortali maneat, si forte aliquod commiserit.

529. 3° De mutis et surdis. (a) Hi stricte non tenentur ad scribendam suam confessionem, supra, n. 243; sed ad id faciendum suaviter inducantur, si scribere valeant, cum sic melius procuretur integritas confessionis.

(b) Cum hodie surdi-muti sat facile instrui possint, curare debet pastor vel confessarius ut, quantum fieri potest, ad eas scholas mittantur ubi christianam doctrinam discere valeant, quo melius sua peccata confiteri ac detestari possint.

(c) Si vero hisce novis methodis instructi non fuerint, confessarius primum ab eorum familiaribus inquirat quænam peccata frequentius committant; deinde eos in aliquem locum occultum ducat, ubi signis quædam peccata saltem modo confuso declarare suamque contritionem exprimere conentur; signis quibusdam, v. g., oculos ac manus ad cælum erigendo, eos ad contritionem exhortetur, et absolute vel conditionate absolvat, prout certus vel dubius erit de eorum dispositionibus. N.B. In all 3 cases - concerned with purpose

§ II. De agendi ratione cum occasionariis, consuetudinariis et recidivis[1].

Find out what kind of person he is, bitter or how long he has been doing it

Specialis invenitur difficultas in his absolvendis, quia, nisi velint occasionem peccati removere, pravam consuetudinem eradicare aut relapsus vitare, *vere contriti esse non videntur*. De singulis seorsim dicemus.

I. De Occasionariis.

Exponemus *notionem et species* occasionum peccandi; necnon *modum agendi* cum occasionariis.

[1] **S. Alphons.**, n. 452-464; *Praxis Confess.*, n. 63-80; **Lacroix**, n. 1819-1832; **Billuart**, diss. VI, a. 10, § 5-6; **Reuter**, n. 168-188; **Marc**, n. 1819-1831; **Aertnys**, n. 298-351, **Ball. P.**, n. 167-312; **Lehmk.**, n. 617-628; **Müller**, § 156-157; **Genicot**, n. 369-374; **Noldin**, n. 397-400. 418-421; **Prümmer**, 449-453; **Berardi**, *De Recidivis* et *Occasionariis*; **F. Ter Haar**, *De Occasionariis et Recidivis*, Taurini, 1927; *Casus conscientiæ de præcipuis hujus ætatis peccandi occasionibus*, 1934.

530. 1° Notio et species occasionum. (A) *Notio.* Occasio peccandi est *persona vel res* **externa** *ad peccatum alliciens.* Unde distinguitur ab illis principiis *internis*, quæ ad peccatum inclinant, prout sunt concupiscentia, habitus mali, etc. Distinguitur etiam a *periculo peccandi*, quod tum externum tum internum esse potest : proinde latius patet periculum quam occasio peccandi, seu aliis verbis omnis occasio peccati est periculum, sed non omne periculum est occasio. — Attamen occasio externa non est vere periculosa nisi sit simul interna propensio ad malum. Unde, in praxi, duo concurrunt ad occasionem constituendam : *externum* objectum ad peccatum alliciens, et *interior* inclinatio ad peccatum.

531. (B) *Species.* Occasio peccati duplex est : *remota* et *proxima.* (a) *Prior* ea est quæ *leve tantum peccandi periculum constituit*, quia quamdam, sed non magnam vim habet alliciendi ad peccatum, ita ut qui in ea versantur plerumque non peccent. De hac nulla est specialis difficultas : tales enim occasiones ubique existere constat, ita ut ad eas vitandas necesse esset de hoc mundo exire.

(b) *Posterior*, seu *proxima*, ea est quæ *grave periculum peccandi constituit*, ita ut in ea versantes frequenter in peccatum incidant. Hic agimus tantum de occasione *mortale* peccatum committendi. Cum autem hujusmodi periculum plus minusve certum esse possit, animadvertimus regulas infra traditas *strictius* intelligendas esse de iis qui in *certo* peccandi periculo versantur, *mitius* autem de eis qui in *probabili* solum versantur periculo; non enim *mathematice*, sed *moraliter* applicandæ sunt.

Jamvero gravitas hujus periculi duplici modo dignosci potest : *experientia*, si quis videlicet in iisdem circumstantiis antea positus plerumque aut saltem frequenter peccavit; v. g., si quis cauponam ingrediens *sæpius* inebriatur, occasio est proxima; si *raro* admodum, est remota; — *ex communiter contingentibus*, etiam deficiente experientia; etsi enim persona quædam nunquam peccaverit, aliquando prævideri potest eam valde probabiliter peccaturam, si tali periculosæ occasioni exponatur; v. g., si quæ junior puella, animo levis et voluntate infirma, sola cum vitioso viro per longum tempus cohabitatura sit, valde timendum est ne, data humana infirmitate,

in peccatum incidat; talis igitur cohabitatio, etiam ante omne peccatum commissum, est occasio proxima.

532. (C) *De occasionis proximæ speciebus.* Occasio proxima subdividitur ex parte *personæ*, *durationis* et *causæ*.

(a) Ex parte *personæ*, occasio proxima est absoluta vel relativa : *absoluta*, quando, attenta hominum fragilitate, grave periculum pro omnibus constituit, v. g., lectio libri valde obscœni, diuturna cohabitatio cum concubina; *relativa*, quando grave periculum non inducit pro omnibus, sed tantum pro tali vel tali persona, propter ejus specialem fragilitatem aut præteritos lapsus; ita ingressus in cauponam pro eo qui ibi frequenter inebriatur, est pro eo occasio proxima, non autem pro omnibus; diuturnum colloquium cum puella occasio proxima est pro juvene qui impuro amore eam prosequitur, non autem pro omnibus.

(b) Ex parte *durationis*, occasio est *continua*, seu *in esse*, quando quis eam *apud se* habet, v. g., boni alieni injusta detentio, obscœni libri vel picturæ retentio, aut vitiosa persona in eadem domo habitans; — vel *interrupta*, seu *absens*, quando quis eam non apud se habet sed eam *adit* vel ipsa *occurrit*; v. g., ingressus in cauponam ubi quis ebrietatis periculum incurrit; accessus ad convivia, in quibus habitualiter detractio committitur; conversatio cum amasia, quæ sub eodem tecto non vivit.

(c) Ex parte *causæ*, occasio est voluntaria vel necessaria : *voluntaria*, quando libere dimitti potest absque gravi incommodo, v. g., accessus ad theatra, conversatio cum pravis sociis, ludus aleatorius, etc.; *necessaria*, quando absque gravi incommodo dimitti nequit, sive physico, sive morali. Jamvero *physice necessaria* est occasio, si nullomodo dimitti possit, v. g., si quis in navi vel in carcere cum pravis sociis detineatur, si concubinarius sit in articulo mortis et tempus deficiat ad concubinam expellendam; *moraliter necessaria* dicitur, si dimitti nequit absque gravi damno temporali vel spirituali, v. g., sine amissione officii vel muneris, sine scandalo, etc., ut fusius infra exponetur.

533. (D) *Præcipuæ occasiones peccati.* Quo melius intelligantur regulæ de occasionariis, præcipuas occasiones recensere expedit,

animadvertendo tamen has non esse semper et pro omnibus proximas, sed de eorum proximitate judicandum esse secundum notionem superius traditam; de iis fusius agitur in variis Tractatibus *Theologiæ Moralis.*

(a) *Contra fidem :* lectio ephemeridum, periodicorum vel librorum acatholicorum; — intimior ac frequentior cum acatholicis consuetudo; — scholarum ac collegiorum frequentatio, in quibus nulla vel falsa religio docetur; — famulatus apud hæreticos, vel irreligiosos heros; — assistentia concionibus acatholicis; — matrimonia mixta, etc.

(b) *Contra castitatem :* concubinatus; — cohabitatio personarum diversi sexus, quæ legitimo matrimonio minime junguntur; — cum pravis sociis colloquia; — quædam choreæ, quæ propter personas, saltationis genus, circumstantias loci ac temporis sunt magis periculosæ; theatrorum frequentatio, eorum præsertim quæ tum rebus exhibitis tum choreis scenicis (*ballets*) libidinem incendunt; — lectio librorum obscœnorum vel eroticorum; — retentio statuarum, imaginum et photographiarum, quæ hodie apud juvenes facile mores corrumpunt; — quidam ludi minus honesti inter personas diversi sexus; — frequentiores ac protractæ visitationes adamantium, præsertim quando solus cum sola per longas horas manent, ut sæpius fit in quibusdam regionibus, cum magno animarum detrimento; — pericula domestica, quæ sive ex familiæ membris vel ex famulis, aut ex heris oriuntur; — quædam artes quæ periculosæ sunt propter prava colloquia vel intimiores relationes inter personas diversi sexus, etc.

(c) *Contra temperantiam :* cauponæ et popinæ; — frequentatio eorum qui ebrietati indulgent, præsertim sabbato aliisve diebus quibus operarii salarium accipere solent; — quædam festivitates, sive religiosæ sive civiles; — quandoque convivia nuptialia, et in quibusdam regionibus vigiliæ apud mortuorum corpora *(wakes);* potatio ad æquales haustus (anglice *habit of treating*), etc.

(d) *Contra justitiam :* quædam officia publica et politica, quæ facile medium injuste ditescendi præbent; — quædam mercaturæ, ac Bursæ speculationes, quæ a fraude non sunt immunes, etc.

534. 2° De modo agendi cum occasionariis. Distinguendum est inter occasionem proximam *liberam* et *necessariam.*

(A) De occasione peccandi libera. *1ª Regula : Qui scienter ac volenter recusat occasionem proximam et voluntariam deserere, vera contritione caret, proindeque absolvi nequit.* Certum est.

Probatur : (a) Qui scienter ac volenter in proxima occasione versatur, ac simul gravem non habet rationem in ea manendi, eo ipso ostendit se amare periculum peccandi, ideoque peccatum ipsum, cum prævideat se in hac occasione probabiliter peccaturum; nam qui vult finem, i. e., vitationem peccati, eo ipso vult media, i. e., vitationem gravis peccandi periculi. Porro qui amat peccatum non est vere contritus; ergo absolvi nequit. — Hinc merito Scriptura[1] : " Qui amat periculum, in illo peribit "; i. e., qui scienter, et absque ulla necessitate se exponit periculo peccandi, privatur abundanti gratia necessaria ad resistendum, et in peccatum incidit.

(b) Quapropter, 2 martii 1679, ab *Innocentio XI* damnata est hæc propositio 61 : " Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit "[2].

535. *Declaratur :* dictum est *scienter ac volenter;* nam aliquando pænitentes, propter ignorantiam vel animi levitatem, conscii non sunt se in proxima occasione versari; quod præsertim occurrere potest quando agitur de occasionibus interruptis et relativis, v. g., de quibusdam lectionibus, visitationibus, spectaculis, sociis, etc. — Unde *gravis* exsurgit *quæstio* num *monendi sint*. Regulariter quidem monendi sunt, ne in proximo periculo relinquantur, supra n. 484. Attamen, si in tali casu confessarius prævideat monitionem his pænitentibus inutilem, imo et nocivam fore, eos in bona fide relinquere potest, atque absolvere, dummodo aliunde constet eos sincere sua peccata detestari : quod facere possunt in casu, cum ipsis persuasum sit vel occasionem non esse proximam, vel non esse gravem obligationem eam relinquendi. Postea vero, si iterum in eadem occasione peccant, paulatim instruendi sunt de hac occasione fugienda : quod sane melius intelligent, si propria experientia norunt se frequenter propter eamdem peccare[3].

536. *2ª Regula : Qui versatur in occasione proxima libera et continua* (v. g., in concubinatu) *regulariter non est absolvendus,*

[1] *Eccli.*, III, 27.

[2] **D. B.**, 1211; cfr. **Viva,** *op. cit.*, in Proposit. XLI *Alex. VII*, ubi hæc Innocentii propositio exponitur.

[3] Cfr. **Berardi,** *op. cit.*, vol. II, n. 32 sq., ubi particulares casus exhibentur.

antequam de facto occasio remota fuerit. Ita communiter cum *S. Alphonso* (n. 454). Nam, etiamsi pænitens possit esse contritus antequam occasionem removerit, valde timendum est ne, si statim absolvatur, occasionem de facto non tollat : ablatio enim talis occasionis est res magnopere ardua, et non fit nisi quis magnam vim sibi inferat; porro, si occasio non aufertur ante absolutionem, pænitens de facili post absolutionem se decipiet; nam occasio semper præsens sæpe mentem excæcat et voluntatem debilitat, ita ut propositum antea sincere elicitum inefficax reddatur. Hinc confessarius, ut *medicus*, ordinarie absolvere non debet pænitentem, ne forte eum periculo relapsus exponat.

Dixi *regulariter;* sunt enim casus in quibus prudenter dari potest absolutio ante occasionis dimissionem : quando occasio, licet continua, non est tam periculosa, v. g., si agatur de restitutione et pænitens sincere promittat quamprimum restituere, nec antea promissum suum fregerit; — quando pænitens jam media adhibuit ad removendam occasionem, v. g., si dixerit ancillæ, cum qua peccare solebat, ut domum relinquat expirante hebdomade; — quando specialia doloris signa exhibet, ex quibus judicari possit ejus propositum esse firmissimum; — aut si in morali necessitate versatur absolutionem statim accipiendi, v. g., si agitur de moribundo, de sponsis matrimonium contracturis, de iis qui absque famæ periculo communionem differre nequeunt, de iis qui eumdem confessarium adire nequeunt, ut iter facientes, vel qui convertuntur in fine missionis; tandem quando ita sunt dispositi ut, nisi statim absolvantur, probabiliter non sint reversuri.

537. *3ª Regula. Qui versatur in occasione proxima voluntaria et interrupta*, v. g., frequentando popinas, pravos socios aut periculosa spectacula, statim absolvi potest, dummodo sincere promittat se hanc occasionem vitaturum. Si vero hoc promissum pluries fregerit (v. g., tribus vicibus), absolutio deneganda est usquedum sincerum propositum emendationis occasionis fuga demonstraverit.

Ratio prioris est quia interrupta occasio facilius abrumpitur quam continua, nec periculum tam grave constituit; unde propositum eam vitandi firmum et efficax esse potest, etiam ante probationem. Ratio posterioris est : qui fidem fregit non facile credi potest; aliunde fit *recidivus*, et cum eo agendum est modo infra exponendo, n. 545 sq.

538. (B) De occasione peccandi necessaria. Facile intelligitur, ex jam dictis (n. 532), quid sit occasio *physice* necessaria. *Moraliter* autem necessaria dicitur ea quæ relinqui nequit sine *gravi damno* spirituali vel temporali, de

quo, in singulis casibus, prudenter judicare debet confessarius, omnibus attentis circumstantiis. Pauca tantum exempla afferamus, ex quibus judicium in ceteris efformari valeat.

(a) Grave damnum *spirituale* adesse censetur : 1) quando pænitens occasionem relinquere nequit quin in aliam similem vel pejorem se conjiciat : talis est casus ancillæ, quæ ob suam pulchritudinem et moralem fragilitatem, in omnibus domibus in quibus commorata est, eadem aut pejora invenit pericula. Cavendum est tamen ab illusionibus; v. g., herus, qui sæpe cum juniori ancilla peccavit, facile credit se in æquali versaturum difficultate cum nova famula; quod tamen sæpe falsum est, præsertim si eligat famulam annosam, minus decoram, indole gravem ac piam. 2) Quando occasio vitari nequit sine injustitia aut alio peccato; v. g., ordinarie vir uxorem relinquere non potest aut vice versa; nec filius aut filia, domum paternam; miles, exercitum, ante tempus præfinitum; monialis, conventum; nec medicus conductus, curam alicujus personæ; nec famulus, ante tempus constitutum. 3) Quando occasio absque scandalo gravi aliove malo spirituali aliorum vitari nequit; v. g., materfamilias quæ a viro separari nequit absque scandalo vicinorum vel spirituali damno filiorum; vel herus qui ancillam ejicere non potest statim post missionem quin scandalum excitet. Sed hic etiam ab illusionibus cavendum est; sæpe concubinarius dicet ancillam sine scandalo ejici non posse, dum e contra scandalum aufertur ejus ejectione, dummodo prudenter fiat, tempore opportuno, et sub rationabili prætextu.

539. (b) Grave damnum *temporale* existere censetur, quando occasio dimitti nequit sine notabili jactura vitæ, famæ aut fortunæ; v. g., si quis proprium officium vel artem, ex qua seipsum vel familiam sustentat, derelinquere deberet, ut mercator qui in negotiando occasionem fraudes committendi invenit; medicus qui in arte exercenda pericula peccandi invenit; parochus, confessiones audiendo; fœmina, hospitando. Quod præsertim verum est, quando simul adest aliquod spirituale damnum propter pericula ex egestate vel otiositate oriunda. — Attamen non facile credendum homini occasionario affirmanti sibi nimis grave esse occasionem removere. Hoc enim sæpe oritur ex affectu ad peccatum. Unde casum perpendat prudenter ipse Confessarius [1].

Si vero damnum leve est tantum, omnibus sedulo inspectis, occasio moraliter necessaria dici nequit. Hinc merito damnata est ab *Alexandro VII*, 18 mart. 1666, hæc propositio 41 : "Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*,

[1] Exempla invenies conspicua apud **Berardi**, n. 78.

dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur "[1]. Et ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679, propositio 62 : " Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit "[2].

Hinc a fortiori quærenda non est directe occasio proxima, etiam sub prætextu boni spiritualis vel temporalis; nam ab eodem *Innocentio* damnata est propositio 63 : " Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi "[3].

540. *1ª Regula : Qui prima vice occasionem proximam necessariam confitetur non est sincere contritus, nec absolutione dignus, nisi paratus sit occasionem e proxima moraliter remotam facere, adhibendo media ad id necessaria.* Certum est.

Etenim qui his mediis uti non vult, eo ipso ostendit se amare periculum peccandi in quo versatur, et consequenter ipsum peccatum; qui enim vult sincere finem, i. e., in hoc casu, vitationem peccati, eo ipso vult media ad finem necessaria, ea nempe quæ occasionem moraliter saltem removeant. — Ex altera autem parte, qui mediis necessariis sincere uti volunt, eo ipso ostendunt se nolle peccare; et Deo juvante, " qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ", spem habet horum mediorum ope, pericula superandi.

Dictum est *media necessaria*, quia absolute loquendo pænitens non tenetur omnia utilia media adhibere, sed solum ea quæ vere necessaria sunt; et ibi bonæ fidei locus est modo supra (n. 535) exposito.

541. Præcipua autem media *quibus occasio necessaria e proxima moraliter remota fieri potest*, triplicis sunt generis :

1) Alia eo tendunt ut *vim occasionis minuant;* qualia sunt verba serio et firmiter complici dicta ad vivide exprimendum horrorem talis vel talis peccati; — comminatio ne tota res pandatur iis qui remedium afferre possunt, v. g., superioribus, parentibus, heris; — vitatio omnis familiaritatis aut solitariæ conversationis cum complice; imo ejus aspectum fugere, de eo nec loqui nec cogitare, in quantum fieri potest; — si aliquæ circumstantiæ occasionem proximam generent, v. g., vespertina confabulatio cum ancilla, sedulo tollendæ sunt; pariter si periculum oriatur ex eo quod complex cubiculum ingrediatur, janua claudatur et obseretur, etc.

[1] D. B., 1141; cfr. Viva, l. cit. — [2] D. B., 1212. — [3] D. B., 1213.

2) Alia *vim concupiscentiæ minuunt* : labor assiduus, ut sic mala vitentur quæ docere solet otiositas [1]; — modestia sensuum, præsertim oculorum : "Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine" [2]; — mortificatio curiositatis ac aliarum passionum : qui enim suis inclinationibus in rebus licitis aliquando resistere solent, multo efficacius illicitis resistunt; — pravas, imo periculosas cogitationes, præsertim de persona amata, vitando aut strenue fugando; — periculosas lectiones relinquendo; — ab excessivis potationibus abstinendo; — moderata corporali exercitatione concupiscentiam frænando, etc.

3) Alia tandem *vires spirituales augent* : quolibet mane et vespere, necnon urgente tentatione, ferventer orare : "Vigilate et *orate* ut non intretis in tentationem" [3]; — quotidie ante imaginem Crucifixi renovare propositum non amplius peccandi; — ad B. Virginem frequenter recurrere; — de novissimis sæpe cogitare [4]; — pios libros legere; — pias aspirationes recitare et in conspectu Dei ambulare; — sacramenta assidue recipere, et præsertim post lapsum statim confessarium adire [5], etc.

Quæ tamen media, ut recte animadvertit *S. Leonardus* [6], non omnia simul adhibenda sunt, sed modo ista, modo illa, secundum personarum indolem, occasionum naturam aliasque circumstantias.

2ª Regula : Qui pluries absoluti in occasione proxima necessaria manent et semper eodem modo relabuntur, post plures paternas instructiones, exhortationes et increpationes, *non possunt absolvi nisi signa extraordinaria contritionis* præbeant, aut *occasionem deserant*, etiam cum gravissimo incommodo. Ita communiter, cum *S. Alphonso* (n. 457) contra paucos [7].

Declaratur : 1) Primum quidem occasionario remedia necessaria

---

[1] "Multam enim malitiam docuit otiositas". (*Eccli.*, XXXIII, 29.)

[2] *Job.* XXXI, 1. — [3] *Matt.* XXVI, 41.

[4] Si quis meditari nesciat et peccatis sit addictus, quotidie sibi dicat, ante somnum : si ita vivere pergam, æternis devovebor suppliciis.

[5] *S. Philippus Nerius* cuidam juveni, qui quasi quotidie graviter peccabat, fere nullam aliam dedit pænitentiam nisi quod, si recideret, statim ad confessionem rediret; obedivit pænitens, et *Philippus* semper illum absolvebat, eamdemque semper illi imponebat pænitentiam; quo medio tempore brevissimo juvenis emendatus est et tanquam angelus evasit. Cfr. **Berardi,** n. 82.

[6] **S. Leonard.,** *Discorso mistico*, n. 20.

[7] **Baller. P.,** n. 192 sq.; **Genicot,** 374; **Noldin,** n. 409. Qui allegant etiam **Lugonem,** disp. XIV, n. 157.; sed **Lugo** ipse admittit (n. 160) hos frequentes relapsus, absque emendatione, aliquam præsumptionem contra talem occasionarium creare, proindeque necessitatem quorumdam specialium signorum ad illam præsumptionem elidendam. — Cfr. *Vindic. Alphons.*, p. 603-620.

præscribuntur; si ea neglexerit, bis aut ter serio monendus est ut ea adhibeat; si vero iterum ea neglexerit, sine absolutione dimittendus est, nisi signa specialia contritionis exhibeantur, uti de recidivis dicemus, propter rationem ibi allatam.

2) Si quædam saltem media adhibuerit, cum aliqua emendatione, absolvi potest et ad majores conatus hortandus est.

3) Si vero media adhibuerit, et, post plura experimenta, nulla sit emendatio nec saltem probabilis spes emendationis, non est absolvendus antequam occasionem dimittat aut specialia melioris propositi signa afferat. Nam in hoc casu periculum peccandi ita grave est ut, omnibus perpensis, in hoc periculo manere jam peccatum sit. Quare huc spectant verba Christi [1] : "Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis"; quibus verbis significatur omnia damna, etiam gravissima, nos pati debere potiusquam æternam damnationem, ideoque gratiæ amissionem, incurrere.

Objicit quidem *Ballerini*, hypothesim *S. Alphonsi* negandam esse; nam, si nulla hucusque fuerit emendatio, inde poterit tantum concludi media non fuisse sufficientia, vel neglecta. Fatemur equidem eam *raro* contingere; nam qui *serio* opportuna adhibet remedia plerumque emendatur. Sed aliquando dantur qui *serio* his non utantur, nisi absolutio differatur usquedum vel occasionem dimittant vel extraordinaria signa contritionis præbeant.

Practice of doing something

II. De Consuetudinariis.

habit-
ual or
inclination
of doing
something

542. 1° Notio. Consuetudinarius, seu in peccato habituatus, dicitur ille qui internam facilitatem idem peccatum committendi contraxit ex actibus sæpe repetitis [2]. Distinguitur proinde consuetudo seu habitus peccati ab occasione peccandi, in eo quod hæc est ipsi peccatori extrinseca, dum illa est *interna;* sæpe tamen connectitur cum occasione, quatenus haud raro ex hac oritur vel saltem multum augetur.

Quot actus ad pravum habitum contrahendum sufficiant non potest absolute determinari. Hoc enim pendet a *peccantis indole*, ejus videlicet majori vel minori fragilitate; *peccati natura*, cum in quibusdam materiis, v. g., materia castitatis, facilius ac promptius

[1] *Matth.*, XVIII, 9.

[2] De habitibus in genere eorumque in voluntatem influxu dicitur in *Theol. Morali Fundamentali;* interea vide, si velis, præter auctores classicos, *Vieux moraliste* in *Ami du Clergé*, XXI, 1899, pp. 529, 593, 673 sq.

acquirantur pravi habitus; *modo quo peccatum committitur*, majori vel minori voluntatis adhæsione; necnon *longiori vel breviori tempore*, quod inter varios actus intercessit : ita qui sæpius eadem die peccat, et postea per longum tempus ab iisdem peccatis abstinet, non tam facile habitum contrahit quam qui regulariter semel aut iterum quotidie aut qualibet hebdomade eadem peccata committit. — Ad hoc præsertim attendat confessarius : quo facilius aliquod peccatum committitur, eo plures requiruntur actus ad habitum constituendum; ita plures requiruntur actus pro peccatis internis, quæ facilius perficiuntur quam pro externis, plures pro iis quæ solitarie perpetrantur quam pro eis quæ complicem requirunt. Hinc, juxta *S. Alphonsum*[1], quinquies in mense peccatum externum committere, modo inter varios actus aliquod intervallum intercedat, sufficit ad habitum contrahendum; dum, si agitur de peccatis internis, multo major requiritur numerus; si vero agitur de peccatis externis, quæ nonnisi cum complice perpetrari valeant, minor requiritur numerus; qui, v. g., semel in mense fornicatur per annum, habituatus dici potest.

Iterum distinguere oportet inter habitum *deliberate* contractum, cum perfecta voluntatis electione, et habitum ex *mera fragilitate* formatum : in priori casu, ut sæpe accidit pro habitibus furti et odii, consuetudinarii generatim peccant ob habitualem voluntatis perversitatem, ac proinde difficilius pænitent; in posteriori casu, v. g., si agitur de peccatis carnis, intemperantiæ, vel iræ, delinquunt ob vehementem passionis impetum, et hoc præterito, suum peccatum facilius abhorrent.

543. 2° **Regula :** *Consuetudinarii absolvi possunt quoties vere ac sincere dispositos se exhibent ad illa media adhibenda quæ necessaria sint ad consuetudinem vincendam.* Certum est.

Etenim pravus habitus *per se* non est indispositionis signum, sed solum relapsum probabiliorem reddit; jamvero, si quis habitum retractat et sincere vult media adhibere ad consuetudinem vincendam, eo ipso ostendit se esse bene dispositum, ac proinde absolvi potest; aliunde media præscripta adhibendo, vim consuetudinis minuet et paulatim extinguet : consuetudo enim contraria consuetudine vincitur.

Media autem suggerenda sunt *generalia*, ut oratio, meditatio, recordatio Dei præsentiæ, fuga occasionis, si habitus ex occasione oriatur, sacramentorum frequens receptio, etc.; aut *particularia* ea

[1] *Praxis Confess.*, n. 70.

scilicet quæ pravæ consuetudini opponuntur, v. g., sensuum mortificatio ad impuritatem vincendam, abstinentia a potu inebriante ad superandam intemperantiam, ut alibi exponitur in *Tr. de Peccatis* et *de Virtutibus*.

544. Corollaria. (a) Consuetudinarius, qui *prima vice pravum habitum confitetur, regulariter absolvi debet*, licet nulla emendatio præcesserit, dummodo *serio promittat* mediis uti necessariis ad habitum eradicandum. Cum enim promissa non violaverit, ac sincerus supponatur, credi potest ac debet. — Dicitur tamen *regulariter*, quia si habitus sit valde radicatus ac fuerit deliberate contractus, aliquando expedit ad breve tempus absolutionem differre, quo pænitens vividiorem peccati horrorem concipiat ac magis strenue media præscripta adhibeat.

(b) Consuetudinarius, qui *pravam consuetudinem jam sæpius confessus fuerat*, sed de remediis adhibendis *monitus non erat*: 1) absolvi potest si melius instructus eis uti promittit. Si enim media necessaria non adhibuerit, id ignorantiæ potiusquam malitiæ tribuendum est; aliunde, cum serio promittat eis uti, bene dispositum sese exhibet.

2) Si vero *media vere necessaria ad consuetudinem vincendam rejiciat, generatim deneganda est absolutio*[1]. Nam qui vult finem, vult media; et qui non vult media, non vult finem, i. e., in hoc casu non vult peccatum fugere. — Dicitur *generatim*, quia si pænitens quædam media rejiciat bona fide, quia non putat ea necessaria esse, et paratus sit alia adhibere, quamvis, judicio confessarii, minus efficacia sint, potest ad tempus in bona fide relinqui et absolvi.

III. De Recidivis.

545. 1° Notio. Recidivus in genere vocatur ille qui, postquam quædam peccata confessus est, in eadem sæpe relabitur absque emendatione. Differt igitur: 1) a simplici consuetudinario, qui sæpe quidem in idem peccatum relabitur, sed hunc pravum habitum nondum confessus est; 2) ab occasionario qui pluries post confessionem non est lapsus.

Relate ad absolutionem, distinguendum est inter eos qui *formaliter* sunt recidivi et eos qui tales sunt *materialiter tantum*.

[1] Merito proinde ab *Innocentio XI* damnata est, 2 mart. 1679, propositio 60: "Pænitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem". (**D. B.**, 1210; cfr. **Viva**, in hanc proposit.) Jamvero quando necessaria rejiciuntur media, nulla est spes emendationis.

means.

Jamvero, ut quis sit *formaliter recidivus*, tres conditiones simul requiruntur : (a) ut, postquam habitum pravum confessus sit, serio a confessario de gravitate culpæ et mediis ad eam vitandam necessariis monitus fuerit; (b) ut in eadem peccata, non autem alia diversi generis, lapsus fuerit; (c) ut, absque emendatione, eodem fere modo relapsus fuerit, eadem facilitate, statim aut brevi post confessionem, absque serio conatu sive ad repellendas tentationes, sive ad media emendationis adhibenda. N.B.

Materialiter recidivus dicitur ille qui sæpe quidem relapsus est, sed (a) vel non fuerat a confessario serio monitus; (b) vel monitus, non relapsus est in eadem peccata, sed in alia diversi generis; (c) vel, licet monitus et in eadem peccata relapsus, aliquam emendationem exhibet, quia non tam sæpe peccavit, vel saltem per aliquod tempus serio tentationibus resistere conatus est, aut aliquod saltem e mediis assignatis adhibuit, quamvis, propter majorem tentationum vehementiam vel frequentiam, de facto tam sæpe peccaverit quam antea.

546. Quoad *materialiter recidivos*, nulla est specialis difficultas : si nondum admoniti fuerint, confessarius eos serio moneat eisque media proponat : quæ si adhibere sincere promittunt, absolvi possunt. Si aliquot emendationis signa afferant, hortandi sunt ad majores conatus faciendos; si, correcto uno habitu vitioso, in alium inciderint, nova proponantur remedia ad hunc etiam destruendum.

Tota igitur difficultas est quoad *formaliter recidivos*. *Rigoristæ*, jansenianis imbuti principiis, tenent eos non esse absolvendos, nisi diuturna experientia emendationem probaverint. Pauci alii [1] putant eos absolvi posse quoties *ordinaria* dispositionis signa afferunt, ac sincere dicunt se esse dispositos. *S. Alphonsus* [2], via media incedens, docet eos *generatim* non esse absolvendos, nisi *extraordinaria* signa contritionis præbeant. Cujus doctrina, si recte intelligatur, nobis sequenda videtur.

547. 2° **Regula :** *Formaliter recidivi regulariter absolvi nequeunt, nisi specialibus signis ostendant se esse vere contritos.* Ita communiter.

Etenim frequens relapsus in eadem peccata, absque emendatione, brevi post absolutionem, prudentem generat præsumptionem infirmi propositi; nam qui firmiter proponit

[1] **Faure**, *Dubit. theolog.*, dub. 3; **Baller. P.**, n. 225-345; **Genicot**, n. 370.
[2] Cfr. *Vindic. Alphons.*, p. 647-788.

vitare peccatum mediaque adhibere ad hoc necessaria, regulariter non tam facile, nec tam subito mentem suam mutat. Atqui hæc præsumptio elidi nequit regulariter nisi specialibus contritionis vel firmi propositi signis; communia enim signa jam ante data fuerunt et inefficacia inventa sunt. Ergo plus quam ordinaria signa in hoc casu desiderantur.

548. *Exceptiones.* Dicitur tamen *regulariter;* nam : 1) aliquando inveniuntur pænitentes qui animo tam *mutabiles* sint, ut sincere contriti esse valeant, et tamen, propter innatam mutabilitatem et fragilitatem, in eadem peccata incidunt statim ac vehemens oritur tentatio; hi possunt absolvi, dummodo constet, omnibus attentis, eos esse sufficienter dispositos. 2) Insuper, *quando recidivus specialia quædam signa contritionis affert, statim absolvi potest.* Nam relapsus non est in se absolutum indispositionis signum, cum oriri possit ex mera fragilitate, sed solum *præsumptionem* generat infirmi propositi; atqui hæc præsumptio eliditur per specialia contritionis signa; ergo, non obstante frequenti relapsu, pænitens in hoc casu absolvi potest.

549. Hæc autem signa vocantur *extraordinaria,* non eo sensu quod extraordinaria contritio requiritur, cum simplex attritio sufficiat cum absolutione; sed eo sensu quod magis probantia esse debent quam ea quæ ab eodem pænitente antea data fuerant. *Hæc igitur signa non sunt quid absolutum, sed omnino relativum; nec possunt vere utilia esse, nisi simul attendantur pænitentis indoles, tentationes quibus impugnatur, aliæque circumstantiæ;* unde multum in hac re prudentiæ et discretioni confessarii committendum est.

Quibus positis, præcipua extraordinaria contritionis signa sunt : (a) *lacrymæ* effusæ non propter aliquod humanum motivum (v. g., quia puella ab amasio derelicta fuit), sed propter offensam Dei propriæque animæ ruinam; (b) *verba cordialia,* i. e., manifestantia cor compunctum et firmam voluntatem vitandi peccata; (c) *spontanea confessio,* non ex mera consuetudine, sed ex interno gratiæ impulsu facta, præsertim quando notabiles ad confitendum superatæ sunt difficultates, v. g., post magnum internum conflictum, post longum iter, vel quando quis grave damnum aut grave incommodum subire consentit; spontanea autem non censetur confessio, si fiat ex parentum vel superiorum suasione, ex obligatione præcepti paschalis, ubi communiter hoc adimpletur, aut ex consuetudine confitendi

in quibusdam festis; (d) *spontanea occasionis fuga*, v. g., reconciliationem quærendo cum inimico, ablatum restituendo, concubinam dimittendo; (e) *manifestatio firmæ ac generosæ voluntatis*, factis exhibita, v. g., peccata ante celata manifestando, confessionem generalem instituendo, aut ad sacrum tribunal accedendo non obstante amicorum irrisione, etc.; (f) *detestatio peccati statim post lapsum*, quia tunc relapsus meræ fragilitati tribui potest; (g) *insolitus metus incussus* ex aliquo eventu, v. g., morte consanguinei vel amici, calamitate publica aut privata, timore imminentis mortis; (h) *uberioris gratiæ receptio*, v. g., occasione missionis vel spiritualium exercitiorum; uno verbo *ea omnia ex quibus prudenter inferri possit sincerum emendationis propositum.*

550. Corollaria. (a) *Si recidivus nullum ex his signis afferat, non est statim sine absolutione dimittendus, sed ad contritionem ferventi exhortatione disponendus*, ut supra (n. 486) dictum est.

Quo facilius et efficacius id præstet confessarius, ad hæc attendere debet. 1) Si defectus dispositionis ex sola ignorantia, vel inadvertentia, aut fragilitate oriatur, satis facile erit pænitentem ad contritionem excitare, eum instruendo, eique motiva doloris proponendo ipsius captui accommodata, præsertim si ad modum dialogi procedatur, ita ut pænitens mente distractus esse nequeat.

2) Si defectus dispositionis ex affectu ad peccatum oriatur, crescit quidem difficultas, sed non est insuperabilis. Nam pænitens, ex eo quod ad sacrum tribunal accedit, aliquod saltem conversionis desiderium concipit; aliunde Deus hominibus bonæ voluntatis gratiam concedere solet; si igitur confessarius, prudenti et ardenti zelo succensus, paterna caritate recidivum admonet de periculis in quibus versatur, eique suggerit media quibus tentationes superare valeat, eum bene dispositum efficere valet; quod quidem agnoscet ex ipso modo loquendi et agendi pænitentis, v. g., si dicat se novam cognitionem propriæ iniquitatis adeptum fuisse, vel paratum esse ad media præscripta serio adhibenda.

Hic autem operæ pretium est animadvertere facilius conteri eos qui ex intrinseca facilitate quam eos qui ex extrinseca occasione relabuntur. Ita sat facile conteruntur qui blasphemiis, turpibus cogitationibus ac desideriis, aut pollutioni consentiunt; hinc facilius absolvi possunt, præsertim si promittant se ad confessionem reversuros statim post lapsum. Difficilius vero conteruntur *superbi*, qui *odio* prosequuntur determinatam personam; *impudici*, qui vesano amore alicui personæ adhærent, aut conjuges qui matrimonio abutuntur; *avari*, qui ex rebus alienis ditiores facti sunt; *timidi*, qui timore hominum ab officiis adimplendis deterrentur.

De his quidem nunquam desperandum est; sed eos ad absolutionem disponere valde difficile est.

551. (b) *Si, post ferventem exhortationem, recidivus dubie dispositus maneat*, potest quidem conditionate absolvi, si specialis urgeat necessitas, juxta principia superius (n. 493 sq.) exposita. Si vero nulla sit necessitas hujusmodi, regulariter differenda est absolutio, præsertim quando pænitens in occasione proxima versatur, — aut pluries monitus nondum restituit, — vel dilatio opportuna existimatur ad salutarem incutiendum terrorem in cor pænitentis.

552. (c) *Si tandem moraliter certo constet recidivum indispositum manere*, absolutio differenda est non quidem ad longum tempus, sed ad paucos dies, non severis, sed humanissimis verbis, rationem exponendo cur absolutio differatur, et media assignando quæ adhiberi debeant ad contritionem brevi obtinendam.

Dictum est : *non ad longum tempus*, ne in desperationem veniat et sæpius peccet; recidivis ex *intrinseca fragilitate* dilatio octo vel decem dierum sufficit; recidivis ex *occasione* dilatio quindecim dierum.

Humanissimis verbis, ne pænitentes confessioni valedicant; quod sic optime declarat *Leo XII*[1] : " Quare si justa sit causa cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit, humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut, iis fideliter peractis, quæ salubriter præscripta fuerint, vinculis soluti peccatorum, gratiæ cælestis dulcedine reficiantur ".

Exponendo rationem... ut sic intelligatur absolutionem differri non ex odio, aut ira, sed ex paterna sollicitudine.

Media assignando, ut pænitens sciat quid agendum sit quo melius ad absolutionem disponatur; dilatio enim *per se* non mutabit ejus mentem, nisi simul remedia ei præscribantur. — Hoc modo suaviter et firmiter dilata absolutio recidivos corrigere valet, si non pro præsenti tempore, saltem in futurum.

[1] Encycl. *Caritate Christi*, 25 dec. 1825.

§ III. De iis qui speciali cura indigent, piis et moribundis.

I. De agendi ratione cum personis piis.

553. Cum multi sint pænitentes qui, Deo juvante, mortalia vitent et ad spiritualem perfectionem tendant, confessarii *Theologiæ Asceticæ* et *Mysticæ* studio incumbere debent, ut hos in via Dei sapienter dirigant; secus, vel nullam curam de piis personis habebunt, vel eas in viam erroris, illusionis et hallucinationis perducent. Pauca tantum hic adnotare valemus, pro ceteris confessarium remittendo ad probatos auctores [1].

554. 1° **Prænotanda.** (a) Non conetur confessarius omnes pios in sæculo viventes ad altissimum perfectionis gradum perducere : sunt enim qui vere devoti sint, bonaque opere ordinaria recte perficiant, quin tamen ad altiorem perfectionem vocentur.

(b) Non omnes devoti eodem modo sunt dirigendi, sed attendendum est ad eorum *indolem* et *conditionem*, necnon *inspirationes* quas a Spiritu S. accipiant.

Ad *indolem* quod spectat, aliter tractandi sunt qui alio temperamento præditi sunt. *Phlegmatici* excitandi sunt, ne sopiti, tepidi et laxi fiant; *cholerici* et *nervosi* moderandi sunt, ne subito altiorem gradum attingere velint et postea cadant; *melancholici* solatio indigent, ne tristitia et fracto animo opprimantur; *sanguineis* suadendum est ut omnia deliberate et constanter perficiant, ne subito ardore permoti aliquid supra vires assumant, et postea dejecti in desperationem cadant [2].

Relate ad *conditionem vitæ*, non eodem modo dirigendi sunt uxorati ac cœlibes, qui assidue laborare tenentur ac qui multis otiis fruuntur, etc. Nihil unquam consulendum est quod adimpletioni officiorum status obstare valeat.

Cum Spiritus Dei in suis donis sit multiformis, ac varie varias animas inspiret, sedulo inquirat confessarius utrum et quomodo quilibet devotus ad talem vel talem virtutem gratia trahatur; pariter

---

[1] Cfr. **S. Thomas,** in secunda parte *Sum. theolog.*, **Alvarez de Paz,** *De Vita spirituali et ejus perfectione;* **Philippus a SS. Trinitate,** *Summa Theologiæ Mysticæ;* **S. François de Sales,** *Introd. à la Vie Dévote* et *Traité de l'Amour de Dieu;* **Schram,** *Instit. Theologiæ Mysticæ;* **Scaramelli,** *Direttorio mistico;* **S. Alph. a Ligorio,** *Praxis Confessarii*, c. 9; **Lehmkuhl,** n. 629-644; **Mgr Gay,** *De la Vie et des Vertus chrétiennes;* **P. Meynard-Gerest,** *Traité de la vie intérieure;* **W. Faber,** *All for Jesus; Growth in Holiness;* **Saudreau,** *Les degrés de la vie spirituelle*, 5e éd., 1920; **Ad. Tanquerey,** *Précis de Théol. ascétique et mystique*, 4e éd., Paris-Tournai, 1925.

[2] **Ad. Tanquerey,** *Précis*, Appendices, p. 10*-18*.

lumen a Deo petat : divinas enim inspirationes non anteire, sed potius sequi debet.

555. 2° **Methodus sequenda.** (a) Imprimis spiritualis moderator devotos docebit perfectionem non proprie in spiritualibus exercitiis aut praxi mortificationis, aut tali vel tali devotione sitam esse, sed in *amore Dei* propter seipsum, et in *amore proximi* propter Deum : "Per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianæ vitæ in caritate, principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi" [1]. Qui quidem amor non in sensibili affectu reponendus est, sed in prompta ac generosa voluntate omnia propter Deum faciendi ac patiendi, proindeque omnia volendi quæ Deus vult, quia vult, quomodo vult et quamdiu vult. Ex quo sequitur perfectionem quærendam esse non in paucis heroicis actibus, sed in singulis et ordinariis actionibus propter Deum prompto ac ferventi animo peractis.

Quia vero, in præsenti statu, Deum et proximum diligere nequimus, sicut oportet, nisi nosmetipsos abnegemus, *mortificatio* sensuum externorum et internorum, necnon passionum, est *medium necessarium* ad perfectionem attingendam : "Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis" [2]. — Insuper, cum per Christum redempti et sanctificati simus, christianam perfectionem assequi non valemus nisi per Christum, et cum Christo, et in Christo : hinc, in præsenti ordine, nullus perfectus esse potest nisi *intima cum Christo unione.* Maxima igitur devotio inculcanda est erga Christum Redemptorem, variaque ejus mysteria, præsertim Passionem; et Christum in Eucharistia delitescentem, cujus vitam absconditam piis visitationibus contemplari et imitari devotæ personæ studeant.

Cum autem Christus ad nos venerit per Mariam, ad eum promptius ac tutius per Mariam accedere valemus : *ad Jesum per Mariam.* Nec sane prætermittenda est devotio erga Sanctos, qui, cum Christum imitati fuerint, exemplis et intercessione nos ad Dominum ducere valent. Curet tamen confessarius ut hæc devotio nonnisi ut *medium* ad imitationem et amorem Christi promovendum habeatur.

556. (b) *Media generalia*, quibus pedetentim perfectionis gradus ascenduntur, sunt *spiritualia exercitia* ac frequens *sacramentorum receptio.*

Inter pia exercitia, tria maxime prosunt, præter frequentem assistentiam missæ ac SS. Sacramenti visitationem : *meditatio, præsentiæ Dei frequens recordatio* et *conscientiæ sincera discussio.*

---

[1] **S. Thomas**, 2. 2., q. 184, a. 3. — [2] *Galat.*, V, 24.

1) Juxta *S. Alphonsum* [1], confessarius ante omnia devotos disponere debet ad faciendam orationem mentalem, quia oratio et peccatum simul cohabitare nequeunt; et insuper meditatione divinus amor accenditur. Plerique, etiam rudes, aliquam meditationem perficere possunt, si, post piam lectionem, de iis quæ legerunt serio cogitant et hæc tria a seipsis inquirunt : *quomodo hæc in praxim a me adduci valeant? — numquid et quousque antea id fecerim? — quid hodie hac de re facere possim?* Deinde orent ut quæ sibi proposuerunt executioni mandent.

2) Præsentiam Dei frequenter ob oculos habeant, juxta illud [2] : "Ambula coram me, et esto perfectus"; et actus suos non solum mane, sed pluries in die Deo offerant, piasque ejaculatorias preces recitent; sic enim non solum peccatum fugient, sed etiam in praxi virtutum quotidie proficient.

3) Discutiendo suam conscientiam, non solum *modo generali* præcipua delicta recogitent, sed de *uno vitio* vel *una virtute* in specie serio sese examinent, ut videant non solum utrum deliquerint, sed utrum et quousque profecerint : promptius enim ac tutius progredientur, si totas vires uni virtuti colendæ vel vitio extirpando per aliquod notabile tempus applicant.

557. (c) *Media particularia* diversa sunt secundum diversos gradus quos personæ piæ attigerunt, et earum indolem, conditionem ac supernaturales inclinationes. Quamvis enim præcipuæ virtutes ab omnibus coli debeant, illæ præsertim inculcandæ sunt quæ prædominanti vitio opponuntur, vel status officiis aut motibus gratiæ melius respondent. De quibus vide *Tr. de Virtutibus*, in quo hæc omnia fusius describuntur.

558. 3° **De devotorum tentationibus.** Devoti specialibus impugnantur tentationibus, ad quas efficacius superandas prudentis confessarii consilio indigent.

(a) *Incipientes*, postquam experti sunt teneram devotionem, paulatim spiritualibus deliciis privantur, quia Deus solidiori cibo eos vult enutrire : inde nascuntur anxietates et animæ dejectio. Quapropter confessarius eos docebit veram virtutem verumque profectum in spirituali pugna, non in deliciis, consistere; negotium perfectionis non uno die, sed lento gradu perfici, ad modum plantarum quæ modo minime sensibili crescunt; Deum intueri cor, et conatus potiusquam apparentem profectum remunerari; in opere

---

[1] *Praxis*, n. 122; cfr. n. 217 sq., ubi exponitur praxis Orationis mentalis; **S. François de Sales**, *Introd. à la Vie dévote*, 2e part., ch. 1-8; **Faber**, *Growth in Holiness*, ch. 15.

[2] *Gen.*, XVII, 1.

salutis invictam constantiam plus prodesse quam conatus intermissu factos [1], etc.

(b) *Proficientes*, post aliquod tempus spirituali pugna fatigati, sæpe retro respiciunt [2], et ubi sunt sistere volunt; ex quo fit ut paulatim decidant; videlicet spiritualia exercitia omittuntur vel negligenter perficiuntur; decrescit perfectionis æstimatio, crescitque amor mundi et voluptatum; hinc venialia deliberate et frequenter committuntur, et, gravi urgente tentatione, facile in mortale labuntur. — Hi doceantur eos qui in via Dei non progrediuntur, eo ipso regredi; tepiditatem sæpe peccato mortali periculosiorem esse : " Utinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es,... incipiam te evomere ex ore meo " [3]; jacturam temporis et gratiæ mala esse gravissima severisque pœnis puniri : " Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem... proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem " [4]; ad majorem perfectionem teneri qui abundantioribus gratiis cumulantur, nec proinde illos esse imitandos qui, minoribus gratiis adjuti, communem vitam quiete ducunt. Inducantur, si fieri possit, ut in secessu sacra exercitia obeant; deinde neglecta devotionis exercitia resumant eaque ferventer peragant, præsertim meditationem ac conscientiæ examen; omnesque suos conatus, per longum tempus, ad unam virtutem colendam dirigant. Hisce aliisque similibus mediis ad meliora redibunt [5].

(c) Etiam *provectiores*, seu *perfecti*, in laqueum diaboli incidere possunt; aliquando enim superbiæ, vanæ gloriæ et præsumptioni indulgent; ex quo fit ut in quasdam peccandi occasiones temere se projiciant, et variis illusionibus decipiantur : ira existimatur zelus, pro constantia pertinacia habetur, pro liberalitate prodigalitas, pro amore divino amor proprius, pro caritate amor sensualis et impurus. Hinc etiam in gravia peccata prolabi possunt. — Quibus proderit fragilitatis suæ consideratio, peccatorum frequens recordatio ac intima persuasio nil boni nobis esse tribuendum [6]. Ad illusiones vitandas, nil extraordinarium, inconsulto confessario, peragant; quoad virtutum praxim, ejus consilium capiant. Si in mortale inciderint, confessarius eos benigne excipiat, absque ullo admirationis vel indignationis signo; hanc tamen occasionem arripiant ad sese humiliandos sub potenti manu Dei, indignitatem,

---

[1] " Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit " (*Matt.*, X, 22).

[2] " Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei " (*Luc.*, IX, 62).

[3] *Apoc.*, III, 15-16. — [4] *Hebr.*, VI, 7-8.

[5] Media ad tepiditatem vitandam vel corrigendam invenies in *Pratique progressive de la Confession* aliisve operibus asceticis.

[6] " Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis "? *I Cor.*, IV, 7.

impotentiam ac perfidiam suam agnoscentes, quo deinceps majori humilitate ac fervore Deo serviant, et duplicatis obsequiis injuriam compensent.

559. 4° **De devotorum desolationibus.** Quandoque etiam devoti variis *desolationibus* affliguntur, tentationibus contra fidem, fiduciam aut castitatem, quibus magno mœrore afficiuntur ac despondentes fieri possunt.

(a) Præ mente habeant non esse tutiorem ac breviorem viam ad perfectionem quam patientiam in tribulationibus : quo majora pro Deo patimur, eo perfectius a creaturis abstrahimur Deoque intimius unimur; in nulla igitur desolatione animum despondeant, sed in manus misericordiæ divinæ se totos tradant, cum Christo dicentes [1] : "Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu"; citius enim transit calix patienter acceptus.

(b) Lumine divino adjuvante, inquiratur ex qua causa hæc spiritualis desolatio oriatur. Si ex defectu voluntario, sincere de culpa doleatur, venia humiliter postuletur ac pristinus fervor renovetur. Si ex corporis defatigatione vel naturali dispositione, honesta recreatione ac corporali exercitio corpori robur restituatur, et, si opus sit, medicus adeatur qui propria remedia præscribat. Si ex Deo, qui vult animam puriorem reddere, libenter accipiatur ut medium intimioris cum Crucifixo unionis : "Christo confixus sum cruci" [2].

(c) Tempore desolationis nullum prætermittatur vel negligenter peragatur devotionis exercitium : tunc enim gratiora Deo et magis meritoria sunt hujusmodi exercitia.

(d) Confessario candide status animæ aperiatur, qui consilia magis utilia suggerere valeat.

560. 5° **De devotorum extraordinariis gratiis.** Aliquando etiam Deus devotos speciali lumine aut visione illustrat, vel extraordinariis consolationibus solatur. Cum autem hac in re illusiones et hallucinationes facile occurrant, confessarius non incredula quidem, sed sobria mente hæc omnia diligenter expendat, ut discernat utrum a Spiritu Dei, an a fervida imaginatione vel diabolo proveniant [3].

(a) Spiritus bonus non inspirat quæ veritati revelatæ vel doctrinæ in Ecclesia receptæ repugnant; novitates igitur sedulo rejiciendæ sunt.

---

[1] *Matth.*, XXVI, 39. — [2] *Galat.*, II, 19.

[3] De discretione spirituum, cfr. *De Imitatione Christi*, lib. III, c. 54; **S. Ignatius**, *Exercitia Spirit.*, Regulæ ad motus animæ discernendos; **Bona**, *De Discretione spirituum*.

(b) Spiritus bonus movet ad sui abnegationem, obedientiam, humilitatem, contemptum mundi, fugam honorum, etc.; quæ sunt his virtutibus contraria a natura vel malo spiritu procedunt.

(c) Spiritus Dei discretus est; hinc generatim non movet nisi ad res ordinarias propriisque viribus accommodatas; si quandoque extraordinaria inspirat, simul obedientiæ et humilitatis sensum infundit : decipiuntur ergo qui extraordinaria anhelant, si seipsos magni faciant aliosque despiciant, si de gratia devotionis glorientur, aut contempti animo dejiciantur.

(d) Divina motio est ex omni parte bona, ab initio, in progressu, in fine; dæmonis illusio, etsi recte incipere videatur, brevi in aliquid pravum desinit, sine a meliori bono retrahendo, sive aliquid mali insinuando, sive animum perturbando.

(e) Nihilominus divinæ motioni postea adjungi potest tentatio diaboli aut naturalis animæ motus, v. g., superbiæ. Cavendum est igitur ne quod initio divinum erat, postea, propter aliquam culpam, diabolicum fiat.

(f) Cum obedientia sit optimum virtutis experimentum, aliquando præcipiat confessarius aliquid contra proprium pænitentis sensum; si constanter ac humiliter obediat, signum est solidæ virtutis; secus autem, si obedire nolit.

Cetera vide apud citatos auctores.

..Henry: Secret Companion for Priests"

II. De ratione agendi quoad moribundos.

Duo expendemus : *quandonam absolvi possint; quomodo juvandi* ad mortem christiane obeundam.

561. 1° Quinam moribundi absolvi possint? — Difficultas præcipua non est quoad confessionem, cum hi ab integritate materiali excusentur, sed quoad *contritionem*, quæ est dispositio omnino essentialis, et modo sensibili manifestari debet, juxta plerosque theologos : jamvero hæc manifestatio in iis qui sensibus sunt destituti deficere videtur.

562. Regula : *In articulo mortis absolutio concedi potest, saltem sub conditione, quotiescumque etiam tenuiter probabile est eam moribundis profuturam esse.* Certum est.

Nam vi principii "*sacramenta propter homines*", in casu extremæ necessitatis, sacramentum periculo nullitatis exponere licet, dummodo aliqua sit probabilitas illud validum et utile suscipienti fore. Nec requiritur magna, sed sufficit

tenuis probabilitas, cum melius sit sacramentum nullum vel mancum esse quam animas in æternum damnari. Non sufficit tamen *mera possibilitas*, cum in rebus practicis probabilitas, non autem possibilitas attendatur.

563. Corollaria. (**a**) *Si moribundus coram testibus petiit sacramentum, antequam sensibus orbaretur, certo absolvi debet*, quamvis hic et nunc sit sensibus destitutus; nam, petendo absolutionem, manifestavit se esse contritum, et ille actus contritionis virtualiter perseverare potest. Juxta communiorem sententiam, sine conditione absolvi debet in hoc casu, quia Rituale dicit simpliciter "*absolvendus est*"; attamen culpandus nōn est qui conditionem "*si capax es*" adjungit, cum remanere possit aliquod dubium de validitate sacramenti.

(**b**) *Catholici qui probabile signum contritionis manifestarunt, antequam sensibus destituti essent, conditionate absolvi possunt ac debent;* nam probabiliter eis profutura est absolutio.

Tales sunt catholici qui christiane vivebant, quamvis nullum signum contritionis explicite præbuerint; nam qui christiane vivit, merito præsumitur velle christiane mori proindeque absolutionem recipere. Aliunde quamvis sensibus destituantur, probabile est eos actum contritionis elicuisse, antequam sensuum usum amitterent; vel haud improbabile est eos sensuum quidem, sed non rationis usum amisisse, ita ut interne possint actum contritionis elicere, quam suspiria, motus oculorum vel labiorum aut alia hujusmodi sufficienter sensibilem efficiunt; cæteroquin probabile est contritionem sufficere, etiamsi exterius non manifestetur. Expedit tamen ut sacerdos, antequam absolutionem impertiatur, alta voce actum contritionis recitet; sunt enim moribundi qui audire, quamvis non loqui, valeant : quo casu et ipsi hoc modo ad actum contritionis eliciendum juvantur.

564. (**c**) *Conditionate etiam absolvi possunt catholici, sensibus destituti, qui, licet christiane non viverent, fidem servaverant;* nam multi ex eis christiane mori implicite volunt, ideoque absolutionem recipere in articulo mortis. Tales sunt apud quos catholicitatis signa inveniuntur, v. g., numismata, rosarium, scapulare, vel qui ut catholici probabiliter existimari possunt, utpote viventes in regione in qua multi sunt catholici. Ita valde probabiliter.

(d) *Imo probabiliter absolvi possunt qui in ipso actu peccati rationis usum amiserunt*, v. g., in ebrietate, in furto, in duello, dummodo ex eorum vita inferri possit eos probabiliter contritos esse. Nam, eo ipso quod fidem retinuerunt catholicam, probabile est se voluisse christiane mori, et cum peccatum mortale commiserunt, nesciebant se esse quasi in extremis constitutos. — Quia vero multi contradicunt, sacerdos in hoc casu non tenetur absolutionem dare.

(e) *Si vero moribundus, statim antequam rationis usum amitteret, positive sacramenta repulerit, absolvi nequit*, juxta communem opinionem, etiam conditionate, nisi talis agendi ratio revocata censeri possit aliquo contritionis signo : in hoc enim casu deest omnis probabilitas conversionis. — Quidam tamen concedunt posse absolvi secreto (*Genicot-Salzmans*, n. 298; *Arregui*, n. 589), cum eo instanti quo rationis usum amissuri erant, peccatum suum detestari, sub influxu gratiæ, potuerint.

565. (f) *Schismatici*, qui sunt in bona fide, et in efficaciam absolutionis credunt, in articulo mortis conditionate absolvi possunt [1], remoto scandalo; quia probabile est eos sacramentum optare. Idem dici potest de *hæreticis* qui pariter in bona fide versantur, et simul in virtutem absolutionis credunt, quales sunt Ritualistæ et nonnulli Lutherani et Anglicani.

(g) *Quoad hæreticos, qui sacramentum Pœnitentiæ rejiciunt* res multo magis est incerta. Multi, cum *S. Alphonso* (n. 483), putant eos absolvi non posse, nisi absolutionem expresse petierint, quia optare non censentur id quod abhorrent.

Quidam tamen theologi, cum *Lacroix* (n. 1866), tenent eos conditionaliter absolvi posse, si in bona fide versantur, præsertim si in fidem catholicam proclives fuerint, quia, v. g., cognatos vel affines aut amicos habebant catholicos, vel a catholicis monialibus instructi aut ministrati sunt; cum enim sint in bona fide, modo generali et

[1] Quod inferri potest ex recenti decreto *S. Officii*, 20 jul. 1898 (*Acta S. Sedis*, XXXI, 253-254); cum enim quæsitum fuisset "an aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur"; responsum est : "Cum scandalum nequeat vitari, *Negative, præter mortis articulum;* et tunc efficaciter remoto scandalo". Eodem sensu intelligi potest c. 731 *Codicis*, vetans ne sacramenta Ecclesiæ ministrentur hæreticis aut schismaticis, nisi prius Ecclesiæ reconciliati fuerint. Cfr. **Genicot**, n. 298.

implicito ea omnia facere vel recipere exoptant quæ ad salutem necessaria sunt.

Imo, juxta *Lehmkuhl* (n. 646) aliosque[1], Protestans moribundus, sed adhuc sensibus gaudens, conditionaliter et clam absolvi potest, si prudenter moneri nequit de ingredienda catholica Ecclesia, dummodo se peccatorem declaret, et, concepto dolore de peccatis, consentiat ministerio sacerdotis juvari in assequenda æterna beatitudine : hic enim consensus est veluti implicitum desiderium absolutionem recipiendi. Tunc autem curet sacerdos ut, majoris securitatis causa, moribundus eliciat actus fidei, spei et caritatis, necnon contritionis perfectæ, in quantum fieri potest.

566. Notanda. (a) Si de valore baptismi acatholicorum probabile exstat dubium, clam sub conditione baptizari debent, antequam absolvantur.

(b) Non possunt quidem absolvi et ungi, etiam sub conditione, qui *certo* mortui sunt; sed, ex recentibus experimentis constat vitam per aliquod tempus in corpore manere, etiam quando quis ultimum suspirium edere visus est quia vita nonnisi successive a corpore recedit. Hinc quidam ex iis qui apparenter mortui erant, post tres horas, *rythmico linguæ tractu*, ad vitam reducti sunt. Quapropter absolvi et inungi possunt, positis ponendis, ii qui tali processu quædam signa vitæ saltem sensitivæ præbent; imo, sub conditione "si tu es vivus" ii qui, quamvis mortui esse videantur, juxta ordinaria signa, prudenter a peritis supervivere putantur[2].

567. 2° De modo juvandi moribundos[3]. (A) Cum animarum salus æterna pendeat a modo quo moribundi ultimas difficultates ac tentationes superant, unum e præcipuis confessarii officiis est ægrotantium curam habere. "Quare cum primum noverit, ait *Rituale*, quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis

[1] **Cappello,** *De sacramentis*, I, n. 73; **Vermeersch,** *Periodica*, 1929, p. 146*.

[2] Cfr. **Ferrand,** *Le moment de la mort*, in *Congrès scient. des Cathol.*, 1891. Sciences mathém. et nat., p. 197; *Ami du Clergé*, t. XXIII, 1901, p. 593; **Ferreres,** *La mort réelle et la mort apparente*, trad. *Geniene*, Paris, 1906.

[3] *Rituale Rom.* De visitatione et cura infirmorum, Modus juvandi morientes; **Polanco,** *Methodus juvandi moribundos*, Dilingæ, 1578; **S. Alphonsus,** *Praxis*, n. 227-291; *H. A.*, Appendix II; **Reuter,** n. 209-227; **Lehmk.**, n. 645-658; **Marc,** n. 1854; **Aertnys,** *Theol. Pastor.*, n. 187-203; **Gaume,** *Manuel*, n. 371-401; **Ciolli,** t. I, n. 83-85; **Dubois,** *Pratique du zèle*, 2° Part., ch. 12; **Card. Gibbons,** *The Ambassador of Christ*, ch. 30; **Frassinetti,** *Manuale pratico del Paroco novello*, p. II, c. 2, Append.

ægrotare, non expectabit ut ad eum vocetur : sed ultro ad illum accedat, idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales suos ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua ægrotare contigerit, præsertim si morbus gravior fuerit ".

(a) " Accedat autem ad ægrotum, pergit *Rituale*, ita paratus ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta; ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent, quibus eum in Domino consoletur, excitet ac recreet ". — Cum vero confessarius ex se impar sit tanto negotio, divino auxilio confidat, et oret pro infirmis quos visitat. Insuper, quo melius infirmos juvare valeat, eorum ingenium, mores ac conditionem exploret, in quantum fieri potest.

(b) Si infirmi familia sacerdotem non est facile admissura, indirectis saltem mediis, v. g., amicorum interventu, curandum est ut tanquam amicus vocetur; si frustra id tentaverit, sacerdos ipse cum omni prudentia et comitate postulet ut, saltem urbanitatis causa, ægrotum visitare sibi liceat; si noscat ejus ministerium ab infirmo desiderari, instantius urgeat, et causam infirmi meliori quo potest modo, etiam personaliter agat. — Si infirmum adire non ei liceat absque testibus, et hi secedere nolint, integra confessio non est exigenda, sed solum accusatio generalis vel levioris culpæ; quo posito, ægrotus ad contritionem excitetur et absolvatur.

(c) Infirmi cubiculum ingressus, caritatem et commiserationem ostendat, inquirendo de morbo, doloribus aliisque hujusmodi, eumque solando et ad patientiam hortando, præsertim exemplo Christi patientis.

568. **(B) De ipsa confessione.** (a) Si non instet periculum mortis, non statim de confessione loquatur, quando infirmus eam instituere timet; sed prius studeat ejus animum sibi conciliare, divinam misericordiam exponendo, et Christi erga peccatores amorem. Secunda autem aut tertia visitatione, confessionis utilitatem proponat, ostendendo simul eam non esse difficilem nec multum tempus requirere. Si æger moram aliquam petat, ut se præparet, concedi potest, nisi obstet periculum; sed cavendum est ne diutius differatur. Si ad confitendum adduci nequit, sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes adhibendæ sunt, necnon tum privatæ tum publicæ preces ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

(b) Infirmum jam ad confessionem paratum ad perfectam sinceritatem hortetur, et ab eo benigne quærat utrum dubia vel anxietates habeat circa præteritas confessiones, cum hæc sit optima opportunitas omnes defectus corrigendi.

(c) Interrogando, caveat ne molestiam afferat infirmo nimiis vel indiscretis quæstionibus : melius est incumbere excitando dolori de peccatis quam procurandæ materiali integritati. Audita confessione, fiduciam excitet, in memoriam revocando Christi misericordiam erga maximos peccatores, Samaritanam mulierem, Magdalenam, latronem in cruce, etc.; — immediate ante absolutionem, quæratur utrum infirmus aliquid habeat quod ejus animum disturbet, ac breviter et vivide proponantur contritionis motiva.

569. (d) Si quæ restitutio aut reconciliatio facienda sit, aut scandalum reparandum, media efficacia statim ad id præstandum adhibeantur, v. g., sine mora scribendo notam ubi declaretur talem pecuniæ summam tali personæ deberi, vel per testamentum relinquendo personæ omni exceptione majori pecuniam quæ ad debita extinguenda sufficiat. Sæpe scandalum satis reparatur publica sacramentorum receptione; aliquando tamen retractatio requiritur, ut in variis Tractatibus suo loco exponitur.

(e) Quando certum adest mortis periculum, quod agnoscere poterit confessarius sive per se, sive medicum *clam* interrogando [1], hortetur infirmum ut de suis rebus opportune disponat : id enim expedit pro familiæ pace ac propriæ conscientiæ levamine. In hoc tamen sacerdos caveat omnis lucri suspicionem vitare.

570. (C) **De tentationibus moribundorum.** (a) Cum infirmi variis tentationibus impeti soleant, contra illas eos munire debet confessarius. Imprimis removeantur proximæ occasiones peccandi, quales sunt periculosæ imagines, vel personæ peccatorum complices; e contra coram eis appendantur piæ imagines Crucifixi vel B. Mariæ Virginis, quibus ad cogitandum de Deo et æternitate juventur.

(b) Si contra *fidem* tentationes experiantur, mentem alio divertant ac frequenter dicant : "Credo quidquid Deus revelavit, quidquid Ecclesia docet. — Credo, Domine, sed adjuva incredulitatem meam". — Si contra *spem*, in memoriam revocentur verba vel exempla Scripturæ, quibus constat Deum pronum esse ad ignoscendum, et nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; Christum dixisse : "Non veni vocare justos, sed peccatores"; publicanum justificatum esse statim ac dixit : "Propitius esto mihi peccatori"; latroni in cruce pendenti paradisum promissum fuisse, etc. — Si contra *patientiam*, ob oculos eorum ponatur Christus

[1] *Clam* interrogetur, quia multi medici infirmos decipere solent, et, nisi secreto interrogentur, veritatem non dicunt. Signa ægrotationis mortiferæ lege apud **Capelmann**, *Medicina Pastoralis*, ed. 11ª, 1896, p. 174-181; ibidem utilia invenies de cura infirmorum, p. 215 sq. Cfr. *Amer. Eccles. Review*, april 1900, p. 388; febr. 1901, p. 145; oct. 1901, p. 280-292; etc.

qui, licet innocens, pro nobis peccatoribus tot et tanta in mente et corpore patienter passus est; momentaneum et leve esse quod cruciet, æternum quod delectet; dolores vitari non posse : quare si impatienter ferantur, augentur ac infructuosi manent; si patienter, propter Deum, eorum acerbitas attenuatur, minuuntur Purgatorii pœnæ, novaque merita acquiruntur [1]. — Si contra *caritatem*, quatenus odio prosequuntur determinatam personam, cogitent eum, qui non dimittit, nec veniam a Deo sperare posse [2]; Christum in cruce pendentem pro persecutoribus orasse et pro nobis, tempore quo inimici eramus, mortuum esse. Et ita de ceteris.

571. (D) De affectibus suggerendis. Infirmos visitando, confessarius eis suggerat, sed *paucis* verbis, et *per intervalla*, actus fidei, spei, caritatis, contritionis, conformitatis Dei voluntati, desiderii paradisi, acceptationis mortis, etc. Eis porrigat imaginem Crucifixi osculandam, eosque hortetur ut sæpe SS. Nomina Jesu, Mariæ et Joseph ore aut saltem corde invocent. Caveat tamen ne longioribus orationibus et exhortationibus eis molestiam afferat. — Ipse, cum assistentibus, paucas orationes pro eis recitet; eisdem benedicat, et aliquoties absolutionem de novo impertiatur, præsertim antequam recedat.

Eos pariter juvabit ut indulgentias lucrentur, præsertim indulgentiam plenariam in articulo mortis, juxta ea quæ exponemus ubi de *Indulgentiis*.

572. (E) De juvandis agonizantibus. (a) "Ingravescente morbo, ait *Rituale*, Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet; monebitque instante periculo se confestim vocari ut in tempore præsto sit morienti". Quibus verbis inculcatur obligatio agonizantes juvandi precibus. Gravitas hujus obligationis a conditione moribundorum pendet; si hi christiane vixerint et a personis piis circumdentur, præsentia confessarii utilis est quidem, sed non necessaria; si vero vitam vitiosam duxerint gravibusque tentationibus obnoxii maneant, aut a fortiori si hucusque ultima sacramenta non receperint, sub gravi tenetur parochus omnia tentare, dum superest halitus, ad eorum salutem procurandam. Si vero legitime sit impeditus, hoc officium alii sacerdoti demandet. Hortetur etiam personas pias, quæ in vicinia degunt, ut moribundos visitent eosque ad christiane moriendum juvent.

---

[1] Ad solandos infirmos multum proderunt hi vel similes libri : **Perreyve**, *La Journée des Malades;* **Ozanam**, *Le Livre des Malades.*

[2] "Dimitte, et dimittemini" (*Luc.* VI, 37). — Hinc sic eos alloqui potest sacerdos : "Nonne dicis, quotidie recitando *Pater noster :* Et dimitte nobis debita nostra, sicut et *nos dimittimus* debitoribus nostris? Nonne vis a Patre cælesti peccata tua dimitti?"

573. (b) Cum tempus exspirandi instat, sacerdos, vel, eo deficiente, pia persona devote recitet animæ commendationem, prout in Rituali aut libris precatoriis habetur. Agonizanti suggerantur breves aspirationes : "Jesu, suscipe spiritum meum. — In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. — Sancta Maria, mater mea, adjuva me in hora mortis. — S. Joseph, succurre mihi, etc."

(c) Statim ac de morte constat, pro defuncto recitetur *Subvenite*, aliæque preces fundantur. Sacerdos, antequam recedat, cognatos soletur, ac moneat defuncto plus profuturas esse preces quam lacrymas.

Art. III. De abusibus in administratione hujus Sacramenti vitandis.

Duo sunt præsertim : *absolutio complicis* et *sollicitatio ad turpia.*

§ I. De absolutione complicis [1].

574. Ne confessarii sua auctoritate abuti valerent ad liberius cum pænitentibus peccandum, *Benedictus XIV* prohibuit, sub pœna excommunicationis, ne complicem in peccato turpi licite et valide sacramentaliter audirent et absolverent, extra casum extremæ necessitatis :

"Singulis sacerdotibus, tam *sæcularibus*, quam *regularibus*... interdicimus et *prohibemus*, ne aliquis eorum, *extra casum extremæ necessitatis*, nimirum in ipsius mortis articulo, et *deficiente tunc quocumque alio sacerdote*, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ *complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso*, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut *absolutio*, si quam impertiatur, *nulla atque irrita omnino sit*". Cum illa constitutio *Sacramentum Pœnitentiæ* ad calcem *Codicis* sit relata, certum est eam in toto suo vigore manere.

---

[1] **Benedict. XIV,** *Sacram. Pænitentiæ*, 1 Jun. 1741; *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745; *Inter præteritos*, 3 dec. 1749; **S. Alphons.**, n. 553-556; **Lehmk.**, n. 1201-1207; **Marc**, n. 1780-1784; **Genicot**, n. 351-354; **Noldin**, n. 377-380; **D'Annibale**, *In Constit. Apost. Sedis*, Prati, 1894, n. 83-87; **Bucceroni**, *Comment. de Constit. Bened.*, Romæ, 1890; **Berardi**, *De Sollicitatione et Absolutione complicis*, Faventiæ, 1897; **Rota**, *Enchiridion confessarii et judicis ecclesiastici*, Augustæ Taurinorum, 1884, n. 122-163; **S. Many**, *De Absol. complicis*, in *Canoniste*, juin, juillet 1895; **Prümmer**, 454-459; **Chrétien**, pp. 117-143; **A. de Smet**, *De absolutione complicis et sollicitatione*, Brugis, 1921.

Quam prohibitionem confirmat simul et explicat *Codex* (c. 884): "Absolutio complicis in peccato turpi *invalida* est, præterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii *illicita*, ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 jun. 1741". Insuper, ex can. 2367, "absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem *specialissimo* modo Sedi Apostolicæ reservatam".

Ad hæc documenta rite intelligenda, exponendum est 1° quid sit *complicitas in peccato turpi;* 2° *quænam pœnæ* incurrantur ab iis qui complicem absolvunt.

I. De complicitate in peccato turpi.

575. Quo melius res declaretur, sciendum est: 1° quid hic intelligatur per *peccatum turpe*, et 2° per *complicem* in hoc peccato.

1° **Peccatum turpe** de quo agitur, attentis præcitatis documentis et decretis Congregationum, est quodlibet peccatum contra *sextum decalogi præceptum*, quod sit *externum*, — *grave* non solum ut internum, sed etiam quatenus externum, — et *certo* commissum.

576. (a) Excluduntur proinde quælibet peccata contra alia decalogi præcepta, et etiam *interna* peccata luxuriæ, quia Ecclesia nonnisi externos actus punit.

(b) Includuntur autem non solum peccata *consummata* luxuriæ, sed etiam ea quæ *non sunt consummata*, dummodo *gravia* sint, ut possunt esse tactus, amplexus, oscula, aspectus, colloquia; nam *Bened. XIV* modo generali loquitur de *peccato turpi contra sextum*, absque ulla restrictione. Quidam auctores olim putaverant non includi *turpiloquia;* sed *S. Officium* declaravit, 28 maii 1873, nomine peccati turpis comprehendi etiam illa peccata "quæ consistant in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important" [1].

(c) Requiritur tamen ut peccatum sit *grave*, quia Ecclesia censura non plectit levia delicta; et quidem tum interne tum externe, saltem ratione circumstantiarum, quia hic agitur de quadam reservatione seu limitatione jurisdictionis. Hinc actus externus leviter turpis non cadit sub hac lege, etiamsi ab affectu graviter libidinoso procedat; idem dicendum est de actu materialiter

[1] Ap. **Bucceroni**, *op. cit.*, n. 68.

gravi, sed formaliter levi ob inadvertentiam, vel imperfectum consensum.

Requiritur etiam ut peccatum sit *certo grave;* unde pœna non incurritur si adest dubium sive *facti*, v. g., circa advertentiam, consensum aut objectivam gravitatem peccati; sive *juris*, v. g., si controvertitur utrum talis species peccati sub hac lege cadat.

Non requiritur autem ut peccatum commissum fuerit a sacerdote, suscepto jam sacerdotio. Declaravit enim *S. Pœnitentiaria* (22 jan. 1879)[1] "confessarium non posse absolvere complicem, cum quo *ante sacerdotium in puerili ætate* turpiter egit, nisi moraliter certus sit ipsum jam ab alio confessario directe et valide a peccato complicitatis absolutum fuisse".

577. 2° **Complicitas** in hac re importat *consensum duorum in idem peccatum turpe, grave et externum*, sive uterque cooperetur, ut in mutuis amplexibus, colloquiis, etc.; sive unus tantum operetur, dummodo alter externe simul ac interne consentiat : consensus autem sufficienter adest, si hic nullomodo resistit[2].

(a) Hinc non cadit sub lege actus qui est mortalis ex una parte, venialis tantum ex altera; neque actus externe levis quamvis interne gravis ex utraque parte, propter utriusque libidinosum affectum; neque actus, quantumcumque gravis, cui alter non consentit, imo cui consensum externum non præbuit, quanquam interne assentit. Hinc si quis peccaverit cum reluctante, vel dormiente, vel plene ebrio aut rationis usu destituto, non est complicitas.

(b) Complicitas *certa* esse debet; unde si dubitatur utrum alterutra pars mortaliter peccaverit, actus sub lege non cadit, nisi agatur de pœnitente a confessario decepto (cf. not. 2). Sed complicitas certa esse potest, etiamsi quod promissum fuerat non compleatur; v. g., si duo conveniunt de copula habenda, quamvis de facto copula non habeatur; aut si vir sacerdotem inducat ad peccandum cum propria uxore, et sacerdos assensum præbeat, quamvis postea peccatum non committat; in his enim aut similibus casibus complicitas consistit in malo proposito ab utroque verbis aut signis expresso.

(c) Complex autem potest esse sive vir sive mulier, sive puber sive impuber, dummodo capax peccati mortalis; nam *Benedictus XIV* nullo modo distinguit.

---

[1] Ap. **Lehmk.**, n. 1202, not. 1.

[2] Quinimo sufficit complicitas mere materialis ex parte pœnitentis si *ante actum* deceptus fuit a confessario de malitia hujus actus. Cf. *S. O.*, 14 nov. 1934 (infra, n. 585).

II. De pœnis latis contra absolutionem complicis in peccato turpi.

578. Duplici pœna plectitur hujusmodi complicis absolutio; 1° absolutio complici data est non solum *illicita*, sed etiam *invalida*, excepto necessitatis casu; 2° sacerdos absolvens complicem incurrit ipso facto *excommunicationem specialissimo* modo S. Pontifici reservatam.

1° De illicitate et invaliditate absolutionis complicis.

Juxta *Benedictum XIV* (supra, n. 574), quilibet sacerdos, sæcularis aut regularis, stricte prohibetur excipere sacramentalem confessionem personæ complicis, simulque privatur jurisdictione ad eam valide absolvendam, extra casum extremæ necessitatis.

579. (A) **Regula generalis, extra necessitatis casum.** (a) *Confessarius non potest directe suum complicem ab ipso peccato complicitatis valide absolvere*; certum est ex ipso textu legis. Hic igitur non prodest *error communis* fidelium, neque a fortiori *bona fides* pænitentis, quia hic non agitur de *multitudine*, cui favere velit Ecclesia, sed de duobus complicibus, quos merito vult punire. Hinc si pænitens a peccato complicitatis absolvatur a complice, tenetur suam confessionem apud alium sacerdotem reiterare. — Neque sacerdos suum complicem absolvere valet a peccato complicitatis *vi Jubilæi* cujuscumque aut *cujusvis privilegii*, sive ipsi sive pænitenti concessi : hoc enim expresse declaratur a *Benedicto XIV*[1].

580. (b) Juxta probabilem sententiam sacerdos complicem, qui peccatum complicitatis nondum directe remissum accusat, *valide* (etsi *illicite*) absolvere potest ab aliis peccatis, nam juxta Bullam citatam (n. 574), sacerdos privatur jurisdictione ad absolvendum *ab hujusmodi culpa*, non autem ab aliis. Confirmatur ex responso *S. Pænitentiariæ*[2], 16 maii 1877 : "An incurrat censuras... qui complicem quidem absolvit... qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit"?... Responsum est : "*Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et annexam*

[1] Bulla *Sacram. Pænit.*, § 5. — [2] *Canoniste*, 1895, p. 334-335.

excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, *esse in ordine ad peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit*". In hoc tamen casu confessarius non effugit excommunicationem, et peccatum complicitatis postea apud confessarium competentem potestati clavium iterum est subjiciendum.

581. Corollaria. (a) Si pænitens jam ab alio confessario *directe* ac *valide* a peccato complicitatis fuerit absolutus, sacerdos complicem valide absolvere potest ab aliis peccatis. Id olim disputabatur, sed res certa facta est ex decreto *S. Officii*, 29 maii 1867, ubi declaratur "liberum esse confessario absolvere personam complicem, quæ a peccato complicitatis inhonesto absoluta jam fuit per alium confessarium; dandum tamen semper esse consilium confessario, de quo agitur, ut, nisi cogat necessitas, abstineat ab excipiendis personæ, licet jam a peccato complicitatis absolutæ, sacris confessionibus"[1]. — Dicitur "*directe absolutus*"; nam si peccatum complicitatis *indirecte* tantum remissum fuerit, quia v. g., inculpabiliter omissum erat, illud remittere nequit sacerdos complex, cum jurisdictione quoad idem careat.

Probabiliter etiam, juxta nonnullos, si complicitatis peccatum, jam directe absolutum, iterum accusetur cum aliis, non prohibetur sacerdos complex quominus ab eo absolvat; nam reservatio hujus peccati prævia absolutione sublata est.

Sed in utroque casu, propter honorem sacramenti et securitatem confessarii ac pænitentis, omnino expedit ut sacerdos confessionem complicis non audiat, ubi alii sunt sacerdotes.

(b) Si sacerdos *bona fide* absolvat complicem non solum ab aliis peccatis, sed etiam *a peccato complicitatis nondum directe absoluto* — v. g., quia suum complicem non recognoscit, vel quia pænitens inculpabiliter peccatum complicitatis omittit, — *probabiliter absolutio est valida*, eo sensu quod directe alia peccata remittuntur et *indirecte* peccatum complicitatis; ratio est quia S. Pontifex prohibet et irritat solam *directam* absolutionem hujus peccati ab eo concessam qui noverit se absolvere a peccato complicitatis. — Attamen peccatum sic indirecte remissum apud alium confessarium accusari debet, ut directe absolvatur.

Si vero pænitens mala fide reticeat peccatum complicitatis, aliaque accuset, nullum peccatum remittitur, propter defectum integritatis formalis, ideoque ex toto iterari debet confessio.

582. (B) Exceptiones. (a) *In casu extremæ necessitatis*, i. e., in mortis periculo, *sacerdos semper valide absolvit com-*

[1] Apud **Bucceroni**, *Comment. in Bull. Apostol. Sedis*, n. 37.

plicem; et licite, si deficit quicumque sacerdos qui moraliter confessionem morientis excipere possit.

Illicite agit et excommunicationem incurrit qui complicem etiam tunc absolvit, præsente alio sacerdote, sive approbato sive non. — Excipe tamen, si alius sacerdos nolit confessionem audire, aut si persona complex omnino recuset ei confiteri peccata [1]; vel si alius sacerdos non possit vocari aut accedere, sine gravi infamia vel scandalo; tunc enim hic alius sacerdos non potest *moraliter* confessionem audire. — Excipe etiam probabilius, si alius sacerdos sit notorie suspensus, excommunicatus, interdictus, quia sacerdos hujusmodi vocari non posset ad audiendam morientis confessionem sine infamia sacerdotis complicis, vel scandalo [2].

583. (b) In casu *gravioris necessitatis*, — quando v. g., urget præceptum ecclesiasticum et divinum confessionis, et complex nullo modo habet nec per longum tempus habere potest copiam alterius confessarii, ut quandoque occurrit in locis missionum, — probabilius sacerdos potest valide ac licite complicem absolvere, *directe* quidem a peccatis ordinariis et *indirecte* a peccato complicitatis, dummodo nullum adsit ex utraque parte grave periculum relapsus [3]. — Nam quando concurrunt jus divinum et jus ecclesiasticum, prius prævalere debet; atqui in hoc casu urget divinum confessionis præceptum, quod adimpleri non potest nisi complicem sacerdotem adeundo; ergo præferri debet juri ecclesiastico prohibenti absolutionem complicis. — Dicitur tamen *dummodo non adsit grave periculum relapsus*: si enim adesset, jus *naturale*, quod præfertur præcepto divino positivo, prohibet ne confessio instituatur.

(c) Nonnulli etiam dicunt validam esse absolutionem complicis quoties confessarius absolvens excusatur ab excommunicatione, propter unam e causis mox exponendis; nam nullitas absolutionis est quædam pœna contra pænitentem lata; et si confessarius eximitur a pœna, æquum est eximi pariter pænitentem [4].

---

[1] Ita *Codex*, c. 2367: "etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri".

[2] Ita **Rota**, n. 156; **Many**, *Canoniste*, p. 340; **Lehmk.**, n. 1204.

[3] **Rota**, n. 148; **Baller. P.**, n. 648; **Many**, l. c., p. 335-337. — Imo nonnulli dicunt sacerdotem licite ac valide absolvere complicem etiam *directe*, quando periculum grave est ne hæc persona alium sacerdotem toto vitæ suæ tempore inventura sit, qui illam directe absolvat a peccato complicitatis: quia fere reincidit hic casus in periculum mortis. Ita **Bucceroni**, *op. cit.*, n. 67; **D'Annibale**, *Summula*, III, n. 324, not. 38; **Ball. P.**, n. 655.

[4] Ita **D'Annibale**, n. 87: qui tamen auctor in *Summula th. moral.*, t. III, n. 324, contrariam sententiam tenet; **Pennachi**, t. I, p. 312.

2° De excommunicatione contra absolventes complicem lata.

584. " Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit *ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicæ reservatam* " (Can. 2367).

Ad quam excommunicationem incurrendam quædam requiruntur conditiones : (A) *Ut confessarius directe absolvat aut absolvere fingat a peccato complicitatis.* Hinc (a) non sufficit confessionis auditio, sed requiritur absolutio vel absolutionis simulatio. Nec sufficit absolutio ab ordinariis peccatis, sed requiritur *directa* absolutio a *peccato complicitatis*, ut ex supra dictis patet.

(b) Sufficit tamen *simulatio directæ absolutionis*, qua confessarius ita externe agit ut absolutionem concedere videatur, v. g., si verba absolutionis profert absque intentione absolvendi, vel pronuntiat formam, verbum essentiale omittendo, aut orationem recitat super pænitentem, ita ut hic putet se esse absolutum. Hoc jam declaraverant *S. Pænitentiaria* (1 mart. 1878) et *S. Officium* (10 dec. 1883).

585. (B) *Ut confessarius complicem agnoverit ac sciens volens absolverit;* secus *formalis* non erit absolutio complicis. Siquidem ab hac excommunicatione excusat ignorantia invincibilis, aut vincibilis quæ non sit *crassa* et *supina*. Hinc, — (a) si quis nullo modo complicem agnoscat, non peccat absolvendo nec censuram incurrit. (b) Pariter, si confessarius, dum peccavit, nullo modo a complice cognitus fuerit (v. g., quia sæculari habitu indutus), non tenetur se prodere pænitenti, declarando se non posse eum absolvere; proindeque probabilius non incurrit excommunicationem absolvendo. Sed si antea ambo se invicem noverint ut complices, necesse non est ut se invicem in sacro tribunali agnoscant, sed sufficit ut confessarius animadvertat pænitentem esse suum complicem.

(c) Neque excommunicationem incurrit sacerdos absolvens complicem, qui in confessione complicitatis peccatum non declaravit, nisi *directe* vel *indirecte* pænitentem induxerit ad tale peccatum non manifestandum : *directe* quidem, expresse suggerendo tale peccatum in confessione esse tacendum : *indirecte*, suadendo talem actum non esse peccatum, vel non esse tam grave ut de illo inquietari debeat. Nam, secundum *Codicem*, c. 2367, § 2, excommunicationem non effugit confessarius " absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est

absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive *directe*, sive *indirecte* inductus est". — Ex declaratione S. Officii (14 nov. 1934) "inter *indirecte inducentes* adnumerandus est etiam confessarius qui, sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus *inter se patrandis* aut nullum aut certe non grave inesse peccatum, eumque consequenter de aliis tantum sibi postea confitentem, sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere".

(d) Si vero confessarius dubitet utrum pænitens sit complex an non, *prudenter* eum interrogare debet, ut rem detegere possit; si vero dubium perseveret, absolvere potest, quin censuram incurrat, ex dictis, n. 577. — Si vero nil faciat ad dubium solvendum, excommunicationem non effugit, quia ejus ignorantia est crassa et *supina;* porro hæc non excusat a censura in hoc casu, ex can. 2229, § 3.

586. (C) Quando sacerdos complicem absolvit *in articulo mortis*, non incurrit excommunicationem, nisi adsit alius sacerdos qui, sine gravi infamia et scandalo, moraliter possit morientis excipere confessionem, ut supra, n. 582, dictum est.

De absolutione hujus censuræ, specialissimo modo Summo Pontifici reservatæ, vide *Tract. de Censuris.* — Quando sacerdos *ter* suum complicem absolvit, *S. Pænitentiaria* ei mandare solet ut munus confessarii deponat; cum autem id sæpe moraliter impossibile sit in regionibus ubi pauci sunt sacerdotes, supplicandum est ut hæc clausula non inseratur vel ab ea dispensetur.

§ II. De sollicitatione ad turpia [1].

587. Ne confessarii impune sacro tribunali abutantur ad sollicitandos pænitentes ad turpia, *Benedictus XIV*, vestigiis inhærens *Pii IV* et *Gregorii XV*, jussit crimen sollicitationis a confessario patratum denuntiandum esse, et quidem sub pœna denegatæ absolutionis. Quam legem renovavit *Codex*, can. 904 ("ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Pænitentiæ*"), 2363, 2368, excommunicatione

[1] Cfr. **Pius IV**, *Cum sicut nuper*, 15 apr. 1561; **Gregorius XV**, *Universi*, 30 apr. 1622; **Benedictus XIV**, *Sacram. Pænitentiæ*, 1 jun. 1741; *Instruct. S. Officii*, 20 febr. 1867, *Collectanea*, n. 948; **S. Alphons.**, n. 675-705; **D'Annibale**, *op. cit.*, n. 179-183; **Rota**, *op. cit.*, n. 164-402; **Bucceroni**, *op. cit.*, **Berardi**, *De Sollicitatione*; **Lehmk.**, n. 1253-1258; **Baller. P.**, n. 1085-1155; **Genicot**, n. 394-400; **Noldin**, n. 372-380; **S. Many**, *Canoniste*, sept., déc. 1895; **P. Cerato**, *De delicto sollicitationis*, Padovæ, 1922.

plectendo negligentes denuntiare infra mensem confessarios a quibus sollicitati fuerint.

Videlicet *Benedictus XIV* mandat Ordinariis procedere "contra omnes et singulos *sacerdotes*, tam *sæculares*, quam *regulares*... qui aliquem *pænitentem*, *quæcumque persona illa sit*, vel *in actu sacramentalis confessionis*, vel *ante*, vel *immediate post confessionem*, vel *occasione*, aut *prætextu* confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis, *in confessionali*, sive *in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo*, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad *inhonesta et turpia sollicitare*, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, *tentaverint*, aut cum eis *illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint*... Meminerint præterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos pænitentes quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, *sedulo monere... de obligatione denuntiandi* Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis, personam quæ sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit qui *jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat*, aut sollicitatio inter confessarium et pænitentem *mutua* fuerit, sive sollicitationi pænitens consenserit, *sive consensum minime præstiterit*, vel *longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit*, aut sollicitatio a confessario, *non pro se ipso*, *sed pro alia persona* peracta fuerit".

Ad cujus intelligentiam quatuor sunt exponenda : 1° *conditiones* requisitæ ad peccatum sollicitationis constituendum; 2° *obligatio denuntiandi* sollicitantes; 3° *modus* denuntiationis peragendæ; 4° *pœnæ* contra sollicitantes.

I. De conditionibus ad peccatum sollicitationis requisitis.

588. Peccatum sollicitationis, attentis legibus et decretis supra relatis, definiri potest : *provocatio ad turpia, facta a sacerdote ut confessario, cum aliqua relatione ad confessionem* [1]. Tres igitur conditiones requiruntur : —

1° Ut adsit *provocatio ad turpia*, id est aliqua actio, sive per se inhonesta, sive per se indifferens, sed turpem affectum exterius manifestans, qua confessarius pænitentem inducere conetur ad aliquod peccatum contra castitatem;

[1] Distinguitur proinde a *peccato complicitatis*, quod committi potest absque ulla relatione ad confessionem, etiam antequam quis ad sacerdotium provectus fuerit.

seu, aliis verbis, est scandalum pænitenti datum in materia luxuriæ. Hæc autem provocatio fieri potest sive factis, seu, juxta *Benedictum XIV*, "sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam".

589. (a) Sollicitatio ad quodcumque aliud peccatum, etiam gravius, v. g., homicidium, non cadit sub lege.

(b) Crimen sollicitationis debet esse *graviter culpabile*, seu inducere ad actus graves contra castitatem, sive sint graves *in se*, sive ex *affectu libidinoso* exterius manifestato. Nam veniale peccatum pœnis tam gravibus puniri nequit. Facile autem quidam actus ex se leves, v. g., mulierem osculari, judicari debent mortales si fiant in actu confessionis, propter irreverentiam et scandalum. Quidam putarunt actus etiam leves sub lege comprehendi, propter hoc *S. Officii* responsum, 11 febr. 1661 : "An confessarius sollicitando propter *parvitatem materiæ* sit denuntiandus"? — Resp. : "Cum in rebus *venereis* non detur parvitas materiæ, et, si daretur, in re præsenti non dari, censuerunt esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem"[1]. Sed in hoc responso agitur de actibus *venereis*, in quibus non est parvitas materiæ, saltem quando in relatione cum confessione committuntur, non autem de actibus leviter inhonestis, qui proprie venerei non sint.

Hinc, si confessarius mulierem de ejus pulchritudine in confessione laudat, vel declarat se ex toto corde eam diligere, judicium ex adjunctis ferendum est : si exterius constat hæc dici turpi amore ad eam ulterius in peccatum inducendam, est utique sollicitatio; secus, si id fiat ex levitate aut imprudentia. — Idem dicendum de *donis* aut *munusculis* in sacro tribunali datis, aut de invitatione ad confessarium visitandum; ex adjunctis dijudicandum est utrum adsit prava intentio necne.

(c) Debet esse *certum*, omnibus sedulo inspectis; si sit igitur dubium vel *jure*, vel *facto*, denuntiatio non est facienda, cum in dubio odiosa sint restringenda.

(d) *Non requiritur* autem ut sollicitatio sit *efficax*, seu ut persona sollicitata consentiat; nam dicitur in Bullis denuntiandum esse eum qui *sollicitare vel provocare tentaverit*. Sollicitatio tamen debet esse *completa* ut sollicitatio, i. e., vere scandalum præbere; unde non sufficiunt illa verba præparatoria quæ aliquando proferuntur ut videatur num cum aliqua spe persona tentari possit.

(e) Parum refert utrum persona sollicitata sit *vir* an *femina*, *puber* an *impuber*; — utrum sollicitatio sit ad peccandum *cum confessario*, an *solitarie*, vel cum *tertia persona*; — utrum confessarius

[1] Ap. **Giraldi**, *op. cit.*, p. 632.

immediate pænitentem ad peccandum sollicitet; vel, *mediante pœnitente*, aliam personam ad peccatum luxuriæ inducat. In his omnibus casibus vere adest sollicitatio ad turpia.

590. 2° Ut sollicitatio fiat *a sacerdote ut confessario.*

(a) Si sollicitans non sit sacerdos, sed vel clericus, vel laicus, vel interpres in confessione adhibitus, non est obligatio denuntiandi. Attamen *S. Officium* procedere potest contra quemcumque, etiam non sacerdotem, qui confessiones excipere præsumeret, et hac occasione sollicitaret. Sub nomine *sacerdotis* venit quilibet *presbyter*, sæcularis vel regularis, sive approbatus sive non. Videtur etiam *episcopos* sub hæc lege comprehendi, cum Codex (c. 2227, § 2) eos non eximat nisi a pœnis latæ sententiæ suspensionis et interdicti; si qui ergo hujus criminis rei essent, (quod Deus avertat!) jus naturale et jus canonicum postulant ut Superioribus denuntientur, ne causa ruinæ spiritualis fiant.

Non est denuntiandus pænitens, etiam sacerdos, qui confessarium ad turpia sollicitet : ille enim ut *sacerdos confessarius* haberi nequit.

(b) *Si sollicitatio sit mutua inter confessarium et pænitentem*, denuntiandus est sacerdos. Mutua autem habetur quando confessarius, prius a pænitente sollicitatus, ipse, hanc nactus occasionem, pænitentem postea sollicitat; vel, quando a pænitente ad unam turpitudinis speciem sollicitatus, ad aliam sollicitat.

(c) Si vero confessarius tantummodo sollicitanti pænitenti consentit, quin ullo modo ipse sollicitet, controvertitur utrum sit denuntiandus. Benignior opinio, quam tuetur *S. Alphonsus* (n. 681), vere probabilis est; ideoque obligatio denuntiandi non est urgenda in casu.

(d) Si sollicitatio fiat a sacerdote, non ut confessario, sed in administratione alterius sacramenti, non urget denuntiatio.

591. 3° Ut sollicitatio fiat *cum aliqua relatione ad confessionem*, id est, juxta verba superius (n. 587) relata : —

(a) **Vel in actu sacramentalis confessionis,** seu a tempore quo inchoatur confessio vel recitatur *Confiteor* usque ad ultima absolutionis verba. Notandum est autem denuntiandum esse non solum eum qui *immediate* ad turpia sollicitat, sed etiam eum qui *mediate*, aliquid videlicet faciendo aut dicendo quod in se indifferens est, sed postea ex adjunctis ad aliquid turpe determinatur. Ita si sacerdos, in actu confessionis, mulieri dicit : "*expecta me domi*", posteaque eam domi sollicitat, hæc verba, in se indifferentia, sunt, ex adjunctis, quasi *initium* sollicitationis ideoque jam ipsa sollicitatio. Res tamen dubia esse potest si sacerdos *non statim* domi sollicitat, sed solum post aliud honestum negotium trans-

actum : tunc omnia adjuncta sedulo expendi debent ut ex eis præsumi possit quænam fuerit prævalens intentio confessarii [1]; et si dubium manet, obligatio denuntiandi urgenda non est.

592. (b) Vel ante, vel immediate post confessionem. Quæ verba stricte intelligenda sunt, ita ut inter confessionem et sollicitationem nulla intercedat actio externa vel collocutio. Denuntiandus est igitur confessarius qui sollicitat pænitentem jam genuflexum, aut petentem confiteri, et postea ejus confessionem audit; vel statim post absolutionem datam. Quod valet, etiamsi sollicitatio sit solum *mediata*, v. g., si immediate post confessionem pænitentem in sacristiam vel in domum suam ducat, ibique eum statim sollicitet; vel si det chartam postea legendam, in qua sollicitet.

Si vero inter confessionem et sollicitationem alia interveniat actio, v. g., locutio de rebus indifferentibus, vel aliquod negotium, vel auditio confessionis alterius pænitentis, non est obligatio denuntiandi, saltem vi hujus clausulæ.

593. (c) Vel occasione aut prætextu confessionis. 1) *Occasione confessionis auditæ*, quando confessarius sic cognoscens inclinationes, tentationes aut peccata pænitentis, eum exinde sollicitat, modo *certa* habeantur *externa* indicia sollicitationem oriri ex *auditione* ipsa confessionis [2]; — insuper *occasione confessionis petitæ*, quando videlicet pænitens hic et nunc confiteri petit et confessarius statim sollicitat, confessionem ad aliud tempus differendo, etiamsi postea confessio non fiat; sed si quis petit confiteri non statim, sed alia die vel hora, et confessarius eum sollicitat, non verificatur hæc clausula.

2) *Prætextu confessionis*, quando confessarius, pænitentem sollicitare intendens, utitur confessione ut *velo* ad tegendum pravum finem, v. g., aliquem invitat ad confitendum quo facilius eum ad turpia inducat; aut accedit ad domum ægrotantis, et, post quædam verba de confessione ad removendos adstantes, ægrotum sollicitat.

594. (d) Vel, etiam extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem

[1] Qua de re sapienter disserit **S. Many**, in *Canoniste*, p. 519-521.

[2] Quando sollicitatio oritur *non ex audita confessione*, sed occasione *notitiæ sacramentalis* quatenus confessarius ex auditis in confessione ansam sumit pænitentem invisendi et sollicitandi, graves auctores putant non verificari sollicitationem proprie dictam. Cfr. **Lehmk.**, n. 1254; **D'Annibale**, *Summula*, n. 367, not. 11, ubi tamen concedit aliam esse praxim Congregationum.

confessionem. Jamvero locus ad audiendas confessiones *destinatus* est sive sacristia sive locus ubi, juxta Statuta diœcesana, solent audiri confessiones; locus *electus* est quicumque locus ex petitione pænitentis vel confessarii hic et nunc inserviens ad confessionem audiendam, v. g., cubiculum infirmi. *Simulatio confessionis* locum habet quoties confessarius et pænitens, ex mutuo condicto, in uno e tribus locis designatis, ita se externe gerunt ut adstantes intelligant confessionem audiri. Denuntiandus est igitur confessarius qui in uno ex his locis sollicitat pænitentem, simulando confessionem. — Si quis vero in confessionali sedens sollicitaret personam ante se stantem, vel sedentem, non cadit sub lege, quia non simulatur confessio [1].

II. De obligatione denuntiandi sollicitantes.

595. 1° De ipsa obligatione. *Jure naturali* ii qui certo cognoscunt sollicitationem, sub gravi tenentur ex caritate sollicitantem denuntiare, ne hic multarum animarum ruinam causet. Hanc obligationem naturalem *positivo præcepto* confirmavit pro pænitentibus sollicitatis *Benedictus XIV* (supra, n. 587), et *Codex*, qui plectit excommunicatione latæ sententiæ nemini reservata fidelem "qui scienter omiserit eum a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare" (can. 2368, § 2).

Ex quo patet solos pænitentes sollicitatos hanc excommunicationem incurrere; alii qui certo cognoscunt factum sollicitationis tenentur quidem denuntiare *sub gravi*, ut declaravit *S. Officium* [2], sed ex solo jure naturali, neque sub pœna excommunicationis.

Insuper, ut pænitentes sollicitati excommunicationem incurrant, requiritur (a) ut obligatio denuntiandi sit *certa;* (b) ut omissio denuntiationis sit *culpabilis*, i. e., cum cognitione obligationis ac censuræ et simul absque legitima excusatione; (c) ut tempus ad denuntiationem utile elapsum fuerit, i. e., unus mensis a tempore quo persona sollicitata suam obligationem ac censuram ei adnexam noverit.

Unde absolutio dari nequit huic pænitenti, nisi denuntiationem fecerit vel saltem facere serio promiserit. Si quis autem hanc excommunicationem incurrerit, ac postea sollicitantem denuntiaverit,

---

[1] Ita ex decreto *S. Officii*, 1661, ad 15, ap. **Giraldi**, *op. cit.*, p. 633.

[2] *Instruct.* anni 1867, § 3, ubi dicitur: "Hujusmodi denuntiationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt".

a simplici confessario absolvi potest, cum excommunicatio nemini reservetur.

596. 2° **Quinam denuntiare tenentur?** Ad denuntiationem tenentur jure ecclesiastico *pœnitentes sollicitati;* jure naturali omnes qui aliunde a *personis fide dignis certo sciunt* hoc crimen commissum fuisse, etiam *impuberes* [1]; nisi tamen id noverint sub *secreto commisso;* nam jus *naturale* secreti commissi potius est, et postulat ut hoc secretum fideliter servetur.

(a) Nec requiritur ut crimen *juridice* probari valeat, sed sufficit ut sit moraliter certum; pariter denuntiari debet, etiamsi occultum, vel jam a longo tempore commissum.

(b) Quod verum est, etiamsi confessarius jam sit emendatus, excepto probabiliter casu quo emendatio tam conspicua et perdurans fuerit, ut nullus timor haberi possit reincidentiæ, maxime si jam Regularem Ordinem ingressus fuerit.

(c) Denuntiari debet, etiamsi jam convictus et punitus fuerit, si iterum delinquat; imo qui, jam ab alio denuntiatus, non fuerit plane convictus ac punitus, quamvis non iterum deliquerit; probabiliter tamen cessat obligatio, si plene convictus ac punitus fuerit nec iterum deliquerit, cum jam finis legis obtentus sit.

(d) Minime autem denuntiandus est qui jam est *mortuus*, quia jam cessat finis totalis legis, scilicet tam emendatio quam punitio rei. Idem probabiliter dici potest, si delinquens jam viribus fractus sit et prope moriturus, ita ut verisimiliter confessiones nunquam in futurum sit auditurus.

Ad denuntiationem vero non tenetur ipse confessarius sollicitans, quia nemo tenetur seipsum prodere; unde nec tenetur personam sollicitatam de onere denuntiationis monere. — Neque probabiliter tenentur consanguinei et affines sacerdotis sollicitantis, saltem in primis gradibus, quia censentur una persona moralis cum eo, et graviora mala ex tali denuntiatione sequi possunt.

597. 3° **Quænam causa a denuntiatione excusat? — Principium :** Cum hic agatur de *præcepto positivo Ecclesiæ*, licet gravissimo, *gravissimum incommodum, etiam privatum,*

[1] Impuberes tamen probabiliter ad id cogi non possunt antequam pubertatem adepti fuerint; et si antea denuntiant, eorum testimonium probationem juridicam non præbet, sed solum indicium ad ulterius inquirendum. Cfr. **Rota**, n. 388-389. — *Codex*, cc. 1757, § 1 et 1758.

ab ejus executione excusat; nisi tamen simul inducatur *publicum scandalum* vel *damnum commune:* tunc enim *jure naturali* denuntiatio fieri debet, nisi ádsit gravissimum incommodum *publicum.*

598. Conclusiones. (a) Excusat *periculum grave vitæ, famæ, vel fortunæ,* ex denuntiatione oriturum, dummodo sit *prudenter existimatum,* et non fictum; *extrinsecum denuntiationi,* et non ipsi intrinsecum, ut timor incurrendi indignationem sollicitantis [1], vel verecundia in manifestanda sollicitatione aut alia hujusmodi, quæ non excusant; *nec aliquo modo evitabile:* si enim vitari possit, media ad illud removendum adhiberi debent et denuntiatio facienda.

Hinc excusaretur qui sollicitantem denuntiare nequiret quin seipsum ut reum proderet. Quod tamen raro accidit; nam pænitens sollicitatus suum consensum reticere potest, nec de eo interrogatur; unde, etiamsi copula intercesserit, vel sollicitatio mutua fuerit, pænitens non tenetur id manifestare, sed dicere potest: talis confessarius mecum male se gessit, vel male locutus est in materia castitatis, nec quidquam amplius declarare possum.

(b) Excusat pariter *impotentia moralis personaliter adeundi judicem competentem, quamdiu durat;* denuntiatio enim, utpote *judicialis,* fieri debet *personaliter* et *viva voce,* sub pœna nullitatis, proindeque ab ea dispensantur qui coram judice comparere nequeunt. Sed tenentur adhibere media quæ illam possibilem reddant, videlicet rem Episcopo manifestare, per epistolam vel procuratorem, ut ille providere possit, v. g., delegando virum ecclesiasticum, coram quo sollicitatus denuntiare valeat.

(c) Excusat etiam *periculum publicitatis et scandali* prudenter existimatum; quod tamen admodum raro occurrit, cum denuntiatio secretissima fieri ac manere debeat.

(d) Aliquando etiam pænitenti, omnino denuntiare nolenti, conceditur dispensatio ab onere denuntiationis, sive *totalis* (quod raro fit, saltem prima vice), sive *partialis,* videlicet a quibusdam juridicis solemnitatibus; ad quam dispensationem obtinendam res minutatim exponatur, cum omnibus circumstantiis, S. Pænitentiariæ.

III. De modo excipiendi et faciendi denuntiationem.

599. 1° De modo quo sese gerere debet confessarius. (a) Confessarius, cui casus sollicitationis manifestatur, expen-

[1] Ceteroquin denuntiatio ita fieri potest ac debet ut denuntians a sollicitante non cognoscatur; quod sæpe possibile est; nam Superiores contra delinquentem procedere nequeunt nisi post duas vel tres accusationes, ita ut sollicitans sæpe cognoscere non valeat a quo denuntiatus fuerit.

dere debet num persona denuntians sit omnino fide digna; quandoque enim mulieres ex odio, vel invidia, aut quia earum sollicitationes repulsæ sunt, etc., falso denuntiant innocentes sacerdotes. Quapropter eas serio moneat de atrocitate criminis falsæ denuntiationis ac de gravissima pœna huic peccato inflicta, quod videlicet S. Pontifici reservatur.

(**b**) Sedulo perpendat num, omnibus inspectis, obligatio denuntiandi sit certa; si rem non possit statim dijudicare, pænitentem ad se altera die redire moneat.

(**c**) Si de obligatione denuntiandi certo constat, tenetur regulariter confessarius de hac obligatione pænitentem *monere*, quamvis hic in bona fide versetur; ait enim *S. Officium*, in *Instructione* anni 1867, n. 3: "Qua de re pænitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat". Ratio est quia bonum publicum, quod hanc denuntiationem generatim exigit, bono privato prævalere debet. Si tamen certo prævideatur monitionem nuliomodo profuturam esse, sed nocituram, confessarius monitionem differre potest, opportunius exspectans tempus, ut simul bono privato pænitentis et bono Ecclesiæ provideat. Si nulla spes sit unquam denuntiationem obtinendi, recurrere valet pro dispensatione ad S. Pænitentiariam directe, vel per Ordinarium.

(**d**) Si pænitens, de obligatione denuntiandi monitus, eam facere nolit, inquirat confessarius utrum sit causa excusans; si quæ sit causa legitima, non urgeatur obligatio usquedum causa cessaverit; si vero nulla sit rationabilis causa, meliori quo fieri potest modo suadeat pænitenti ut denuntiet, vel saltem tempore opportuno denuntiare promittat, exponendo quomodo id fieri possit, absque ulla propria injuria; si id etiam obtinere nequeat, recurrat ad Superiores ecclesiasticos pro dispensatione, nec absolvat antequam dispensatio obtenta fuerit, nisi tamen in mortis articulo, in quo absolutio dari potest quoties bona fides probabiliter præsumi potest.

600. 2° De modo denuntiationem faciendi. (**a**) Denuntiatio facienda est, ex c. 904, *S. Congr. S. Officii* vel loci *Ordinario*. Quo nomine hic intelligendus est *Episcopus* [1], eoque mortuo, *Vicarius capitularis* (in Statibus Fœderatis *Administrator*), non autem Vicarius Generalis, nisi ad hoc speciale mandatum habeat. Ordinarius, cui facienda est denuntiatio, est Ordinarius

[1] Episcopus est judex competens in hac materia, etiam quoad Regulares exemptos. In locis missionum, Vicarius Apostolicus denuntiationem accipere potest, ex decreto *S. Officii*, 20 jun. 1883, *Collectanea*, n. 949.

sacerdotis denuntiati, vel loci, ubi delictum patratum est; aut, juxta nonnullos, Ordinarius pænitentis sollicitati, qui denuntiationem ad Episcopum sacerdotis delinquentis transmittat.

(b) Cum denuntiatio sit actus vere *judicialis*, regulariter persona sollicitata, vel alia quæ crimen certo noverit, personaliter coram Ordinario, ejusve delegato, se sistere debet, præsente ecclesiastico viro, qui *notarii* partes agat; et, juramento præstito, *viva voce*, non scripto, denuntiationem facere, exprimendo nomen sacerdotis sollicitantis, aut, si hoc ignoretur, ejus officium, munus, ætatem aliaque signa specialia quibus agnosci valeat. Insuper denuntians suum nomen manifestare debet et subscribere; quod si scribere nesciat, signum crucis apponat. Tandem juramentum emittat de secreto religiose servando super omnia quæ peracta sunt [1].

(c) Cum vero sæpe ordo judicialis servari nequeat, Episcopus concedere potest ut denuntiatio fiat coram sacerdote (v. g., parocho) delegato, absque notario; aut etiam coram confessario ad hoc munus specialiter deputato (quod tamen non fit sine incommodo).

(d) Antequam vero Episcopus contra denuntiatum procedat, juxta recentem *S. Officii* Instructionem [2], 6 aug. 1897, explorare debet utrum mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducti: "Ordinarius igitur toties quoties aliquam de infando sollicitationis crimine denuntiationem acceperit, illico ad *diligentias* [3] procedet. Ad quem finem vel per se, vel per sacerdotem a se *specialiter* delegatum advocabit (separatim scilicet et qua debet circumspectione) duos testes, quantum fieri poterit, ex cœtu ecclesiastico, utcumque vero omni exceptione majores, qui bene noverint tum denuntiatum, tum omnes et singulos denuntiantes, eosque sub sanctitate juramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, *judicialiter* interrogabit, testimonium scripto referens, juxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivæ denuntiationis authenticum exemplum directe tutaque via ad hanc Supremam Congregationem quamprimum transmittet... Quod si inveniri nequeant duo tantum testes qui noverint una simul denuntiatum et omnes et singulos denuntiantes, plures vocari debent. Tot nempe in hoc casu testes ut supra vocandi erunt quot oportebit ut duplex quoad denuntiatum et unumquemque denuntiantem habeatur testimonium".

---

[1] Norma in hoc examine sequenda describitur in *Instruct. S. Officii*, 20 jul. 1890, *Acta S. Sedis*, XXV, p. 451-454.

[2] *Acta S. Sedis*, XXX, p. 249-251; ibidem invenire licet formulam in testium interrogatione adhibendam.

[3] *Diligentias* vocant judicialem investigationem circa denuntiatum et denuntiantes infra descriptam.

Exinde sequitur Episcopum non posse judicialiter contra denuntiatum procedere antequam præfata documenta *S. Officio* transmiserit ab eoque responsum acceperit.

IV. De pœnis contra sollicitantes.

601. 1° Pœnæ contra sollicitantes sunt *ferendæ sententiæ*, ideoque nonnisi post sententiam judicis incurruntur. In *Codice*, c. 2368, § 1, ita declarantur : "Qui sollicitationis crimen commiserit, *suspendatur* a celebratione Missæ et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate *inhabilis* ad ipsas excipiendas declaretur, *privetur omnibus beneficiis*, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subjiciatur".

2° Antequam vero judicialis sententia feratur, generatim tres denuntiationes præcedere debent, juxta praxim quam sequitur *S. Officium*. Una alterave denuntiatio est quidem sufficiens motivum ut denuntiatus *observetur*, sed non ut in judicium vocetur, nisi fama confessarii mala sit et denuntians omni exceptione major.

3° Si vero delinquens sponte coram Episcopo comparuerit, delictum sincere confessus fuerit et veniam petierit, dimitti debet abjuratione facta, et pænitentia salutari imposita, adjecto consilio vel præcepto ut ab excipiendis confessionibus personæ sollicitatæ se abstineat.

4° Cum peccatum sollicitationis non sit reservatum, nec censura plectetur *ipso facto*, saltem jure communi, sacerdos sollicitans, aliunde rite dispositus, a quolibet confessario absolvi potest; sed monendus est ne personæ sollicitatæ confessiones excipiat, saltem ubi adest copia confessarii, ut relapsus periculum vitetur.

602. Corollarium : *De pœna contra falso insimulantes confessarium sollicitationis.*

Codex, can. 894, S. Pontifici reservavit, ratione sui, crimen eorum qui innocentem sacerdotem judicialiter denuntiant quasi sollicitationis reum. Insuper can. 2363 hæc decernit : "Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicæ reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit; et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna pænitentia".

(**A**) Ut falsa denuntiatio sit peccatum reservatum, tria requiruntur (**a**) ut denuntietur sacerdos quasi *reus sollicitationis proprie dictæ*, juxta superius explicata; (**b**) ut hæc denuntiatio sit *falsa*, ita

ut confessarius ab hoc delicto immunis sit, quamvis forsan aliorum delictorum reus; (c) ut denuntiatio sit *juridica*, i. e., coram judice competente facta, modo supra exposito; hinc non sufficit denuntiatio coram personis quæ judices competentes non sint, nec denuntiatio anonyma, quæ nullius ponderis est, nec etiam probabilius epistola simplex, etiam subsignata, quæ judicialem vim non habet. — Qui falso denuntiant, etsi non judicialiter, graviter peccant, et damnum injuste confessario illatum resarcire tenentur.

(B) *Procurantes id fieri*, ut jubentes, mandantes, consilium dantes, rogantes, promittentes, comminantes, uno verbo ii omnes qui *positive* et *efficaciter* concurrunt in falsam denuntiationem, non incurrunt reservationem peccati ratione sui, cum de his taceat can. 894, sed censuram reservatam incurrunt ut ipsi falso denuntiantes, ex applicatione can. 2231, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset (c. 2209, § 3).

Quoad absolutionem hujus peccati Papæ reservati, applicanda sunt principia superius exposita de casibus papalibus, n. 455, et quæ traduntur in *Tract. de Censuris*.

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS [1].

Cum Indulgentiæ sint unum e mediis quibus satisfieri possit pro pœna peccatis debita, de iis breviter disserere haud inutile erit : —

1° de Indulgentiis in genere spectatis;
2° de Indulgentia Jubilæi;
3° de quibusdam Indulgentiis in specie.

Art. I. De Indulgentiis in genere.

Divisio.
1° De notione et existentia;
2° De auctoritate Indulgentias concedente;
3° De Indulgentiarum subjecto;
4° De suspensione, translatione et cessatione Indulgentiarum.

§ I. De notione et existentia indulgentiarum.

I. De notione et speciebus.

603. 1° **Definitio.** Indulgentia (ab *indu-licentia*) [2] idem sonat ac lenitas, condonatio; prout hic usurpatur, definitur a *Codice*, c. 911 : "*remissio coram Deo pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, ad culpam quod attinet jam deletis, quam eccle-*

[1] **S. Thomas**, *Suppl.*, q. 25-27; **F. Mayron**, *De Indulgentiis;* **Suarez**, disp. XLIX sq.; **Lugo**, disp. XXVII; **E. Amort**, *De Origine, progressu, valore ac fructu Indulgentiarum*, 1735; **S. Alphons.**, n. 531-538; **Baller. P.**, t. V. De Suffragiis et Indulgentiis; **Lehmk.**, n. 659-710; **Genicot**, n. 401-415; **Noldin**, n. 311-334; **Beringer, S. J.**, *Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch*, gallice redditum a *Ph. Mazoyer*, *Les Indulgences*, Paris, 1925; **Lépicier**, *Indulgences*, London, 1895, *gallice* redditum : *Les Indulgences*, leur origine, leur nature, leur développement, Paris, 1903 : *Decreta authentica S. Cong. Indulg.*, 1883; **Raccolta** *di Orazioni...* Romæ, 1898, *Collectio precum...*, Romæ, 1929; **P. Galtier**, *D. A.*, voce *Indulgences; Tr. de Pœnitentia*, th. XLV-XLVII; **L. Fanfani**, *De Indulgentiis*, 2ª ed., Taurini, 1926; **A. Gougnard**, *Tractatus de Indulgentiis*, 4ª ed., Mechliniæ, 1926.

[2] Cf. **M. Bréal**, *Diction. étymolog. latin*, Paris, 1885, p. 134.

siastica auctoritas ex thesauro Ecclesiæ concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii".

Declaratur : (a) *remissio pœnæ temporalis*, non autem culpæ sive præteritæ sive futuræ, sive mortalis, sive venialis, ut falso asserunt Protestantes; siquidem, licet in nonnullis veteribus formulis occurrant verba, quibus indulgentia conceditur *a culpa et a pœna*, ea tamen non ab Ecclesia, sed a nonnullis quæstoribus inserta sunt, contra voluntatem RR. Pontificum, qui hujusmodi abusum reprobarunt[1]; hinc merito Card. Cusanus in Synodo provinciali *Magdeburgensi* dicebat : "Sedes Apostolica sub verbis *a pœna et culpa* indulgentias nunquam dare consuevit". Nec obstat quod in nonnullis Litteris Apostolicis indulgentiæ concessæ dicuntur in *remissionem peccatorum :* hæc enim verba intelliguntur de remissione *pœnæ peccatis debitæ;* nec unquam quis liberatur a pœna nisi prius absolutus fuerit a culpa[2], ut in *Codice* statuitur.

(b) *Coram Deo valida;* videlicet remissio pœnæ valet non solum in foro externo, coram Ecclesia, sed etiam in foro interno, coram Deo; secus, ut ait *S. Thomas*[3], Ecclesia peccatores magis damnificaret quam adjuvaret, quia, absolvendo a pœnitentiis injunctis, damnaret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii.

(c) *Quam ecclesiastica auctoritas...;* non enim quilibet homo indulgentias concedere potest, sed ii solum quibus thesauri Ecclesiæ commissa fuit dispensatio, videlicet Romanus Pontifex vel Concilium generale pro universali Ecclesia, Cardinales (c. 239, § 1, n. 24), Episcopi (c. 274, n. 2; c. 349, § 2, n. 2; c. 1166, § 3). Cf. *Codex*, can. 912 et 913.

(d) *Ex thesauro Ecclesiæ;* nam, remittendo pœnam, Ecclesia solutionem nihilominus, seu compensationem aliquam Deo exhibet, ex thesauro suo depromptam : adest siquidem spiritualis thesaurus, ex superabundantibus Christi Sanctorumque satisfactionibus conflatus, cujus supremus dispensator est Pontifex, et ex quo justa de causa solvi possunt fidelium debita; qui igitur indulgentiam concedit, non simpliciter relaxat pœnam temporalem, sed pœnitenti aliquid præbet unde solvat, ipsi applicando Christi superabundantes satisfactiones.

Verba per modum *absolutionis* aut *suffragii* mox declarabuntur.

604. 2° **Species.** Dividuntur indulgentiæ : (a) ratione *effectus*, in *plenarias* et *partiales :* priores ordinantur ad

---

[1] Cfr. **Clementin.**, lib. V, tit. 9, c. 2.

[2] Pauci veteres theologi, ut *Paludanus*, dixerant *culpam venialem* probabiliter per indulgentias remitti posse; sed hæc opinio singularis communiter rejicitur; [illegible] dictis enim, n. 197, culpa venialis per contritionem remittitur.

[3] *Supplem.*, q. 25, a. [illegible]

remittendam *totam* pœnam quæ luenda manet, posteriores ad *partem quamdam* ejusdem pœnæ.

Hinc conceduntur indulgentiæ quadraginta, vel centum dierum, septem annorum, etc.; quod intelligi debet non eo sensu quod totidem Purgatorii dies vel anni remittuntur, sed eo quod tantum debitæ pœnæ condonatur quantum remissum fuisset per quadraginta vel centum dies pænitentiæ canonicæ, qualis primis Ecclesiæ sæculis vigebat. Hinc mensura remissionis ipsius pœnæ nobis ignota manet, ac multum pendet a fervore quo conditiones ad lucrandas Indulgentias necessariæ adimplentur. — Aliquando conceditur indulgentia *sex vel septem annorum et totidem quadragenarum;* nomen *quadragenæ* significat totidem jejunia quadragesimalia, ita ut sensus sit concedi remissionem pœnæ quæ respondeat non solum sex vel septem annis pænitentiæ canonicæ, sed etiam totidem jejuniis quadragesimalibus superadditis.

605. (b) Ratione *subjecti*, dividuntur in indulgentias *pro vivis* et indulgentias *pro defunctis*, seu quæ applicabiles sint animabus Purgatorii [1]. Indulgentiæ *vivis* conceduntur per modum *juridicæ absolutionis*, quæ tamen simul includit *solutionem debiti* ex thesauro Ecclesiæ; hi enim vere subduntur jurisdictioni Ecclesiæ; *defunctis* autem per modum *suffragii*, et *solutionis debiti :* cum enim hi non subdantur jurisdictioni Ecclesiæ, Superiores ecclesiastici non possunt directe eis indulgentiam applicare, sed solum Deo exhibere Christi sanctorumque satisfactiones eumque rogare ut, pro sua misericordia, eas acceptet tanquam *solutionem* pretii pro peccatis defunctorum debiti. Proinde defuncti non lucrantur indulgentias proprie loquendo; sed vivi ab Ecclesia permittuntur defunctis applicare quasdam indulgentias quas ipsi lucrantur; qua mensura autem de facto animabus Purgatorii applicentur ignotum est, et a sola voluntate Dei pendet.

Vivi autem non possunt aliis vivis indulgentias applicare, cum S. Pontifex, a cujus voluntate res pendet, hanc facultatem hucusque non concesserit; quod quidem rationi consentaneum est : si enim indulgentiæ vivis applicari possent, non pauci segniores evaderent, rati alios pro se satisfacturos esse.

606. (c) Ratione *modi*, indulgentiæ sunt *personales*, *reales* vel *locales : personales*, quando immediate personis aut com-

[1] "Animabus in purgatorio detentis indulgentiæ omnes a Romano Pontifice concessæ, nisi aliud constet, applicabiles sunt" (*Codex*, c. 930).

munitatibus conceduntur; *reales*, quæ immediate alicui rei annectuntur, v. g., rosario, vel coronæ precatoriæ, numismati, Crucifixi imagini, etc.; *locales*, quæ immediate pio loco annectuntur, vel alicui rei quæ in determinato loco posita est.

607. Hic explicare juvat quid sit intelligendum per illas formulas quæ sæpe in concessionibus indulgentiarum reperiuntur. *Toties quoties* significat, ex speciali concessione, fideles lucrari posse indulgentiam tot vicibus quod repetunt pia opera quibus adnectitur. Tales sunt indulgentiæ partiales nisi contrarium notetur; sed generatim indulgentiæ plenariæ nonnisi semel in die acquiri possunt, paucis tamen exceptis, v. g., indulgentia quæ dicitur *Portiunculæ*, quam lucrantur visitantes, die 2 aug., Basilicam S. Mariæ Angelorum aliasve ecclesias quibus idem privilegium concessum est. — Indulgentia plenaria *quotidiana perpetua*, quæ visitantibus aliquam ecclesiam conceditur, non ita intelligi debet ut possit *quotidie* acquiri, sed solum *semel in anno*, quolibet anni die, arbitrio cujusque eligendo, nisi tamen expresse in concessione dicatur eam acquiri quotidie. (*Codex*, can. 928, can. 921, § 3).

II. De existentia potestatis indulgentias concedendi.

608. Errores. Potestatem Ecclesiæ inesse indulgentias concedendi negarunt :

(a) *Waldenses*, *Wiclefistæ*, necnon *Petrus de Osma*, qui docebant Pontificem non posse indulgentias largiri, nec a purgatorio liberare [1]; (b) *Protestantes :* Lutherus siquidem primum quidem abusus quæstorum indulgentiarum carpere visus est, sed mox ipsas indulgentias impugnavit, tanquam inutiles et perniciosas, piasque fraudes ab obtinendam pecuniam inventas. Moderni Protestantes idem asserunt, imo multi affirmare non erubescunt indulgentias nihil aliud esse nisi licentiam peccandi soluta pecunia comparatam [2].

609. *Thesis :* **Ecclesia potestate gaudet indulgentias concedendi, quarum usus christiano populo maxime salutaris est.** *De fide est ex Tridentino* [3] *:* " Cum potestas

[1] Cfr. **D. B.**, 729.

[2] Quam calumniam non minus lepide quam eloquenter confutat **J. H. Newman**, *The present position of Catholics in England*, London, 1889, p. 108 sq. Hodie tamen plerique Protestantes has falsas accusationes emolliunt, dicendo hujusmodi abusus non nostris temporibus, sed præteritis solum sæculis viguisse; indulgentias tamen ut perniciosas in suis effectibus impugnant; ita **Littledale** *. *Plain Reasons*, p. 102; **Lea** *, *op. cit.*, vol. III, p. 569 sq.

[3] Decretum de Indulg., ap. **D. B.**, 989.

conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit : Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et S. Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant ".

610. 1° Potestas indulgentias concedendi e tribus dogmatibus fluit, nempe, ex *sanctorum communione*, ex *superabundantia satisfactionum* Christi, et e *potestate clavium.*

(**A**) Ex dictis in conclusione *Synopsis Theol. Dogmaticæ*, datur in Ecclesia *communio* sanctorum, vi cujus omnia Christi membra, per Christum et in Christo, ita arctissime uniuntur ut spiritualia bona sive Christi capitis sive aliorum membrorum participent. Ecclesia enim non est tantum societas externa quæ visibili regitur hierarchia, sed etiam *societas mystica*, cujus caput est ipse Christus, anima Spiritus Sanctus, membra autem omnes fideles qui intime uniuntur sive capiti sive inter se. Atqui, vi hujus unionis, omnes fideles participes aliquo modo efficiuntur bonorum spiritualium totius corporis mystici.

611. (**B**) Exinde sequitur in Ecclesia esse veluti *thesaurum inexhaustibilem* bonorum spiritualium ex Christi sanctorumque meritis et satisfactionibus constitutum, cujus participes esse possunt omnes fideles.

(**a**) *Christi* enim *satisfactiones*, utpote infiniti valoris, *superabundantes fuisse*, jam probavimus in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 1168. Præterea, juxta communem doctrinam quam confirmarunt S. Pontifices, nonnulli inter *Sanctos* plura opera satisfactoria peregerunt quam ad satisfaciendum pro propriis peccatis necessaria erant : sic *B. Virgo*, quæ nunquam, ne venialiter quidem, peccavit, et aliunde multa patienter perpessa est; ita et virgines multæ, quæ angelicam potiusquam humanam egerunt vitam; martyres, qui tam acerbos cruciatus libenter amplexi sunt; aliique multi, qui ab omni mortali peccato liberi, membra sua indesinenter crucifixerunt. Ex omnibus his operibus satisfactoriis, in

unione cum Christo peractis, ortus est veluti immensus satisfactionum thesaurus [1].

(b) Quam doctrinam sic exponit *Clemens VI*, an. 1343; de Christo siquidem ait [2]: "Non enim corruptibilibus auro et argento, sed suipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen *propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset*, sed *copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse*... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, *thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit*, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti". Postea de sanctis addit: "Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur, de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut prædictum est, merita, quam pro eo quod, quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum".

Exinde igitur patet inexhaustibilem esse thesaurum satisfactionum quæ christianis applicari valent.

612. (C) Dispensatio autem bonorum in hoc thesauro contentorum fit præcipue ab eo qui supremam habet potestatem in Ecclesia. Nam, ut recte ait S. Thomas [3], "ea quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus qui multitudini præest".

Jamvero nil impedit quin illa attributio satisfactionum Christi et sanctorum fiat in ordine ad *pœnæ temporalis* remissionem etiam *extra sacramentum*. Id enim infertur ex textibus jam allatis [4]. Christus videlicet Petro, Apostolorum principi, dixit: "Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et *quodcumque solveris* super terram, erit solutum et in cælis"; etenim in priori parte hujus textus, Petro et Apostolis promittitur potestas fideles ligandi

---

[1] *Codex*, c. 911.

[2] Extrav. *Unigenitus*, Extrav. commun., l. v, t. 9, c. 2, p. 1304, ed. *Friedberg*.

[3] *Supplem.*, q. 25, a. 1.

[4] *Matt.*, XVI, 19; *Joan.*, XX, 23.

quocumque spirituali vinculo, peccata retinendo pœnasque canonicas imponendo; ergo in posteriori parte *quodcumque solveris* datur pariter potestas non solum peccata absolvendi, sed etiam pœnas canonicas cum prudentia relaxandi; adest enim parallelismus inter utramque partem. Confirmatur ex aliis Christi verbis : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis"...; ibi enim amplissima confertur potestas remittendi peccata, absque ulla restrictione; porro peccatum tria involvit, reatum culpæ, reatum pœnæ æternæ, reatum pœnæ temporalis; ergo potestas Ecclesiæ collata hæc tria amplectitur. Jamvero duo priora per sacramentum Pænitentiæ tolluntur; tertium autem *extra sacramentum* tolli potest, videlicet pœnam condonando per indulgentias.

Res *comparatione* illustratur. In Republica bene ordinata, Præsidi potestas inest legum et pœnarum severitatem aliquando emolliendi, quando id postulant bonum commune, vel rei emendatio certis signis manifestata; atqui Ecclesia est societas bene ordinata, imo nobilior et perfectior aliis societatibus, cum bonum supernaturale animarum promoveat; ergo decebat ut Ecclesiæ præsides potestate gauderent aliquid de spiritualibus debitis, justa de causa, condonandi; quod fit pœnas tollendo aut minuendo per indulgentias.

613. 2° Thesis **historice** probatur[1]. Historicus indulgentiarum progressus cum evolutione pænitentialis disciplinæ intime connexus est; in eoque *tria stadia* distinguere licet.

(**A**) In prima epocha, quæ usque ad sæculum septimum sese extendit, indulgentiarum concessio apparet sub forma *mitigationis pœnitentiæ publicæ.* Hanc pænitentiam fuisse laboriosam et diuturnam, jam supra ostensum est, n. 57. Aliquando autem aliquid de pænitentia canonica, auctoritate Ecclesiæ imposita, remittebatur.

(**a**) Id præsertim fiebat *intuitu intercessionis martyrum.*

Cujus rei testis est *Tertullianus;* dum adhuc catholicus esset, hæc scripsit[2] : "Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt; et ideo eam etiam prop-

[1] Cfr. **A. Boudinhon**, *Sur l'histoire des indulgences*, in *Rev. de l'Institut cathol. de Paris*, mai 1902, p. 238-257; **P. Galtier**, *D. A.*, voce *Indulgences*, col. 726-737; **N. Paulus**, *Geschichte des Ablasses im Mittelalter.*

[2] **Tertul.**, *Ad martyr.* c. 1; *P. L.*, I, 621.

terea in vobis habere et fovere, et custodire debetis, ut si forte et aliis præstare possitis". Quam praxim postea, in Montanistarum errorem lapsus, reprobavit[1]; sed et hoc ipsum demonstrat hanc praxim exstitisse et a R. Pontificibus fuisse approbatam. Quod pariter testatur *S. Cyprianus*, declarando eos "qui libellos a martyribus acceperint, prærogativa eorum apud Deum adjuvari posse"[2]. Ceteroquin res adeo evidenter constat ut a nemine hodie negetur. Jamvero relaxatio pænitentiæ canonicæ nihil aliud erat nisi relaxatio pœnæ peccato debitæ, cum pænitentia ad remissionem hujus pœnæ ordinaretur.

(**b**) Eadem benignitas ostendebatur eis qui *laudabili* ac *ferventi vita* sua peccata redimebant.

Ita *C. Ancyranum* (314) decrevit (can. 5): "Statuimus ut Episcopi, modo conversationis examinato, potestatem habeant vel *ütendi clementia*, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et præcedens vita, et quæ consecuta est, examinetur, et sic eis *clementia impertiatur*". Item *Nicænum I* (can. 12): "Quotquot, metu et lacrymis atque pænitentia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit Episcopo de his *aliquid humanius cogitare*".

(**c**) *Moribundis* etiam relaxabantur pœnæ, quo citius cælum ingredi valerent; si convalescebant, quasdam sed non omnes pœnas solvere tenebantur.

Porro, in his omnibus casibus, Ecclesia, canonicam pænitentiam relaxando, certe nolebat pænitentes gravioribus purgatorii pœnis tradere, ideoque potestate utebatur condonandi partem satisfactionis peccato debitæ.

614. (**B**) In *secunda* periodo, a septimo ad undecimum sæculum, indulgentia apparet sub forma *commutationis pænitentiæ canonicæ in alia opera* quæ censebantur æquivalentia. Tunc enim pænitentia quædam specialis pro quolibet peccato infligebatur, ut supra notatum est, n. 147. Jamvero hujusmodi opera aliquando commutabantur in certa opera pia, præcipue orationes, flagellationes et eleemosynas.

Ita, teste S. Petro Damiano, S. Dominicus Loricatus, per singulos dies quadragesimæ, se scoparum tunsionibus afficiendo, et tria

---

[1] *De pudic.*, c. 22; *P. L.*, II, 1026.

[2] **S. Cyprian.**, *ep.* 18, t. II, p. 523, ed. Vind.; cfr. *ep.* 21, 33, 36, et *De lapsis*.

psalteria persolvendo, centum annorum pænitentiam agere censebatur [1]. Eadem ætate, iis qui Apostolorum basilicas Romæ visitabant condonabatur pars pænitentiæ canonicæ. Ait enim Nicolaus I de homicida quodam : "Quædam (de pænitentia) temperavimus eo quod suffragia apostolorum principis, nutritoris nostri, postulare devote festinavit" [2]. Pariter, sæc. IX, *Sergius II* concessit visitantibus ecclesiam SS. Sylvestri et Martini, in festivitatibus plurium sanctorum, indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum : constat ex marmorea tabula, in hac ecclesia collocata, quam describit Baronius sub an. 847. Iterum in sacramentario *Valicelliano*, eodem sæculo exarato, mentio fit indulgentiæ quorumdam dierum et annorum. Sæc. XI, *Leo IX* iis qui convenerant ad consecrationem ecclesiæ metropolitanæ Bisuntinæ tertiam partem pænitentiæ suæ condonavit.

In his aut similibus casibus, pars quædam pænitentiæ canonicæ commutabatur in pias peregrinationes aliave ejusmodi opera.

615. (C) In *tertia* ætate, ab undecimo sæculo, jam conceduntur *indulgentiæ proprie dictæ*, seu remissio totalis aut partialis pœnæ peccato debitæ, positis tamen quibusdam operibus a legitimo superiore determinatis.

1) Quod præsertim factum est ad promovendas *expeditiones in Terram sanctam :* ita *Urbanus II*, in C. *Claromontensi*, an. 1095, decrevit (can. 2) : "Quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, *iter illud pro omni pænitentia ei reputetur*". Indulgentia hujusmodi fuit etiam concessa iis qui adversus hæreticos pugnarent, præsertim Albigenses. Postea, sæc. XIII, C. *Lateranense* IV (1215) decrevit ne nimium indulgentiæ extenderentur, sicque abusus præcaverentur.

2) Res autem magis universalis evasit *ex institutione jubilæi*. Initio sæculi XIV, jubilæum institutum vel confirmatum est a *Boni-*

---

[1] *P. L.*, CXLIV, 1015.

[2] Apud **Ivonem**, *P. L.*, t. CLXI, p. 700. — Quidam tenent indulgentias quasdam a *Gregorio Magno* concessas fuisse iis qui visitabant *stationes* (præcipuas ecclesias) Romæ. Id referunt **S. Thomas**, *in IV*, dist. 20, q. 1, a. 3, sol. a et **Gulielmus Antisiodorensis**, *Summa*, l. IV, tr. 6, c. 6; quod tamen negat **Morinus**, (*op. cit.*, l. X, c. 20, n. 10), quia nil hac de re apparet in S. Gregorii epistolis aut sermonibus. Quidquid est, valde antiqua est hæc praxis; eam siquidem commemorat *Bonifacius VIII* (an. 1300), in Bulla Jubilæi : "Antiquorum habet fida relatio quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de Urbe concessæ sunt magnæ remissiones et indulgentiæ peccatorum". (*Extravag. commun.*, l. V, t. 9, c. 1, p. 1303 ed. *Friedberg.*)

facio VIII, qui plenariam indulgentiam aliosque spirituales favores concessit pro anno 1300 et quolibet sequenti centesimo anno; postea *Clemens VI* decrevit ut jubilæum celebraretur quolibet quinquagesimo anno, incipiendo a 1350; tandem *Paulus II* voluit ut locum haberet quolibet vigesimo quinto anno, incipiendo ab an. 1475. Postea Pontifices jubilæa *extraordinaria*, seu indulgentiam ad instar jubilæi, ob graves causas, concedere cœperunt.

3) Mox indulgentias plenarias aut partiales largiri consueverunt ad promovenda pia opera, videlicet ecclesiarum aut hospitalium erectionem. Qua occasione quidam abusus irrepserunt, ex eo quod *quæstuarii*, seu indulgentiarum prædicatores, ad copiosiores eleemosynas obtinendas, vim et efficaciam indulgentiarum plus æquo amplificarunt. Sed hunc abusum eradicavit *Tridentinum*, quæstuarios abolendo.

Ex quibus omnibus colligitur quantum decipiantur Protestantes qui, cum *Chemnitio* [1] dicunt catholicos "non posse vel ulla Patrum testimonia, vel ulla veteris Ecclesiæ exempla proferre, quod talis doctrina vel usus talium indulgentiarum ullo unquam tempore usque ad annos post natum Christum 1200 in veteri Ecclesia fuerit".

616. (D) *Solvuntur diffic.* (a) Indulgentiarum concessio liberat hominem a debito satisfaciendi, proindeque *sacramentum Pœnitentiæ mutilat*, quod satisfactionem aliquam involvit; ergo rejicienda est.

Resp.: Nego suppositum, nam indulgentiæ prudenter concessæ non eximunt pœnitentem a sacramentali vel extra-sacramentali satisfactione, sed sincere contritis conceduntur ut habeant ex quo promptius et efficacius satisfaciant. Nemo enim indulgentias lucrari valet nisi opera quædam præscripta peragat, et sincere pœniteat.

(b) *Instant adversarii:* Facilitas per aliquot preces vel opera pro omnibus peccatis satisfaciendi *spiritualem socordiam generat*, cum nulla proportio sit inter opera præscripta et pœnam remissam.

Resp. Nego subsumptum: nam opera exteriora, quæ præscribuntur, licet in se levia sint, supponunt interiores dispositiones contritionis et firmi propositi, quæ socordiam excludunt; nam, ut ait *Cajetanus* (De suscipient. indul., q. 1), non prosunt indulgentiæ negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt indulgentia, sed illis quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita. Ita, v. g., plenariam indulgentiam non lucratur, nisi qui ab omni affectu ad venialia immunis est. His autem positis, facilitas operis injuncti est potius quædam

[1] *Suppl.*, q. 25, a. 1.

quasi illecebra, qua pænitentes ad perfectas dispositiones interiores comparandas alliciuntur : et ita promoventur cordis contritio, orationis studium, sacramentorum frequentatio ac operum misericordiæ praxis.

617. (c) *Instant* iterum : concessio indulgentiarum eo tendit ut *tempus purgationis* in hac vel altera vita *minuat;* atqui hoc est contra ordinem a Deo intentum [1].

Resp. Nego minorem : Deo enim, qui animas pænitentes diligit, nihil magis acceptum est quam hoc purgationis tempus minuere; ex una quidem parte, ut sapiens *Legislator*, statuit ut nemo regnum cælorum ingrederetur nisi post solutionem pœnæ peccato debitæ; ex altera autem, ut misericors *Pater*, pænitentibus vult parcere; si quis igitur pro aliis satisfaciat, opus Deo gratum facit, eum scilicet juvando ut justitiæ misericordiæque jura conciliet.

(d) Indulgentiarum concessio *innumeris abusibus* occasionem præbuit; Romani enim Pontifices, sine ulla ratione, centum, mille ampliusque annorum indulgentias largiri non erubuerunt, imo eas pro pecunia vendere.

Resp. Aliquos irrepsisse abusus in indulgentiarum concessione et prædicatione non diffitemur; sed isti abusus nec universales nec frequentes fuerunt, et pluries a R. Pontificibus et Conciliis reprobati sunt; ita sæc. XI, *Gregorius VII* Lincolniensi Episcopo indulgentiam delictorum roganti, annuit ea tamen lege ut bonis operibus inhærendo commissos excessus plangeret [2]; sæc. XII, *Gregorius VIII*, Beneventi fidelibus declaravit tutius esse ut agerent pænitentiam quam vel tertiæ partis pænitentiæ remissionem obtinerent; sæc. XIII, C. *Lateran. IV* quorumdam Episcoporum in concedendis indulgentiis laxitatem redarguit; et *Tridentinum* (sess. XXV de Indulg.) statuit ut sanctarum indulgentiarum munus sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensaretur, omnesque proscripsit abusus qui ignorantia vel superstitione in diversas diœceses irrepserant. Jamvero res in se bona et utilis eradicari non debet propter nonnulla incommoda quæ ex ea oriuntur, sed ipsa incommoda præcavenda sunt, in quantum fieri potest; quod quidem Ecclesia data opportunitate præstitit.

---

[1] Huc redit argumentum a **Littledale** * propositum (*op. cit.*, p. 109) : "Has animas Deus diligit, easque in Purgatorio detinet, non ut pœnas luant, sed ut purificentur. Fidenter admittimus Deum eas punire maxima misericordia, lenitate, et efficacia. Hinc earum e Purgatorio intempestivus egressus nihil emolumenti eis affert, nisi tamen admittatur Ecclesiam Romanam sapientiorem ac benigniorem esse ipso Deo, eamque victimas ex divinis manibus, ut ita dicam, eripere"!

[2] Cf. **Baronius**, *Annales ecclesiast.*, ad an. 1703, n. 71; **Drouin**, l. cit., § 4, ubi hæc et alia facta referuntur.

Quod autem additur circa indulgentiarum venditionem, falso nititur supposito. Pecunia, quæ interdum erogabatur aut etiam nunc aliquando erogatur, v. g., occasione jubilæi, ad lucrandam indulgentiam, non est nec unquam fuit indulgentiæ pretium; erat siquidem eleemosyna tanquam pium opus præscripta, et in bonos usus convertenda, ad Turcas debellandos qui Europæ pacem turbabant, ad templorum, hospitalium aliorumque hujusmodi institutorum erectionem et dotationem. Aliunde nonnisi paucæ indulgentiæ sub hac conditione conceduntur; pleræque enim nonnisi opera mere spiritualia exigunt [1].

618. Corollaria. (a) *Indulgentiæ fidelibus defunctis in purgatorio detentis applicari possunt per modum suffragii;* et quidem ad modum *satisfactionis* et solutionis debiti, quatenus satisfactiones Christi et Sanctorum in Ecclesiæ thesauro reconditæ, Deo offeruntur in compensationem pœnæ a defunctis luendæ. "Non enim est aliqua ratio, ait *S. Thomas* [2], quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos et non in mortuos". — Hinc *Pius VI* ut falsam, temerariam et piarum aurium offensivam damnavit propositionem Synodi Pistoriensis asserentis "luctuosius adhuc esse quod chimærica isthæc applicatio (indulgentiarum) transferri volita sit in defunctos" [3].

Attamen hujusmodi potestas ita exercetur ut hæ indulgentiæ *directe vivis* per modum juridicæ *absolutionis*, *indirecte tantum mortuis* applicentur, per modum *solutionis* debiti. Nam, ut ait *S. Thomas* (l. cit.), directe et principaliter ille indulgentiam accipit qui facit hoc pro quo indulgentia datur; unde cum mortui non possint facere aliquid horum quæ præscribuntur, eis directe indulgentiæ valere non possunt.

Huc ergo redit concessio indulgentiæ pro defunctis ut, vi auctoritatis Ecclesiæ, fidelis vivus, qui pium opus præstat, cui annectitur, possit defunctis applicare remissionem pœnæ

---

[1] Nonnulli Protestantes ulterius progrediuntur, et ut certum asserunt absolutionem [illegible] peccatis pro pecunia vendi; in cujus probationem exhibent *Cancellariæ taxas*, quæ solvi debent quando absolutio a censuris exquiritur. Hic autem duo plane distincta confundunt, absolutionem *a peccatis* in foro interno, quæ nunquam pecunia comparari potest; et absolutionem *a censuris* in foro externo, pro qua quandoque eleemosyna exigitur sive ut solvantur *expensæ* ad litterarum absolutionis expeditionem, sive tanquam caritativa compensatio pro scandalis datis: quo casu pecunia sic collecta in pios [illegible] est eroganda. Quod præclare declarat **J. H. Newman**, *op. cit.*, p. 112-113.

[2] *Suppl.*, q. 71, a. 10. — [3] **D. B.**, 1542.

quam, lucrando indulgentiam, acquirit. Quænam autem sit realis efficacia indulgentiæ defunctis applicatæ, solus Deus novit in quovis casu particulari. Explicatio a *S. Congregatione Indulgentiarum* probata de Indulgentia altaris privilegiati valet de omni indulgentia plenaria defunctis applicabili : " Si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, animam statim liberat ab omnibus Purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet ".

619. (**b**) *Indulgentiæ vim habent non solum coram Ecclesia, ad tollendas pœnas canonicas, sed etiam coram Deo ad remittendas pœnas temporales peccatis debitas.* Certum est ex damnatione contrariæ sententiæ quam propugnaverat Syn. *Pistoriensis* [1]. Nam, ut recte animadvertit *S. Thomas* [2], adversariorum opinio est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est ut quod in terra remitteret, in cælo remitteretur. Unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias concedens magis damnificaret quam adjuvaret, cum in purgatorio pœnæ essent tolerandæ quas in terra remitteret.

§ II. De auctoritate indulgentias concedente.

620. 1° *Principium.* **Ad concedendas indulgentias requiritur potestas jurisdictionis in foro interno, cum auctoritate super thesaurum Ecclesiæ, et rationabili causa.** Dicitur : —

(**a**) *Potestas jurisdictionis*, quia hic agitur de actu *judiciali*, non autem de collatione sacramenti; (**b**) in *foro interno*, quia temporalis pœna remittitur non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo; (**c**) cum *auctoritate super thesaurum Ecclesiæ*, quia indulgentia non est solum absolutio, sed etiam *solutio* alicujus debiti, ope satisfactionum quæ in thesauro Ecclesiæ continentur; (**d**) et *rationabili causa*, et quidem ad *validitatem*, ut omnes fatentur; nam Superiores ecclesiastici

[1] D. B., 1540. — [2] *Suppl.*, q. 25, a. 1.

non sunt nisi *administratores* thesauri Ecclesiæ, nec proinde eum distribuere valent, nisi justa accedente causa, et absque præjudicio juris quod Deus habet aliquam a peccatoribus exigendi pœnam. Quia vero ab œconomo non requiritur nisi ut operetur juxta prudentiæ regulas, illa causa sufficiens erit quæ a Superioribus justa et proportionata videbitur.

Justa causa esse potest promovere quarumdam precum recitationem vel piorum operum adimpletionem, indulgentias concedendo, quo frequentius ac ferventius preces fundantur vel opera perficiantur; vel quædam publica utilitas, aut gratitudo erga eos qui ad bonum Ecclesiæ laboraverunt; uno verbo, quidquid bonum animarum aut Ecclesiæ extensionem promovere potest.

621. 2° **Corollarium.** Indulgentias concedere possunt :

(**A**) *S. Pontifex*, qui supremam auctoritatem habet super thesaurum Ecclesiæ, ac indulgentias concedere potest fidelibus totius orbis catholici, plenarias et partiales, pro vivis et defunctis. Indulgentiæ autem omnes a Romano Pontifice concessæ, nisi aliud constet, applicabiles sunt degentibus in Purgatorio (can. 930). Eas pariter largiri potest modo sibi bene viso, vivæ vocis oraculo [1] vel scripto, immediate vel mediate per organum alicujus Congregationis. Facultates olim hac de re *S. Indulgentiarum Congregationi* concessæ, hodie ad *S. Pœnitentariam* [2] spectant.

"Præter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiæ thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate *ordinaria* indulgentias elargiri, quibus id expresse a jure concessum est" [3].

622. (**B**) Superiores ecclesiastici, Papæ inferiores, indulgentias *defunctis applicabiles* concedere nequeunt [4]; — nec crucibus, numismatibus, etc. a Sede Apostolica vel ab alio benedictis, vel actibus vel sodalitio [5] quibus indulgentiæ jam

---

[1] "Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub pœna nullitatis gratiæ obtentæ, authentica exemplaria earumdem concessionum ad S. Pœnitentiariam deferendi". (*Codex*, c. 920.)

[2] Salvo jure *S. Officii* "videndi ea quæ doctrinam dogmaticam circa indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt". *Codex*, c. 258, § 2.

[3] *Codex*, c. 912. — [4] *Codex*, c. 913, n. 2. — [5] *Codex*, c. 913, n. 3.

annexæ sunt, alias indulgentias adjungere, nisi novæ conditiones imponantur; — nec eumdem pietatis actum in partes dividere, et singulis partibus concedere omnes indulgentias quas largiri possunt; — nec facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum [1]. Insuper normas servare debent quas ipse R. Pontifex in concedendis indulgentiis sequitur. Quibus positis : —

(a) *Cardinales* " facultate gaudent concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suæ jurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a præsentibus solummodo singulis vicibus lucrandas " [2].

(b) *Episcopi* residentiales, a capta possessione habent jus concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suæ jurisdictionis locis [3]. Cum consecratur ecclesia vel altare, Episcopus Consecrator, licet jurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die, in die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si E. R. Cardinalis [4]. — Insuper *Benedictionem papalem*, cum indulgentia plenaria, impertiri possunt Episcopi in sua quisque diœcesi die solemni Paschatis et alio festo die solemni ab ipsis designando [5].

(c) *Archiepiscopi* in sua diœcesi et in sua provincia centum dierum indulgentiam concedere valent [6].

§ III. De indulgentiarum subjecto.

Dicemus : 1° de iis quibus indulgentiæ concedi possunt, 2° de conditionibus ad indulgentias lucrandas.

623. 1° **Indulgentiæ concedi nequeunt** nisi iis qui sunt :

(a) *Baptizati*, quia potestas Ecclesiæ non exercetur in eos qui foris sunt; (b) *non excommunicati* [7], cum omnes ab ea separati eo

---

[1] *Codex*, c. 913, n. 1. — [2] *Codex*, c. 239, § 1, n. 24.

[3] *Codex*, c. 349, § 2, n. 2. — [4] *Codex*, c. 1166. — [5] *Codex*, c. 914.

[6] *Codex*, c. 274, n. 1. Quoad Vicarios et Præfectos apostolicos, Prælatos vel Abbates *nullius*, Administratores apost. cfr. can. 294, § 2, 323, § 2, 314-315.

[7] *Codex*, c. 925, § 1.

ipso priventur bonis quæ ad communionem Sanctorum spectant; (c) *subditi concedentis*, etiam extra territorium, cum indulgentia sit actus jurisdictionis; lege autem statutum est peregrinos lucrari posse indulgentias locales; idem dicendum de Regularibus, etiam exemptis, qui in favorabilibus ab episcopali jurisdictione non excluduntur [1]; (d) *capaces peccandi*, cum remitti nequeat pœna peccato debita, quando nullum peccatum commissum est; incapaces sunt igitur pueri ante usum rationis et perpetuo amentes.

624. 2° **Conditiones necessariæ** ad indulgentias lucrandas : —

(**A**) *Status gratiæ* [2], eo temporis momento quo indulgentia est lucranda, nempe generatim eo instanti quo ultimum opus præscriptum peragitur : nam pœna temporalis remitti nequit nondum remissa culpa et pœna æterna. (*Codex*, c. 925).

Quod quidem certum est quoad indulgentias pro *vivis;* controvertitur autem quoad indulgentias pro *defunctis*, et *S. C. Indulg.* hac de re interrogata, respondit [3] : "Consulat probatos auctores". Jamvero *Suarez* [4] tenet statum gratiæ non requiri; nam lucrans indulgentiam pro defunctis, non sibi, sed alteri hunc effectum obtinet : ad quod sufficit executio operis præscripti; *Lugo* autem cum aliis probabilius affirmat [5], quia defunctus indulgentiam non acquirit, nisi quatenus aliquis vivens eam lucratur et defuncto applicat; porro eamdem lucrari nequit vivus, nisi sit in statu gratiæ. — Exceptio tamen admitti potest pro indulgentia *altaris privilegiati*, quæ defunctis applicatur a sacerdote, non ut persona privata, sed quatenus Ecclesiam repræsentat.

Insuper, si agitur de indulgentia *plenaria totaliter* lucranda, requiritur detestatio omnium peccatorum venialium, cum pœna peccato etiam veniali debita remitti nequeat, nisi prius ipsa culpa dimittatur. Attamen, si non totaliter obtineatur plenaria indulgentia, propter affectum ad aliquot venialia, partialiter acquiri potest, quatenus remittitur pœna eorum peccatorum de quibus contritio habetur [6].

625. (**B**) *Intentio indulgentias lucrandi, non* quidem *specialis*, qua quis intendat specifice hanc vel illam indulgentiam lucrari; sed *generalis*, qua quis velit omnes acquirere indulgentias quas potest, etiamsi nesciat utrum tali vel tali

---

[1] *Codex*, c. 927. — [2] *Codex*, c. 925, § 1.
[3] *Decret. authent.*, n. 341, 22 febr. 1847.
[4] **Suarez**, disp. LIII, sect. 4, n. 5-6.
[5] **Lugo**, disp. XXVII, n. 75. — [6] *Codex*, can. 926.

operi adnectantur [1]. Nec requiritur *actualis*, sed sufficit *virtualis* intentio, imo probabilius *habitualis*, ea scilicet quæ fuerit semel elicita et non retractata. Non tamen sufficit *interpretativa*, quæ revera non existit, quidquid pauci in contrarium dixerint [2]; nam libri de Indulgentiis cum speciali S. Sedis approbatione editi veram intentionem requirunt [3]. — Imo optimum est consilium renovare quotidie intentionem lucrandi omnes et singulas indulgentias quæ in decursu diei acquiri possunt, quo promptius ac ferventius peragantur opera quibus indulgentiæ adnectuntur.

626. (C) *Adimpletio operum præscriptorum;* hæc enim est conditio sub qua indulgentiæ conceduntur, ita ut, non adimpleta conditione, non obtineatur effectus. Unde hic neque ignorantia, neque impotentia, neque bona fides excusat : agitur enim de beneficio obtinendo, ad quod nullum jus habetur; nulla igitur fit injuria, si, deficiente conditione, non conceditur indulgentia. (*Codex*, c. 925).

Attamen si exigua tantum pars injuncti operis omittitur, v. g., unum *Pater* et *Ave* in recitatione rosarii, acquiritur indulgentia, quia in re morali parum pro nihilo reputatur. — Insuper, accedente Confessarii consensu, quædam alia opera substitui possunt pro operibus præscriptis, quando hæc moraliter adimpleri nequeunt [4].

627. Opera præscripta perfici debent juxta *modum* et *circumstantias* a Superiore determinatas.

(a) Ad *modum* quod spectat, opera implenda sunt *personaliter*, i. e., ab ipsa persona quæ indulgentiam lucrari intendit, excepta eleemosyna, quæ per alium dari potest, dummodo quis det de suis bonis; — *actu moraliter bono*, quia Deus evidenter placari nequit actu peccaminoso; non prodesset igitur actus unice ad malum finem intentus; sed, si operi de se bono aliquod misceretur veniale peccatum, puta vanæ gloriæ, indulgentia posset nihilominus obtineri; — *opere non alias stricte obligatorio*, nisi constet de contraria intentione concedentis; non possumus enim regulariter una actione satisfacere duabus obligationibus, quarum singulæ singulas actiones postulant; ita qui ad horas canonicas tenentur non possunt per eas satisfacere precibus ad lucrandam plenariam indulgentiam præscriptis [5]; sed communio paschalis sufficit ad satisfaciendum præcepto

[1] *Codex*, c. 925, § 2. — [2] **Baller. P.**, n. 27.
[3] Cfr. *Raccolta*, Introduct., p. VII-VIII. — [4] *Codex*, can. 935.
[5] Ita *S. C. Indulg.*, 29 maii 1841, *Decret. authent.*, n. 291, ad 2.

annuæ communionis et ad lucrandam indulgentiam benedictionis papalis [1]; pariter, ex recenti decreto, 14 jun. 1901, pænitens, preces aliaque opera explens a confessario pro pænitentia imposita, indulgentiis ditata, potest simul et pænitentiæ satisfacere et indulgentias lucrari [2].

"Sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiæ annexæ sint, non possunt plures acquiri indulgentiæ, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit" [3].

(b) Quoad *circumstantias*, opera perfici debent loco et tempore præfinitis, ex *Codicis* can. 925. Hic solum exponemus modum computandi tempus, juxta decisiones *S. Indulg. Congr.* — Communiter indulgentiæ diei naturali affixæ sunt; jamvero dies *naturalis* computatur a media nocte ad mediam noctem; unde, nisi aliud expresse dicatur, indulgentias tali diei affixas, lucrari possumus a media nocte [4].

628. (D) Inter varia opera præscripta, præcipua sunt *confessio*, *communio*, *visitatio ecclesiæ*, certæ *preces*, de quibus pauca adnotabimus.

(a) *Confessio*, quando requiritur, peragi debet etiam ab iis qui sunt in statu gratiæ; *sacramentalis* esse debet, seu in ordine ad absolutionem, quamvis necesse non sit absolutionem recipere. — Si plures indulgentiæ eadem die lucrandæ confessionem requirant, unica confessio ad omnes acquirendas sufficit. Imo, "Christi fideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad pænitentiæ sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiæ et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quæ ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive jubilæi ordinarii et extraordinarii sive ad instar jubilæi" [5].

Præterea "ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate præcedunt diem cui indulgentia fuit affixa", aut "etiam intra subsequentem totam octavam" [6].

(b) Communio suscipi potest in pervigilio illius diei cui annexa est indulgentia aut "etiam intra subsequentem totam octavam" [7].

---

[1] *Decreta authent.*, n. 288, 19 mart. 1841; et n. 327, 10 maii 1844.
[2] *Acta S. Sedis*, XXXIV, p. 125-126. Cf. *Codex*, c. 932.
[3] *Codex*, c. 933.
[4] *Decreta authent.*, n. 434, 18 jan. 1878.
[5] *Codex*, c. 931, § 3. — [6] *Codex*, c. 931, § 1. — [7] *Ibid.*

(c) *Visitatio ecclesiæ* pro quibusdam indulgentiis præscribitur. Si injungitur visitatio alicujus determinatæ ecclesiæ, v. g., *parochialis*, hæc utique visitari debet, nisi legitima facta fuerit commutatio; secus, visitatio fieri potest in quacumque ecclesia aut oratorio *publico*, et *quidem* "a meridie diei præcedentis, usque ad mediam noctem quæ statutum diem claudit" [1].

Insuper, "fideles utriusque sexus, qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa, in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, necnon personæ omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes [2], quoties præscribitur visitatio alicujus ecclesiæ non determinatæ vel indeterminati alicujus publici oratorii, visitare queunt propriæ domus sacellum, in quo obligationi audiendi Sacrum jure satisfacere possunt" [3].

(d) *Preces recitandæ* generatim præscribuntur. Tunc, non sufficit oratio mentalis, sed *vocalis* requiritur quæ, si non determinatur, cujusvis arbitrio relinquitur (c. 934). "Clausulæ *precandi ad mentem Summi Pontificis* plane satisfieri adjiciendo ceteris operibus præscriptis recitationem ad eam mentem *unius Pater*, *Ave* et *Gloria*" (*S. Pæn.*, 20 sept. 1933).

Si tamen agitur de indulgentiis Portiunculæ et de indulgentiis plenariis quas vocant "toties quoties" pro quibus lucrandis requiritur alicujus ecclesiæ visitatio, necesse est (et sufficit) recitare sex *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* in singulis visitationibus [4].

"Si peculiaris oratio assignata fuerit, indulgentiæ acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitatur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel S. Pænitentiariæ vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio; sed indulgentiæ penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem (quæ substantiam ejus alterat, *S. Pæn.*, 26 nov. 1934). Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur" [5].

(e) "Pia opera ad lucrandas indulgentias injuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem præstare nequeunt" [6].

N. B. *Surdi-muti* et *muti* indulgentias, pro quibus vocalis oratio desideratur, lucrari possunt : si, quando agitur de publicis preci-

---

[1] *Codex*, c. 923. "Per *visitationem* ecclesiæ intelligi accessum ad illam saltem cum generali seu implicita intentione honorandi Deum in se vel in sanctis suis, aliqua adhibita prece : et quidem prece præscripta si aliqua imposita fuit ab indulgentiæ largitore, vel aliqua qualibet sive orali sive etiam mentali pro cujusque pietate ac devotione". *S. Pæn.*, 20 sept. 1933.

[2] Cf. *S. O.*, 24 jun. 1909. *A. A. S.*, I, 210. — [3] *Codex*, c. 929.

[4] *S. Pæn.*, 13 jan. et 5 jul. 1930. — [5] *Codex*, c. 934, § 2. — [6] *Codex*, c. 935.

bus, "una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantum modo oculis percurrant"[1].

§ IV. De suspensione, translatione et cessatione Indulgentiarum.

629. 1° De Suspensione. Indulgentiæ duplici modo suspendi possunt : (a) *ex ipsa natura rei*, quando ad tempus cessat una ex essentialibus conditionibus ad eas lucrandas requisitis, v. g., quando stationes Viæ crucis removentur ut iterum ibidem collocentur; (b) *extrinsece*, seu ex voluntate concedentis, cujus exemplum habetur tempore Jubilæi, quando fere omnes aliæ indulgentiæ suspenduntur, ex infra dicendis.

630. 2° De Translatione. Dupliciter fieri potest quoad *locum* et *tempus*.

(a) Quoad *locum*, transfertur indulgentia localis, quando competens Superior jubet eam non amplius lucrifieri in loco cui adnexa erat, sed in alio determinato; quod præsertim fit quando communitas, quæ priorem locum detinebat, ad alium migrat.

(b) Quoad *tempus*, quando indulgentia pro aliquo tempore concessa ad aliud transfertur; quod præsertim locum habet in indulgentiis pro aliquo festo concessis. Jamvero indulgentia alicui festo adnexa transfertur quoties transfertur *solemnitas externa*, quamvis non transferantur officium et missa; si vero agitur de festis quæ sine solemnitate peragi solent, translato festo *in perpetuum*, transfertur indulgentia; translato autem festo *per accidens*, indulgentia manet diei affixa etiam ob occursum feriæ VI in Parasceven[2]. — Non potest tamen bis talis indulgentia acquiri; v. g., Romæ ipso die festi (8 dec.) et Parisiis die ad quam transfertur solemnitas.

631. 3° De Cessatione. Indulgentiæ cessare possunt : —

(a) *Per mortem concedentis*, si id in ipsa concessione expressum fuerit sive explicite, sive implicite, v. g., si adjecta fuerit clausula *ad beneplacitum meum* vel alia similis, non autem *ad beneplacitum Sedis*, quia Sedes non moritur.

(b) *Per revocationem* competentis Superioris sufficienter promulgatam.

---

[1] *Codex*, c. 936. — Indulgentias pro quibus lucrandis recitatio precum cum aliquo corporis actu injungitur, quem mutilati peragere impares sunt, isti lucrari valent fusis dumtaxat precibus. *S. Pæn.*, 22 oct. 1917.

[2] *Codex*, can. 922; *S. Pænitentiaria*, 18 febr. 1921. (*A. A. S.*, XIII, 164).

(c) *Per mortem personæ*, vel *extinctionem legitimam Collegii*, quibus concessæ fuerant; si vero *illegitime* aliquod Collegium suppressum fuerit, ac postea reviviscat, indulgentiæ pariter reviviscunt.

(d) *Per destructionem loci vel rerum*, quibus indulgentiæ adnectebantur, si *totalis* sit physice et moraliter; non autem si res in communi æstimatione, licet physice renovata, eadem moraliter remaneat. Hinc non amittuntur, si res per successivas reparationes etiam totaliter renovatur, imo si destruitur altare, ita tamen ut novum in eodem loco et sub eodem titulo ædificetur[1].

(e) Gratuita *translatione dominii* rei mobilis, v. g., rosarii, cui adnexa est indulgentia, jam non cessat indulgentia; abrogatum enim est a S. Pænitentiaria (18 febr. 1921) decretum *Alexandri VII* vetantis illam translationem; amittitur vero per *venditionem*[2].

Art. II. De Indulgentia Jubilæi[3].

632. Initio sæculi XIV, Jubilæum institutum vel confirmatum est a *Bonifacio VIII*, qui plenariam indulgentiam aliosque spirituales favores concessit pro anno 1300, et quolibet sequenti centesimo anno; postea *Clemens VI* decrevit ut Jubilæum celebraretur quolibet quinquagesimo anno, incipiendo a 1350; tandem *Paulus II* voluit ut locum haberet quolibet vigesimo quinto anno, incipiendo a 1475.

Divisio
- De notione et speciebus Jubilæi;
- De operibus exsequendis ad Jubilæum;
- De facultate eligendi confessarium;
- De suspensione gratiarum tempore Jubilæi.

I. De notione et speciebus Jubilæi.

633. 1° **Notio.** Jubilæum nihil aliud est nisi indulgentia plenaria variis privilegiis a Romano Pontifice cumulata. Differt igitur ab indulgentia plenaria *accidentaliter* tantum, videlicet ratione solemnitatis ac privilegiorum quæ ei adnectuntur.

---

[1] *Decret. authent.*, n. 317, 24 apr. 1843. — [2] *Codex*, c. 924, § 2.

[3] Præter opera jam citata de Indulgentiis in genere, cfr. **Navarrus**, *Comment. de Jubilæo*, Romæ, 1575; **Viva**, *de Jubilæo*, Patavii, 1709; **P. Bastien**, O. S. B., *Tr. de Jubilæo*, Bruxellis, 1901; **H. Thurston**, S. J., *The Holy Year of Jubilee*, St Louis, 1900; **Fanfani**, *De Jubilæo seu anno sancto*, Romæ, 1925; **F. Cimetier**, *Le Jubilé de 1925*, Paris, 1925.

634. 2° **Species.** Duplex est Jubilæum, ordinarium et extraordinarium.

(a) Prius, quod majus etiam vocatur, aut Jubilæum simpliciter, est illud quod recurrit quolibet vigesimo quinto anno. Generatim prius Romæ celebratur per integrum annum, qui annus sanctus dicitur; deinde sequenti anno ad universum orbem extenditur per tempus brevius, communiter per sex menses. Romæ, incipit a primis vesperis Nativitatis Domini, quæ præcedunt annum 25um, 50um, 75um, et 100um cujusque sæculi, et concluditur primis vesperis Nativitatis sequentis anni.

(b) Posterius, seu *extraordinarium*, quod etiam *minus* dicitur, illud est quod R. Pontifex, pro arbitrio suo, concedit ad aliquod tempus, propter gravem causam. Ita communiter quisque novus Pontifex Jubilæum largitur post suam exaltationem, et insuper in majoribus Ecclesiæ necessitatibus aut solemnitatibus. Hoc Jubilæum simul Romæ et per universum orbem celebrari solet.

(c) Præter hoc utrumque Jubilæum, quod *universale* est, utpote omnibus Fidelibus concessum, datur quandoque Jubilæum *particulare*, quod alicui provinciæ vel loco conceditur, quale est Jubilæum Aniciensi ecclesiæ concessum, quoties festum Annuntiationis in diem Parasceves incidit.

(d) Aliquando etiam dantur indulgentiæ plenariæ *in forma* vel *ad instar* Jubilæi, ad aliquem locum magis decorandum, fideliumque pietatem magis excitandam : quæ quidem non differunt ab ordinariis indulgentiis nisi ratione solemnitatis.

Hic notandum est regulas in Jubilæo, sive ordinario sive extraordinario servandas, traditas esse *a Benedicto XIV*[1], easque etiam hodie servandas esse in omnibus quibus non adversatur specialis Bulla pro quolibet Jubilæo edita[2].

II. De operibus exsequendis ad Jubilæum lucrandum.

635. Ad Jubilæum lucrandum varia præscribuntur opera, videlicet pro *ordinario : confessio et communio*, necnon *visi-*

[1] Bulla *Peregrinantes*, 5 maii 1749, qua Jubilæum indicitur; Bulla *Cum nos super*, 17 mai 1749, ubi indulgentiæ et facultates suspenduntur; Bulla *Convocatis*, 25 nov. 1749, qua Pænitentiariis Urbis facultates conceduntur; Bulla *Inter præteritas*, 3 dec. 1749, de quæstionibus et controversiis circa opera injuncta; Bulla *Paterna caritas*, 17 dec. 1749, qua Monialibus, Oblatis, etc. providetur; Bulla *Benedictus Deus*, 25 dec. 1750, qua Jubilæum extenditur ad universum orbem; Bulla *Celebrationem*, 1 jan. 1751, de Jubilæi extensione.

[2] *Decret. authent.*, n. 353, 15 mart. 1852.

tationes ecclesiarum, et *preces* ad mentem S. Pontificis; pro *extraordinario :* insuper *jejunium* et *eleemosyna.* — In his exsequendis nullus requiritur ordo, dummodo ultimum opus in statu gratiæ peragatur. Sed regula generalis est non sufficere opera aliunde jam debita [1].

Neque necesse est ut omnia *eadem hebdomada* perficiantur, etiam pro extraordinario Jubilæo [2]; neque in uno *eodemque loco*, ita ut confessio fieri possit in uno et communio in altero, dummodo serventur speciales regulæ ab Episcopo illius loci statutæ [3].

636. 1° De confessione et communione. (a) Exclusa speciali concessione, non potest quis satisfacere præcepto paschali et Jubilæum lucrari unica confessione et communione [4]. Attamen, relate ad confessionem, potest quis prius confiteri ad lucrandum Jubilæum; et si postea, infra annum, nullum mortale peccatum admiserit, non tenebitur confiteri, cum lex annuæ confessionis non obliget nisi eos qui gravis peccati conscii sunt (n. 163). Neque *absolutio* requiritur, si quis in statu gratiæ versetur, nisi expresse in Bulla dicatur, ut an. 1851, "peccata confessi et *sacramentali absolutione expiati*".

(b) Confessio ac communio fieri debent tempore Jubilæi, non autem in vigilia, nisi a primis vesperis, quando jam Romæ inchoari solet.

(c) Qui, post peractam confessionem, in mortale incidit antequam ultimum opus perfecerit, confessionem iterare debet, si sacram communionem debet adhuc suscipere; secus, satis erit ut, actu contritionis perfectæ elicito, cum Deo reconcilietur [5].

637. 2° De ecclesiarum visitatione. Quænam ecclesiæ et quoties sint visitandæ S. Pontifex designat in Urbe, et Ordinarius cujuslibet diœcesis, extra Urbem.

(A) Ita pro anno 1925, *Pius XI* præscripsit [6] ut quatuor basilicæ Beatorum *Petri* et *Pauli*, *S. Joannis Lateranensis* et *S. Mariæ Majoris* visitarentur semel saltem in die per viginti continuos aut interpositos dies, sive naturales sive ecclesiacticos, ab *incolis* Romæ

---

[1] Bulla *Inter præteritos*, n. 53.

[2] *S. Pænitent.*, 16 mart. 1865, *Acta S. Sedis*, I, p. 176.

[3] *S. Pænitent.*, 15 jan. 1886.

[4] Const. *Si unquam* Pii XI, 15 jul. 1924, n. XIII. "Qui tamen paschale præceptum misere neglexerit, ... is deinde (potest) una communione utique obligationi satisfacere".

[5] *Monita S. Pænit.*, 31 jul. 1924, n. XIII.

[6] Bulla *Infinita Dei misericordia*, 29 maii 1924, *A. A. S.*, 1924, 2 junii.

degentibus; per decem saltem dies a *peregrinis*. Si vero in Urbe degentes, vel in ipso itinere morbo aliave legitima causa prohibeantur ne quasdam vel omnes visitationes faciant, possunt tamen Jubilæum lucrari, alia opera perficiendo a confessariis injuncta.

(B) *Extra Urbem*, (a) Ordinarii determinant, juxta Bullam *Pontificis*, quot ecclesiæ et quoties visitandæ sint. In locis ubi una est ecclesia, concedere possunt ut omnes visitationes præscriptæ in hac ecclesia fiant; quæ potestas ipsis data est anno 1852 modo *generali* [1], ita ut ea gaudeant, etiamsi Bulla Jubilæi hac de re taceat. Possunt etiam designare oratorium publicum, si missa in eo habitualiter celebretur [2].

(b) Si eadem ecclesia pluries visitari debeat, id fieri potest eodem die vel distinctis diebus, nisi in Bulla Jubilæi aliter definiatur. Visitationes autem in eadem ecclesia factæ ita ab invicem distinguendæ sunt, ut singulis vicibus ab ecclesia egredi necesse sit ut nova visitatio fieri valeat.

(c) Regulares Jubilæum lucrari nequeunt visitationes præscriptas peragendo in propria ecclesia, nisi speciale privilegium a R. Pontifice obtinuerint [3]. Si vero legitime impediantur quominus ecclesias ab Ordinario designatas visitent, singuli a suo confessario commutationem obtinere valent.

(d) Sæpe etiam minuitur visitationum numerus *processiones* instituendo, de licentia Ordinarii, ex speciali privilegio a S. Sede concesso. Fideles, extra januas ecclesiæ aut oratorii, ob illius angustiam remanentes, et cum aliis orantes, unum corpus moraliter efformant, ac proinde visitationi pro lucrando Jubilæo satisfaciunt, dummodo tamen ecclesiam ingrediantur omnes qui in ea contineri possunt. Pariter, si propter legitimam rationem, processiones fiant vestimentis haud choralibus, sine cruce, psallendo voce submissa, aut etiam sine ullo cantu, id validum est [4].

638. 3° **Preces** etiam præscribuntur ad mentem R. Pontificis, v. g., quinque *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri*. Quæ preces in ipsis visitationibus laudabiliter fiunt, sed ab eisdem sejungi possunt [5].

639. 4° **De jejunio.** (a) In Jubilæis extraordinariis præscribi solet jejunium trium dierum; quod abstinentiam a carne importat. Olim præcipiebatur abstinentia ab ovis et lacticiniis, præsertim si

---

[1] *Decret. authent.*, n. 353, 15 mart. 1852.

[2] *S. Pænitent.*, 15 jan. 1886, ap. *Act. S. Sedis*, XVIII, p. 334.

[3] *S. Pænitent.*, 1875, *Act. S. Sedis*, VIII, p. 554.

[4] *S. Pænitent.*, *Act. S. Sedis*, VIII, p. 554; t. XXXIV, p. 638; t. XXXV, p. 43.

[5] *Monita S. Pænitentiariæ*, 31 jul. 1924, n. XVI, *A. A. S.* 1924, p. 343.

pro tempore Quadragesimæ præcipiebatur, quoties videlicet in Bulla dicebatur "*esurialibus cibis* utentes"[1]. Sedulo itaque legendus est textus Bullæ.

(b) Jejunium illud distinctum esse debet a jejunio jam ab Ecclesia statuto, nisi aliter in Bulla declaretur explicite vel implicite.

(c) Sæpe tria jejunia in eadem hebdomade peragenda injunguntur, feria quarta, sexta et sabbato; sed si nulla dies assignatur, quocumque tempore fieri possunt, extra dies jejunii de præcepto.

(d) Jejunium hujusmodi servari debet etiam ab iis qui alias a lege jejunii excusantur; sed si jejunare non valeant, confessarius hoc opus in aliud commutare potest[2].

640. 5° **De eleemosyna.** (a) Si præscribitur "*pro cujusque arbitrio vel devotione*", quælibet donatio satis erit, dummodo tam parva non sit ut pro nihilo reputetur; si vero "*pro cujusque facultatibus*", necesse est ut aliqua sit proportio inter eleemosynam et personæ fortunam; unde *obolus* sufficiet quidem pro paupere, sed non pro divite; imo pauperes commutationem eleemosynæ in aliud opus obtinere possunt a confessario.

(b) Eleemosyna per alium fieri potest, v. g., per superiorem, si agitur de membris alicujus communitatis, aut patremfamilias, si de uxore vel liberis quæstio est, aut divitem nomine pauperis; dummodo tamen ipsis scientibus eleemosyna erogetur.

III. De facultate eligendi confessarium.

641. Christifidelibus vel religiosis conceditur sibi confessarium eligere a suo Ordinario approbatum, qui pro confessione ad lucrandum jubilæum instituta (non autem pro alia), absolvere eos possit ab omnibus censuris et peccatis etiam Apostolicæ Sedi speciali, non autem specialissimo modo, reservatis, excepto casu hæresis formalis et externæ.

Confessarius, quem *monialis* sibi elegerit, potestatem habet dispensandi ab omnibus votis post professionem sollemnem editis. Insuper omnes alii confessarii dispensare valent omnia vota privata quibus sorores in Congregatione votorum simplicium, oblatæ, tertiariæ, regulares et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis

[1] Cum in quibusdam regionibus valde difficile sit tale jejunium servare, Episcopi S. Sedem adire possunt, ut hoc mandatum emolliatur.

[2] *Decret. authent.*, n. 425, 10 jul. 1869, ad. 8.

votis exceptis quæ Apostolicæ Sedi sunt reservata; et, facta commutatione, a votorum etiam juratorum observantia absolvere valent.

Pontifex insuper Ordinarios hortatur ut præfatarum personarum confessariis concedant facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservantur.

N. B. Quoad *speciales facultates* quæ confessariis conceduntur, attente legantur Constitutiones pro quolibet Jubilæo editæ, cum facultates hujusmodi non sint omnino eædem pro singulis Jubilæis.

IV. De suspensione gratiarum tempore Jubilæi.

642. Hæc suspensio non obtinet nisi durante *anno sancto*, quando Jubilæum Romæ celebratur, non autem anno sequenti quando ad totum orbem extenditur; neque afficit ipsam Romam Urbem, sed ceteras orbis catholici partes. Revera ideo alibi suspenduntur quædam privilegia ut fideles ad Urbem alliciantur ibique Jubilæum lucrentur [1].

1° *Omnes indulgentiæ* tum plenariæ, tum partiales *a R. Pontifice concessæ*, — non autem a Prælato inferiore, — *suspenduntur*, exceptis sequentibus :

(a) indulgentiis *pro defunctis;* imo omnes aliæ indulgentiæ, quæ aliis temporibus a vivis tantum acquiri possunt, anno sancto *defunctis sunt applicabiles* et pro eis acquiri valent;

(b) indulgentia quæ lucranda est in articulo mortis;

(c) indulgentiis pro salutatione angelica (i. e. *Angelus Domini* vel *Regina cæli*) ad campanæ pulsum;

(d) indulgentia pro visitatione SS. Sacramenti per quadraginta horas expositi;

(e) indulgentiis concessis eis qui SS. Sacramentum comitantur, cum ad ægrotos defertur, vel cereum aut facem per alios deferendam ea occasione mittunt;

(f) indulgentia Portiunculæ Assisii lucranda; extra Assisium nonnisi pro defunctis acquiri potest;

(g) indulgentiis quas S. R. E. Cardinales, Nuntii, Archiepiscopi et Episcopi in usu pontificalium aut impertienda benedictione aliave usitata forma largiri solent.

---

[1] Cfr. **Benedict. XIV**, Bulla *Cum nos nuper;* **Pius XI**, *Ex quo primum*, 5 jul. 1924, *A. A. S.*, 1924, p. 305-308.

643. 2° *Facultates a S. Sede*, non autem ab Ordinariis, concessæ *suspenduntur*, videlicet : —

(a) Facultas absolvendi, extra casus urgentes, a casibus et censuris Papæ reservatis; (b) facultas dispensandi aut commutandi vota; (c) facultas dispensandi super irregularitatibus et *impedimentis* (quo nomine quidam intelligunt matrimonialia impedimenta, aliis tamen contradicentibus). — Sed, pro Jubilæo 1925, Pius XI declaravit suspensionem facultatum non extendi ad pænitentes illos, qui tempore confessionis, judicio Ordinarii vel confessarii, sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt; porro talis est casus plerorumque fidelium.

644. Ratæ autem firmæque manent : —

(a) Facultates dispensandi in jejunio et abstinentia, benedicendi rosaria, numismata, cruces, eisdemque papales indulgentias adnectendi; facultas dandi benedictionem papalem; aliæque non superius recensitæ; (b) facultates quovis modo concessæ a *Codice juris canonici*, exceptis facultatibus ex privilegio provenientibus per Codicem non revocato; (c) facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factæ, tum Ordinariis locorum et Antistitibus religiosorum Ordinum quoquo modo in subditos suos tributæ; (d) facultates vero quas S. Pænitentiaria Ordinariis aut confessariis pro foro interno impertiri solet, extra Urbem exerceri non possunt nisi erga eos qui, tempore confessionis, judicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Art. III. De Indulgentiis in specie.

Cum omnes indulgentias hic recensere impossibile sit, regulas trademus ad dignoscendas veras indulgentias ab apocryphis, et quasdam e præcipuis indulgentiis breviter exponemus, pro ceteris ad probatos auctores remittendo.

I. De Regulis ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis[1].

645. Hujusmodi regulæ, a *S. C. Indulgentiarum* confectæ, 3 aug. 1899, a *Leone XIII*, 10 aug. 1899, approbatæ sunt ac vim generalis legis obtinent.

[1] *A. S. S.*, XXXII, p. 241-249; *Ami du Clergé*, XXII, 1900, p. 292-298.

Regula I. Authenticæ sunt omnes indulgentiæ, quæ in novissima Collectione a S. Indulg. Congreg. edita continentur [1].

Reg. II. Indulgentiæ generales, quæ in supradicta Collectione nôn exhibentur, vel quæ concessæ feruntur, tunc solummodo habendæ erunt ut authenticæ, cum earum concessionis autographum monumentum recognitum fuerit a *S. Pænitentiaria* cui, sub nullitatis pœna, exhibendum erit antequam publicentur.

Reg. III. Authenticæ habeantur indulgentiæ concessæ Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitiis, Sodalitiis, piis Unionibus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Locis piis et Objectis devotionis, quæ continentur in Summariis recognitis et approbatis a *S. Pænitentiaria*, ejusque auctoritate vel venia typis editis [2].

Reg. IV. Non habeantur ut authenticæ indulgentiæ sive generales, sive particulares, quæ continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quæ approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem et distincte exprimenda [3].

Reg. V. Apocryphæ, vel nunc prorsus revocatæ, sunt omnes indulgentiæ mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessæ dicantur [4].

Reg. VI. Suspectæ habeantur indulgentiæ plenariæ quæ asseruntur concessæ recitantibus pauca dumtaxat verba, exceptis indulgentiis in articulo mortis.

Reg. VII. Rejiciendæ sunt ut apocryphæ indulgentiæ, quæ circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manus-

---

[1] Hæc collectio est *Raccolta di Orazioni e pie Opere...* Romæ, 1898. Recenter prodiit Supplementum authenticum hujus collectionis, scilicet : *Collectio precum piorumque operum quibus Romani Pontifices indulgentias adnexuerunt ab anno 1899 ad 1928*, Romæ, 1929.

[2] Præcipuum opus, in quo hæc authentica summaria continentur, edidit **J. Schneider**, S. J., *Rescripta authentica S. Cong. Indulg.... necnon Summaria Indulgentiarum*, Ratisbonæ, 1885; tanquam *authenticum* a S. Congregatione recognitum fuit 16 dec. 1882.

[3] Approbatio *distincte* exprimenda est, i. e., cum nomine approbantis, necnon loco et tempore approbationis. Auctoritas competens in hac materia est *Ordinarius* loci. " Requiritur vero expressa licentia *Sedis Apostolicæ* ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum, sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum " (*Codex*, can. 1388, § 2).

[4] Jam decreto 26 maii 1898 omnes illæ indulgentiæ, si quæ unquam fuere concessæ, revocatæ fuerant. *Acta S. Sedis*, XXXI, 127.

criptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur indulgentiæ et gratiæ usum et modum excedentes [1].

Reg. VIII. Ut commentitia rejicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio: et indulgentiæ quæ dictæ promissioni adjici solent ut apocryphæ habendæ sunt [2].

Reg. IX. Apocryphæ, vel saltem ut graviter suspectæ habeantur indulgentiæ recentioris assertæ concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur" [3].

Curent igitur Episcopi et pastores ne fideles, præsertim pii, in hac materia decipiantur et in superstitionem incidant, officia status negligendo, spe lucrandi extraordinaria privilegia, quæ revera nunquam concessa fuere.

II. De Indulgentia seu Benedictione in articulo mortis.

646. 1° Natura. Hoc nomine venit indulgentia plenaria quam R. Pontifex vel per se vel per delegatum moribundis impertitur; vocatur etiam *Benedictio Papalis*, quia sub forma benedictionis conceditur, nomine S. Pontificis.

Omnino distinguitur ab indulgentia plenaria quam lucrari possunt in articulo mortis, *absque ulla benedictione*, ii omnes qui aliquod objectum detinent cui adnexæ sunt indulgentiæ Apostolicæ, vel membra sunt Confraternitatis cui tale privilegium concessum est.

Insuper, ex concessione Pii PP. X, 9 mart. 1904, quilibet christianus potest sibi lucrari indulgentiam pro instanti suæ mortis,

---

[1] Ratio est quia S. Sedes indulgentias concedere non solet nisi ex piis et rationabilibus causis; si igitur ridicula vel superstitiosa inveniantur in libellis aut foliis, in quibus indulgentiæ recensentur, hæ tanquam apocryphæ haberi debent. Nonnulla ex illis foliolis jam reprobaverat *S. Cong. Indulg.* 26 maii 1898, *Acta S. Sedis*, XXXI, p. 727-744; alia jam præviis decretis damnata recenset *Ami du Clergé*, XXII, p. 296-297.

[2] Præteritis sæculis nonnulli Pontifices ea formula usi fuerant in indulgentiis concedendis, ut significarent his verbis dari indulgentiam plenariam defunctis applicabilem : sed hodie hic loquendi modus non amplius usurpatur, ne fideles decipiantur; nam, ut diximus supra (n. 559), nullus scit qua mensura indulgentiæ defunctis applicentur.

[3] Ecclesia indulgentias partiales certis quibusdam formulis concedere solet, v. g., 50, 100, 200 vel 300 dierum, aut unius anni, vel 3, 5, 7 annorum et totidem quadragenarum; si igitur formulæ inveniantur ab usitatis omnino alienæ, v. g., indulgentiæ 1080 dierum, ut apocryphæ rejici debent.

hanc orationem recitando : "Domine Deus meus, jam nunc, quodcumque mortis genus, prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, pœnis ac doloribus, de manu tua, æquo ac libenti animo suscipio".

Hic agimus tantum de illa indulgentia, quæ adnectitur *Benedictioni Papali* in articulo mortis.

Hæc acquiri potest in *vero*, non in præsumpto mortis articulo [1]; jamvero *verus* articulus mortis ille est quem revera sequitur mors, dum *præsumptus* verificatur cum infirmus peritorum judicio brevi moriturus creditur. Quamvis autem indulgentia non *acquiratur* nisi vero mortis articulo, concedi potest fidelibus in gravi mortis periculo constitutis [2], iis videlicet quibus viaticum dari potest; sed indulgentia *suspensa* manet usquedum in vero mortis articulo versentur, cum a R. Pontificibus eo fine concessa fuerit ut provideatur fidelibus eo præcise momento quo coram Supremo Judici comparituri sint.

Hinc iterari non debet in eadem infirmitate, quantumvis diuturna, cum id prorsus inutile esset; sed solum si infirmus convaluerit et postea in novum periculum mortis inciderit [3]. Nec licet eam iterare, etiamsi infirmus in statu peccati mortalis eam acceperit, vel, ea accepta, in peccatum veniale aut mortale relapsus sit [4]; eam tamen lucrabitur ægrotus, si in statu gratiæ moriatur; neque eam pluries dare licet ex pluribus titulis [5].

647. 2° Conditiones ad eam acquirendam. (A) *Ex parte concedentis.* Ex *Codice*, c. 468, § 2, "parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, *facultas est* eis concedendi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat". Ita deinceps non erit opus Indulto nec delegatione ad hanc benedictionem impertiendam.

648. (B) *Ex parte infirmi :* (a) ut non sit excommunicatus aut manifesto impænitens; concedi tamen potest iis

[1] *Decret. authent.*, n. 9, 23 apr. 1675.
[2] *S. C. Indulg.*, 18 dec. 1885, *Acta S. Sedis*, XVIII, p. 414.
[3] *Decret. authent.*, n. 263, 24 sept. 1838.
[4] *Decret. authent.*, n. 257, 20 jun. 1836, ad 7.
[5] *Decret. authent.*, n. 362, 12 mart. 1855.

qui etiam culpabiliter non receperunt sacramenta, si subito in periculum mortis incidunt, uno verbo iis omnibus, etiam sensibus destitutis, quibus absolutio sacramentalis dari potest; etiam pueris, qui peccare potuerunt; probabiliter etiam iis qui versantur in periculo mortis ex alia causa quam ex morbo, v. g., morte damnatis, militibus ante prælium.

(b) Ut, si possit, sacramenta Pænitentiæ et Eucharistiæ susceperit; si nequeat, sufficit status gratiæ, dum supremum edit suspirium.

(c) Ut sese paratum offerat ad acceptandum quidquid Deo placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando ipse promeruit; ita explicite in Bulla *Pia Mater*.

(d) Ut invocet *ore*, si possit, corde, si ore non possit, SS. Nomen Jesu, quando mentis est compos; et actum doloris ac caritatis eliciat.

649. 3° Ritus ad impertiendam hanc benedictionem [1].
(a) Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, ingrediendo cubiculum infirmi, dicat : *Pax huic domui*, etc.; deinde ægrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo *Asperges me*, etc., sine Psalmo *Miserere*. — Si benedictio statim post Viaticum et Ex. Unctionem datur, valde probabiliter verba *Pax huic domui* omitti possunt, quia jam ab initio dicta sunt; securius tamen præmittuntur, cum in formula a *Benedicto XIV* præscripta habeantur. Certum est autem *Confiteor* ante applicationem indulgentiæ repetendum esse, nisi mors instet [2].

Quando hujusmodi Benedictio pluribus simul infirmis impertitur, omnia dicuntur semel, singulari tantum numero in pluralem immutato [3].

(b) Si ægrotus voluerit confiteri, illum audiat et absolvat sacerdos; si confessionem non petat, excitet illum ad actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia eum admoneat, atque hortetur ut quidquid Deo placuerit libenter acceptare paratus sit, ac mortem ipsam patienter obire in satisfactionem pœnarum quas pec-

[1] Cf. *Rit. Rom.*, Tit. V, c. 6, Ritus Benedictionis apostol.
[2] *Decret. authent.*, n. 286, 5 febr. 1841, ad 5 et 6.
[3] *Rit. Rom.*, tit. V, c. 6, n. 8.

cando promeruit. Quod tamen prudenter et suaviter proponere debet, ne cognatorum et amicorum indignationem incurrat; quare si difficultates prævideantur, hæc exhortatio privatim fiat, v. g., in ipsa confessione.

(c) Deinde infirmum piis verbis consoletur, eumque in spem erigat, quo abundantius pœnarum remissionem obtineat. Tandem verba proferat in Rituali descripta : "Adjutorium... Clementissime Deus... Dominus noster... Per sacrosancta... Benedicat te..."

(d) Si vero infirmus sit adeo morti proximus ut omnium precum recitandarum tempus non suppetat, sufficit dicere : "Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen"[1].

III. De Indulgentia altaris privilegiati.

650. 1° Notio et species. (A) Hoc nomine intelligitur *indulgentia plenaria solis defunctis applicanda;* quæ, "si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, animam statim liberet ab omnibus Purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet"[2].

(B) Altare privilegiatum est *locale*, *personale* vel *mixtum : locale* determinato altari adnectitur, ita ut omnes in eo celebrantes hoc privilegio frui possint; *personale* ipsi sacerdoti conceditur, in quocumque altari celebranti; *mixtum* altari determinato adnectitur, ita tamen ut nonnisi determinati sacerdotes hoc privilegio uti possint, v. g., illi tantum qui talis Confraternitatis membra sunt. Die 2ª Nov. omnia altaria gaudent hoc privilegio, pro omnibus celebrantibus.

Jam non conceditur altare privilegiatum *ad instar altaris S. Gregorii*, seu *Gregorianum ad instar*[3].

651. 2° Conditiones ad lucrandam indulgentiam. (A) *Generales :* (a) Missa "*Requiem*" non requiritur etiam quando eam permittunt Rubricæ[4].

(b) Indulgentia applicari debet ei pro quo missa celebratur, quia, quamvis per se non repugnet missam uni et indulgentiam alteri applicari, de facto R. Pontifex vult eam non suffragari nisi

---

[1] Beringer, I, p. 515.
[2] *S. C. Indulg.*, Decret. authent., n. 283, 28 jul. 1840. Cf. *Codex*, c. 916.
[3] *S. O.*, 12 dec. 1912, *A. A. S.*, V, 33.
[4] *S. O.*, 20 feb. 1913.

animæ pro qua missa offertur [1]. Stipendium majus pro missa cum illo privilegio exigi nequit (can. 918, § 2).

(c) Si missa pluribus applicatur, privilegium Altaris uni tantum ex eis tribui potest. Ita, v. g., in die Commemorationis omnium defunctorum, qua omnia altaria sunt privilegiata, sacerdos missam pro uno vel pluribus defunctis celebrare potest, sed uni tantum ex illis indulgentiam applicare. Cf. *S. Pen.*, 6 juil. 1917.

(**B**) *Speciales.* N. B. "Episcopi, Abbates vel Prælati *nullius*, Vicarii ac Præfecti Apostolici et Superiores majores religionis clericalis exemptæ, possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, parœcialibus, quasi-parœcialibus..." (*Codex*, c. 916).

(**a**) Pro *privilegio Altaris locali;* altare debet esse fixum, sed ad hoc sufficit "ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur" [2]; privilegium tamen *altari* conceditur, *non lapidi*, ita ut hic mutari possit. — In antiquioribus concessionibus limitabatur privilegium ad dies quibus dici poterat missa defunctorum; sed hæc restrictio sublata est.

(**b**) Pro *privilegio Altaris personali;* qui illud obtinuit non tenetur idem exhibere Ordinario, nisi aliter in ipsa concessione declaratum sit. — Qui hoc utitur privilegio satisfacit oneri suscepto celebrandi in altari privilegiato.

IV. De Indulgentiis Viæ Crucis [3].

652. 1° **Notio.** Via crucis est pium exercitium quo contemplanda proponitur Dominica Passio in variis stationibus quæ percurruntur, a prætorio ad Calvariæ locum, juxta stationes Viæ Crucis in Jerusalem.

Quæ et quot reapse essent indulgentiæ huic exercitio annexæ, pro certo affirmare non licebat; sed Pius XI, abrogatis indulgentiis antea concessis, decrevit ut "fideles omnes qui, sive singulatim, sive in comitatu, saltem corde contrito, pium exercitium Viæ Crucis *legitime erectæ*, *ad præscripta Sanctæ Sedis*, peregerint, lucrari valeant : **a**) indulgentiam plenariam toties quoties ipsum pium exercitium compleverint; **b**) aliam plenariam pariter indulgentiam si eodem die quo memoratum pium exercitium peregerunt, vel etiam si infra mensem ab eodem decies peracto ad sacram synaxim accesserint; **c**) indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum pro singulis stationibus, si forte incœptum exercitium, quavis rationabili causa, ad finem non perduxerint" [4].

---

[1] Intentio etiam virtualis nec in Sacerdote nec in offerente stipendium requiritur ad lucrandum hanc indulgentiam. (*S. O.*, 17 jun. 1915.) — [2] *S. C. Ind.*, 26 mart. 1867. — [3] Cfr. *Instructio de Stationibus S. Viæ Crucis* erigendis visitandisque, Quaracchi, 1888; **Putzer**, *Comment. in Fac. Apostol.*, n. 205-210.

[4] *S. Pœn.*, 20 oct. 1931.

653. 2° Conditiones ad lucrandas indulgentias. Aliæ ad *canonicam stationum erectionem*, aliæ ad *modum hoc exercitium peragendi* requiruntur.

(A) Ad *canonicam erectionem* requiruntur : (a) *auctoritas in erigente*, quæ *ordinaria et suprema* in R. Pontifice residet; vi *privilegii* Cardinalibus a *Codice* conceditur necnon Episcopis[1]; *ordinaria et subordinata* in Superioribus Ordinis Franciscani; *delegata* in iis qui a R. Pontifice vel ab Ordine S. Francisci deputantur. Delegatio haberi debet in scriptis, sub pœna nullitatis, et, ante ejus usum, exhiberi debet Ordinario, si erectio fiat in loco ab ejus jurisdictione non exempto.

(b) *Consensus Ordinarii loci*, in quo erigenda est Via Crucis, pro qualibet erectione *in scriptis* datus, sub pœna nullitatis; pariter scriptus *consensus parochi* vel Superiorum loci in quo erigenda est Via Crucis, si erigatur extra ambitum conventuum S. Francisci[2].

(c) *Locus aptus*, id est decens et irreverentiis non obnoxius; quo nomine veniunt ecclesiæ, oratoria publica et privata, cellæ domesticæ quæ profanis usibus non sint destinatæ, cœmeteria, etiam loca sub dio, modo ædiculæ pro singulis stationibus erectæ cancellis protegantur, ne animalia libere ibi ingrediantur, etc. — Cruces affigi possunt non solum parietibus, sed etiam scamnis, dummodo hæc sint inamovibilia et satis erecta[3].

(d) *Benedictio crucium.* Quatuordecim cruces requiruntur, quæ sint *ligneæ* et adstantibus *visibiles*, absque imagine Crucifixi; tegi non debent ferreis crucibus[4], sed inaurari, deargentari aut variis coloribus ornari possunt. Imagines, vel tabulæ pictæ, quæ passionem Christi repræsentant, utiles sunt quidem ad devotionem fovendam, sed non necessariæ; a crucibus sejungi possunt.

Cruces benedicuntur, juxta formulam in Appendice ad Rit. Romanum contentam, per sacerdotem propriis facultatibus gaudentem, et in loco erectionis moraliter præsentem. Affixio autem crucium fieri potest a quocumque alio, ita tamen ut quædam distantia

---

[1] Can. 239, § 1, 6°, Cardinalibus conceditur facultas "sub unica benedictione erigendi in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque locis piis, stationes *Viæ crucis* cum omnibus indulgentiis, quæ hujusmodi pium exercitium peragentibus impertitæ sunt, necnon benedicendi pro fidelibus, qui, causa infirmitatis vel alii legitimi impedimenti sacras stationes *Viæ crucis* visitare nequeant, crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio ejusdem *Viæ crucis* a Rom. Pontificibus adnexarum". — Vi autem can. 349, § 1, n. 1, idem privilegium conceditur Episcopis "ritibus tamen ab Ecclesia præscriptis": quam facultatem aliis communicare non licet, ne per modum actus (*S. Pœn.*, 10 nov. 1926). — [2] *Decret. authent.*, nn. 175, 3 aug. 1748, et 445, 21 jun. 1879.

[3] *S. C. Indulg.*, 14 sept. 1904; ap. *Acta*, t. XXXVII, p. 395.

[4] *Decret. authent.*, n. 442, 23 nov. 1878.

sit inter unam stationem et alteram, nec iter paucis tantum passibus absolvatur [1].

(e) Post erectionem, *instrumentum conficiendum est*, ab erigente subscriptum, in quo describantur postulatio et concessio erectionis, necnon consensus Superiorum, uno verbo omnia essentialia quæ peracta sunt; duo exemplaria conficiantur, quorum unum in archiviis concessionarii, alterum in Curia episcopali servetur, ad perpetuam rei memoriam.

(f) Nova erectio non requiritur *ob accidentalem mutationem in crucibus*, v. g., si ad tempus remotæ eidem loco restituantur, aut in eadem ecclesia melius disponantur, vel si, veteri ecclesia destructa, nova ædificetur sub eodem titulo et in eodem fere loco; aut si veteribus crucibus novæ, in minori tamen parte, substituantur; aut renoventur, salva earum substantia [2]. — Secus, si cruces essentialiter destruerentur vel in majori aut dimidia parte mutarentur [3]. Ad novam erectionem in eodem loco præsumi potest consensus eorum quorum interest.

654. (B) *De modo quo exercitium Viæ Crucis peragi debet.* (a) *Singulæ stationes visitari debent*, localiter movendo de una ad aliam, quantum sinit multitudo populi et angustia loci. In publico exercitio sufficit ut sacerdos cum duobus clericis vel cantoribus circumeat, et, in qualibet statione sistens, ibi consuetas preces recitet, ceteris in suo loco respondentibus [4]. Posset etiam unus sacerdos preces in pulpito recitare, dummodo alius stationes visitet. Suadetur tamen ut fideles ad singulas stationes surgant et cum sacerdote genuflectant.

(b) Omnes stationes *uno tractu*, sine notabili interruptione, visitari debent; attamen sat diuturna interruptio per actionem religiosam, v. g., ad audiendam missam, aut confessionem peragendam, lucrandis indulgentiis non obest [5], secus dicendum de profana actione.

(c) Ad quamlibet stationem necesse est *meditari*, quantumvis breviter, partem illam Passionis, quæ cuilibet stationi respondeat, aut saltem quamlibet phasim Passionis, non vero Passionem in

---

[1] *Decret. authent.*, n. 194, 28 aug. 1752; n. 311, 22 aug. 1842.

[2] *Decret. authent.*, nn. 323; 258; 264; 270; 375,

[3] *Decret. authent.*, n. 311, 22 aug. 1842; n. 223, 16 dec. 1760, ad 1.

[4] *Decret. authent.*, n. 210, 6 aug. 1757, et nuper in Decreto *S. Pænit.*, 14 dec. 1917 (*A. A. S.*, X, 30). In communitatibus religiosis fratrum et sororum, loco sacerdotis cum duobus clericis, unus tantum e fratribus aut una e sororibus potest circumire ac sistere in qualibet statione suetasque preces recitare. *S. C. Indulg.*, 27 febr. 1901 et 7 maii 1902. (*Acta S. S.*, t. XXXV, p. 254-255).

[5] *Decret. authent.*, n. 223, 16 dec. 1760, ad 4.

genere. Nullæ orationes vocales requiruntur; consulitur tamen pia praxis ad singulas stationes brevem contritionis actum eliciendi et *Pater* et *Ave* recitandi.

655. 3° **De Crucifixis Viæ Crucis.** Hoc nomine intelliguntur cruces cum imagine divini Redemptoris, quibus applicantur lucrandæ indulgentiæ Viæ Crucis. Hoc privilegium, postulantibus Franciscanis, a *Clemente XIV* benigne concessum est, ut infirmi vel alias impediti indulgentias Viæ Crucis lucrari possent. Ad fruendum hoc privilegio, requiritur : —

(a) Ut super crucem sit *imago* Redemptoris, *prominens*, et ex *materia solida;* atque a potestatem habente sit ad hoc benedicta.

(b) Ut adsit infirmitas, vel aliud legitimum impedimentum.

(c) Ut recitentur corde contrito, uno tractu, Crucifixum benedictum manu tenendo, viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria*, scilicet quatuordecim pro stationibus, quinque in honorem Vulnerum Christi, et unum ad intentionem R. Pontificis [1].

(d) "*Infirmi* qui pium exercitium Viæ Crucis nec in forma ordinaria, nec per recitationem viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria*, absque gravi incommodo vel difficultate peragere valent, indulgentias lucrari possunt vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum affectu et animo contrito, in aliquem Crucifixum ad hoc benedictum eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem jaculatoriam in memoriam Passionis et mortis D. N. J. C.". [2] (*S. Pœn.*, 25 mart. 1931).

V. De Corona seu Rosario B. Mariæ Virginis [3].

656. 1° **Notio et species.** Rosarium est certa precandi formula quæ constat quindecim Angelicarum salutationum decadibus, interjecta oratione dominica initio cujusque decadis. Aliæ preces (v. g. *Gloria Patri* in fine cujusque decadis) addi solent, sed non requiruntur. Tertia pars Rosarii, quinque constans decadibus, vocatur *corona*.

---

[1] "Qui ex rationabili causa omnes præscriptos *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitare nequiverint, pro indulgentia plenaria, indulgentiam partialem decem annorum totidemque quadragenarum consequuntur pro singulis *Pater* cum *Ave* et *Gloria* recitatis" (*S. Pœn.*, 20 oct. 1931).

[2] "Si quis, vi morbi, vel tantum osculari vel intueri tantum queat in Crucifixum ad hoc benedictum, non vero addere precem jaculatoriam, indulgentiam plenariam consequi non impeditur" (*S. Pœn.*, 20 oct. 1931).

[3] **Beringer, I, n. 891-905; L. Fanfani,** *De Rosario B. M. Virginis*, 1930.

Plures sunt *coronarum* species, quarum præcipuæ sunt *Rosarium S. Dominici*, *Corona S. Birgittæ*, et *Corona a Crucigeris* benedicta.

(**A**) *Rosarium S. Dominici*, ita nuncupatum quia S. Dominicus in ejus institutione et propagatione præcipuas partes habuit, benedici debet a Religiosis Ordinis Prædicatorum, vel ab iis qui speciali privilegio gaudent, ut Cardinales [1] et Episcopi, aut delegantur a S. Sede vel a Generali dicti Ordinis, adhibita speciali formula quæ in Appendice ad *Rit. Romanum* invenitur.

(**a**) Constare debet quinque, decem aut quindecim, non autem sex decadibus; inter crandum manu teneri ac volvi debet; sed, quando in communi recitatur, sufficit ut unus coronam in manu teneat ac volvat, dummodo ceteri, curis semotis quæ attentionem impediunt, ei devote uniantur in recitatione rosarii.

(**b**) Quinque saltem decades uno tractu moraliter recitari olim debebant. Hodie vero, vi decreti *S. Cong. Indulg.*, 8 jul. 1908, singulæ decades rosarii separatim recitari possunt, infra tamen unius ejusdemque diei spatium, quin indulgentiæ amittantur.

(**c**) Recitationem rosarii comitari debet meditatio mysteriorum vitæ, passionis et resurrectionis Jesu Christi; ab ea tamen excusantur rudiores et meditationi minus idonei.

(**d**) Præcipuæ *indulgentiæ* huic rosario annexæ hæ sunt : indulgentia centum dierum pro quolibet *Pater* et *Ave*, dummodo tertia pars saltem rosarii recitetur; indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum, quoties tertiam partem rosarii recitant; pro recitatione in communi facta : indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum semel in die lucranda; indulgentia plenaria semel in anno recitantibus saltem tertiam partem rosarii singulis diebus.

Recitantibus tertiam partem rosarii die festo SS. Rosarii et singulis per octavam diebus indulgentia plenaria a *Leone XIII* concessa est; pariter indulgentia plenaria, si post Octavam SS. Rosarii saltem decies infra mensem Octobris tertiam partem rosarii recitant.

Confratribus Sodalitatis SS. Rosarii multæ aliæ indulgentiæ conceduntur, v. g., indulgentia quinque annorum et totidem quadrage-

[1] Can. 239, § 1, n° 5, Cardinalibus confertur facultas "benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a S. Sede probata eaque imponendi sine onere inscriptionis". Quod privilegium ad Episcopos extenditur can. 349, "ritibus tamen ab Ecclesia præscriptis".

narum quoties, recitando rosarium, in salutatione angelica, nomen Jesu devote proferunt; indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, si ter in hebdomada rosarium recitant, pro qualibet vice; indulgentia plenaria in festo Annuntiationis si confessi et communione refecti rosarium recitant, multæque aliæ plenariæ indulgentiæ iis qui visitant capellam vel ecclesiam confraternitatis certis diebus [1]; indulgentia quadraginta annorum *quotidie* confratribus coronam gestantibus.

657. (**B**) *Corona S. Birgittæ* [2], ita nuncupata ab ejus institutrice, (**a**) constat sex decadibus, quarum singulæ continent 1 *Pater*, 10 *Ave*, 1 *Credo* et 1 *Pater* in fine, cum 3 aliis *Ave*. Benedici potest a Cardinalibus et Episcopis, insuper ab Ordine SS. Salvatoris Lateranensis, vel ab iis qui delegantur ab Abbate Generali hujus Ordinis aut a S. Sede. Non requiritur specialis forma benedictionis.

(**b**) Sæpe a S. Sede conceditur facultas applicandi rosariis quinque, decem aut quindecim decadum, indulgentias S. Birgittæ; — tunc necesse non est adjicere 1 Pater et 3 Ave in fine, sed *Credo* dici debet in fine cujuslibet decadis; et quinque decades sufficiunt. — In neutro casu requiritur meditatio mysteriorum.

(**c**) Præcipuæ indulgentiæ sunt : 100 dierum indulgentia pro quolibet *Pater*, *Ave*, *Credo*, dummodo sex vel quinque decades recitentur; plenaria indulgentia in articulo mortis iis qui semel in hebdomade hanc coronam recitare consueverunt [3].

658. (**C**) *Coronæ a Crucigeris benedictæ* vel ab eorum delegatis adnexam habent indulgentiam quingentorum dierum quoties *Pater* vel *Ave*, cum eis recitatur, quin oporteat integrum rosarium recitare, aut aliqua meditatio requiratur [4].

659. 2° **Generales regulæ pro omnibus coronis.** (**a**) Uni eidemque coronæ plures indulgentiæ adnecti possunt, v. g., indulgentiæ Rosarii et S. Birgittæ, et, ad singulas lucrandas, iterari non debet precum recitatio, sed cumulari possunt indulgentiæ, ex concessione 12 junii 1907.

(**b**) Coronæ indulgentiis ditatæ *gratis* omnino tradi debent; secus indulgentiæ amittuntur; quæ tamen pœna non afficit eos qui coronas emunt, ipsi venditori curam com-

---

[1] Hæc omnia invenies in novo Summario indulgentiarum SS. Rosarii, jussu *Leonis XIII*, 30 aug. 1899, edito.

[2] *Facultas benedicendi coronas* cum applicatione indulgent. S. Birgittæ, Romæ, 1878; **Beringer**, I, p. 360-366; *Raccolta*, p. 206.

[3] Summarium authenticum omnium indulgentiarum coronis S. Birgittæ concessarum tradunt *Rescripta authent.*, p. 352-356.

[4] Ita *S. C. Ind.*, 15 mart. 1884, *Acta S. Sedis*, XVI, 404.

mittendo benedictionem obtinendi, solvuntque pretium et transmissionis expensas tempore quo res illæ jam benedictæ traduntur[1]. Pariter indulgentiæ non amittuntur, quando rosaria jam benedicta ab una in aliam aut tertiam, etc. personam donatione transeunt, neque si alteri commodantur. (*Codex*, can. 924, § 2).

VI. De Scapularibus[2].

660. 1° **Notio et species.** Scapulare parvum, de quo hic agitur, est *insigne* quoddam, duobus panniculis constans per funiculos simul junctis, quod defertur ad similitudinem scapularium quæ quibusdam Ordinibus propria sunt. In sua origine nihil aliud erant nisi scapularia Religiosis propria ad parvam formam redacta, pro majori fidelium commoditate[3]; successu tamen temporis quædam invecta fuere, quæ nihil aliud sunt nisi signum quoddam devotionis erga Christum, B. Virginem aut Sanctos.

Ad triplicem classem referuntur : (a) quædam ita sunt *insignia* alicujus Confraternitatis, ut, nisi imponantur tempore adscriptionis et postea deferantur, indulgentiæ acquiri non valeant; ita v. g., scapulare B. M. V. de Monte Carmelo; (b) alia ita sunt insignia Confraternitatis ut liberum sit ea deferre vel non ad indulgentias lucrandas; ita scapulare piæ Unionis Immac. Conceptionis, Romæ in ecclesia *Aracæli* erectæ; (c) alia tandem, quæ non sunt insignia alicujus Confraternitatis, sed imponi ac deferri debent, ad lucrandas indulgentias eisdem annexas, ut, v. g., scapulare rubrum Passionis D. N. Jesu Christi.

Præcipua scapularia sunt : scapulare de Monte Carmelo; scapulare cæruleum Immac. Conceptionis; scapulare rubrum Passionis D. N. Jesu Christi; scapulare SS. Trinitatis.

661. 2° **Regulæ generales.** (A) *Quoad ipsum scapulare :* (a) Confici debet exclusive ex lana, et quidem textura simplici, non autem acu picta; permittitur tamen ut scapularia intexta habeant vel acu picta ornamenta ex alia materia, dummodo color præscriptus prævaleat[4]. (b) *Color* lanæ varius est pro variis scapularibus :

---

[1] Ita *S. C. Ind.*, 10 jul. 1896, *Acta S. Sedis*, XXIX, 320.

[2] **Ulrich,** *Trésor spirituel ou Indulgences attachées aux scapulaires et autres objets de piété*, Paris; **Melata,** p. 103-109; **Beringer,** I, p. 390-414.

[3] *Decret. authent.*, 18 aug. 1868.

[4] *Decret. authent.*, n. 423, 18 aug. 1868.

tanneus vel *niger* pro scapulari B. M. V. de Monte Carmelo [1]; *cæruleus* pro scapulari Immac. Conceptionis; *rubeus* pro Scapulari Passionis; *albus* pro scapulari SS. Trinitatis; *niger* pro scapulari B. M. V. Septem Dolorum, etc. Quod tamen necessarium non est pro funiculis, excepto scapulari Passionis, cujus funiculi lanei ac rubri esse debent. (c) Forma panniculi oblonga vel quadrata sit, non rotunda vel ovalis.

(B) *Quoad benedictionem et impositionem :* (a) Benedici potest a Cardinalibus vel Episcopis, aut a sacerdote facultatem habente vel S. Sede vel a Superiore Ordinis, cui facultas benedicendi concessa est; imponi debet ab eodem sacerdote qui illud benedicit [2]; quando adest multitudo, nec sunt scapularia in sufficienti numero idem unumque scapulare *semel benedictum* valide potest pluribus successive imponi, repetita solummodò receptionis formula ita tamen ut primum scapulare, quod deinceps adscriptus induet, benedictum fuerit [3]. Quando autem scapulari prius recepto substituitur aliud, necesse non est ut sit benedictum; quod hodie valet etiam de scapulari SS. Trinitatis [4], quod olim a regula generali excipiebatur. (b) Plura scapularia simul imponi possunt ab iis qui hanc facultatem acceperunt; sed exceptio datur quoad scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, quod primo loco et separatim ab aliis est benedicendum et imponendum [5]. (c) Benedici et imponi debet, servata formula præscripta, saltem in substantialibus. (d) Quando plures sunt habitu induendi, omnia scapularia unica formula in plurali benedici possunt; deinde imponi possunt successive et sine interruptione omnibus præsentibus, dicendo : "*Accipite, fratres* vel *sorores*, etc." tandem omnes simul in confraternitatem recipiuntur, utendo plurali numero "*Recipio vos ad Confraternitatem*", etc. [6].

662. (C) *Ex parte suscipientis :* (a) *præsens* esse debet ut ipse de manu sacerdotis scapulare accipiat. (b) Qui habet facultatem imponendi scapulare *generalem*, non autem ad aliquam communitatem restrictam, sibimet illud imponere potest [7]. (c) Parvulis usum rationis nondum adeptis valide imponitur; hi autem indulgentiis frui nequeunt nisi rationis usu adepto [8]. (d) Qui suscipit scapulare adscribi debet Confraternitati, si agitur de scapulari quod

---

[1] *Decret. authent.*, n. 278, 12 febr. 1840.
[2] *Decret. authent.*, n. 430, 16 jun. 1872.
[3] *Decret. authent.*, n. 421, aug. 1868.
[4] *S. Cong. Indulg.*, 24 aug. 1895, *Acta S. Sedis*, XXVIII, 256.
[5] *S. Cong. Ind.*, 27 apr. 1887, *Acta S. Sedis*, XIX, p. 554.
[6] *S. C. Indulg.*, 18 apr. 1891; *Acta S. Sedis*, XXIV, p. 567.
[7] *Decret. authent.*, n. 280, 7 mart. 1840.
[8] *Decret. authent.*, n. 410, 29 aug. 1864.

est *insigne* alicujus Confraternitatis; quod hodie verum est etiam de scapulari B. M. V. de Monte Carmelo [1].

(D) *Ex parte gestationis :* (a) Ad lucrandas indulgentias, requiritur ut scapulare semper deferatur e collo pendens, non transversim, sed ita ut una pars pectus, altera humeros tegat [2]; si tamen ad breve tempus exuitur, v. g., ad se lavandum, indulgentiæ perseverant; si ad longum tempus, suspenduntur usquedum de novo induatur; quo casu non requiritur nova sacri habitus impositio [3]. (b) Necesse non est ut scapulare immediate super corpus deferatur, sed super vestes retineri potest [4]. (c) Si plura simul scapularia gestantur, satis est ut varii panniculi, alii aliis superpositi, duobus tantum funiculis suspendantur (qui tamen lanei et rubri coloris esse debent, si inter ea sit scapulare Passionis); sed expresse prohibetur ut panniculi unum tantum scapulare efficiant [5].

Hodie, loco scapularium a S. Sede probatorum (exceptis tamen iis quæ Tertiorum Ordinum sunt propria) licet unicum numisma, a sacerdote debita facultate pollente benedictum, decenter deferre, et ita lucrari favores spirituales scapularibus adnexos, sabbatino privilegio non excepto. Hujus numismatis pars recta referre debet effigiem D. N. Jesu Christi suum sacratissimum cor ostendentis, pars aversa effigiem B. Mariæ Virginis. Numisma autem tot distinctis benedictionibus benedici debet quot sunt scapularia regulariter imposita quibus substituitur; singulæ autem benedictiones unico crucis signo impertiri possunt [6].

663. (E) Inter privilegia scapulari B. M. V. de Monte Carmelo concessa eminet illud quod *Sabbatinum* dicitur, a variis Pontificibus approbatum et confirmatum, et a S. Officio 20 jan. 1613 his verbis recognitum [7] : " Patribus Carmelitanis permittitur prædicare, quod populus christianus possit pie credere de adjutorio animarum fratrum et confratrum Sodalitatis B. M. V. de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in caritate decedentium, qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint; vel, si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint, et feria quarta et

---

[1] *Decret. authent.*, n. 421, 18 aug. 1869; *S. C. Ind.*, 27 apr. 1887; *Acta S. Sedis*, XIX, p. 556. — [2] *Decret. authent.*, n. 277, 12 febr. 1840.

[3] *Decret. authent.*, n. 379, 27 maii 1857.

[4] *Decret. authent.*, n. 367, 12 mart. 1855, ad 2.

[5] *Decret. authent.*, n. 423, 18 aug. 1868; *S. C. Ind.*, 27 apr. 1887; *Acta S. Sedis*, XIX, 557.

[6] *S. Offic.*, 16 dec. 1910, *A. A. S.*, III, 22. Summaria indulgentiarum variis scapularibus concessarum invenies ap. **Schneider**, *Rescripta authentica*, pp. 473, 468, 285, 571, 476, 483, 647, aliosque probatos auctores.

[7] **Schneider**, *Rescr. authent.*, p. 475.

Sabbato a carnibus abstinuerint[1] (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit), suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, præcipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicatus est, adjuturam "[2].

VII. De actu heroico caritatis[3].

664. 1° **Notio.** Hic actus in eo consistit quod Christifidelis, sive aliqua formula adhibita, sive *mente* tantum, Deo offert pro animabus Purgatorii omnia opera *satisfactoria* quæ ipse per vitam peraget, et omnia suffragia, quæ post mortem ei obvenire poterunt. — Laudabiliter hæc oblatio fit per manus B. Virginis, ita ut satisfactiones et indulgentiæ, prout ipsi placuerit, defunctis distribuantur; sed hæc non est pars integralis et necessaria actus heroici[4].

Ejusmodi oblatione non ceduntur *merita*, quæ omnino personalia sunt; neque etiam *impetrationes*, quæ pro nobis et aliis offerri valent, etiam post elicitum actum hujusmodi; sed tantum satisfactiones et indulgentiæ; quoad missam, nil aliud ceditur quam fructus specialis sacerdoti proprius, proindeque sacerdos, qui hunc actum elicuit, non prohibetur sacrificium missæ offerre pro iis qui eleemosynam obtulerunt. — Talis actus, quamvis aliquando sub nomine *voti* designetur, non obligat sub peccato et revocari potest.

665. 2° **Privilegia actui heroico concessa**[5]. (a) Sacerdotes indulto altaris privilegiati personalis gaudent singulis diebus; (b) fideles indulgentiam plenariam defunctis tantum applicabilem lucrari valent quoties sacram communionem accipiunt, aut feria secunda missam in suffragium defunctorum audiunt, dummodo aliquam ecclesiam visitaverint, ibique ad mentem S. Pontificis oraverint; (c) omnes et singulæ indulgentiæ, quas lucrantur sacerdotes aut fideles, sunt defunctis applicabiles.

Præcipuus autem valor hujus actus est magnum caritatis incrementum, necnon multorum meritorum acquisitio, cum cessio in-

---

[1] Ob justam tamen causam confessarius, specialem habens facultatem, abstinentiam in aliud pium opus commutare potest.

[2] Ex decreto *S. Officii* 16 dec. 1910, deferentibus numisma conceduntur omnes favores spirituales Scapularibus adnexi, " Sabbatino privilegio non excepto ".

[3] *Atto eroico di carità*, Romæ, 1853; *Raccolta*, p. 530-531; **Melata**, p. 110-114; **Beringer**, I, p. 320-324.

[4] *S. C. Indulg.*, 19 dec. 1885; *Acta S. Sedis*, XVIII, p. 337-339.

[5] *Rescripta authent.*, n. 392.

dulgentiarum et satisfactionum defunctis facta maxime meritoria sit. Et sane pluris æstimandum est minimum meriti augmentum quam liberatio a maxima pœna Purgatorii : hæc enim pœna brevi finietur, dum augmentum meriti beatiores nos efficit per totam æternitatem. — Nec sane timendum est ne propterea actum heroicum elicientes per longum tempus in Purgatorio maneant : qui enim caritatem quotidie in defunctos exercent, in divinam misericordiam jure meritoque confidere possunt : " Date, et dabitur vobis : mensuram bonam et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis " [1].

Gratias igitur Christo, qui pretioso sanguine suo, non solum peccata nostra abstergit, sed etiam medium pœnas peccato debitas expiandi benigne largitus est!

[1] *Luc.*, VI, 38.

DE MATRIMONIO

Prænotanda.

666. 1° Objectum et utilitas Tractatus. (a) Inter sacramenta, alia sanctificationem *cujuslibet individui* respiciunt, alia bonum totius *societatis*. Jamvero sacramentum Matrimonii, sicut sacramentum Ordinis, ad bonum non solum individui, sed etiam societatis maxime confert. Sicut enim *Ordine* propagantur ministri Dei, qui spiritualem societatem regunt, ita *Matrimonio* sanctificatur unio viri et feminæ, ex qua gignuntur cives qui utramque societatem efformant, civilem et ecclesiasticam. Hic agimus de *matrimonio christiano*, quo constituitur *familia*, ex qua ipsa *societas* oritur.

(b) Quanti *momenti* sit de hoc sacramento disputare illi omnes norunt, quibus persuasum est non solum individuorum, sed etiam familiarum societatumque prosperitatem a filiorum procreatione bonaque educatione omnino pendere. Jamvero finis *primarius* matrimonii est legitima prolis procreatio et educatio, ideoque non solum privatorum sed et societatis felicitas. Maximi igitur interest de matrimonio doctrinam legesque apprime cognoscere.

667. 2° Varia matrimonii nomina. Matrimonium (*matris munium*) ita appellatur, quia mater in prole suscipienda et educanda majorem operam quam pater regulariter impendit, cum infans matri " ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur "[1].

Vocatur etiam *conjugium* (*cum*, *jungere*), quia est veluti commune jugum, cui sponte se submittunt qui matrimonium contrahunt; *connubium*, seu *nuptiæ* (a *nubendo*, id est velando), quia antiquitus sponsæ, quando viris tradebantur, caput velo, pudoris gratia, operiebant[2]; *consortium* (*cum*, *sors*), quo significatur arctissima corporum animorumque societas qua vir et mulier connectuntur.

---

[1] Gregor. IX. *Decretal.*, l. III, tit. 33, c. 2. — [2] *Gen.*, XXIV, 65.

668. 3° Matrimonium contractus et sacramentum. Matrimonium ut contractus naturalis et ut sacramentum spectari potest. Jus siquidem *naturale* dictat ut vir et mulier sibi invicem arcto uniantur vinculo ad procreandos educandosque filios, cum, ex dicendis, *unio libera* finibus matrimonii obstet. Aliunde hunc contractum præ se aliquid *sacri* ferre testantur Scriptura sacra necnon populorum traditiones. Hunc autem contractum ad dignitatem *sacramenti* evectum esse infra probabimus.

669. 4° De aliis matrimonii partitionibus. Sub multiplici respectu considerari potest matrimonium : —

(A) Ratione **validitatis**, distinguitur in *validum* et *invalidum* : (a) *prius*, quod dicitur etiam *verum*, illud est quod reipsa contractum est, absque ullo impedimento dirimente; (b) *posterius*, quod vocatur etiam *nullum*, illud est quod, propter aliquod vitium seu impedimentum, non fuit vere contractum; dicitur *attentatum*, quatenus alterutra pars cum scientia impedimenti illud inire ausa sit; *putativum*, "si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de ejusdem nullitate certa evadat." (*Codex*, c. 1015, § 4).

(B) Ratione **dignitatis**, est *legitimum* vel *ratum* : (a) *legitimum*, quando initum est juxta leges juris naturalis et positivi, ita ut validum sit ut contractus, quamvis ad dignitatem sacramenti non attingat; quale est matrimonium legitime contractum inter infideles seu non baptizatos; (b) *ratum*, id est firmatum dicitur matrimonium baptizatorum quod rationem habet sacramenti. (Can. 1015).

(C) Ratione **effectus**, matrimonium baptizatorum dicitur *ratum* vel *consummatum*; *ratum*, quando valide celebratum est, sed nondum copula carnali completum; *ratum et consummatum*, quando completum est copula carnali de se apta ad generationem, sive conceptio revera sequatur, sive non. (*Codex*, c. 1015).

N. B. Considerari potest matrimonium ut *actus* vel *status* : prior est ipsa *conventio transiens* qua mutuo traditur jus in corpora in ordine ad generationem (matrimonium *in fieri*); posterior est *status permanens* ex hoc actu transeunte resultans (matrimonium *in facto esse*).

670. 5° Divisio. Cum matrimonium sit simul *contractus* et *sacramentum* et ut tale *canonicis* subjiciatur *legibus*, tria erunt capita in hoc tractatu :

I. De matrimonio ut contractu;
II. De matrimonio ut sacramento;
III. De matrimonio quatenus canonicis legibus regitur.

Duo priora capita erunt præsertim *dogmatica*, in eisque jus *naturale* et *divinum* declarabimus; tertium erit *practicum*, morale scilicet et canonicum. Attamen, ne bis de eadem materia agere cogamur, etiam in duobus prioribus capitibus quæstiones *practicas* cum speculativis intime connexas exponemus.

Quæ divisio melius intelligetur ex sequenti schemate.

De matrimonio ut *contractu.*	De ejus finibus. De origine et natura. De consensu matrimoniali. De dotibus essentialibus.
De *matrimonio* ut *sacramento.*	Existentia sacramenti. Connexio sacram. cum contractu. Minister sacramenti. Materia et forma. Effectus.
De matrimonio prout regitur *canonicis legibus.*	De auctoritate leges ferendi de matrim. De præviis ad matrimonium. De forma celebrationis. De impedimentis. De dispensationibus.

Appendix : De lege civili quoad matrimonium.

NOTANDUM. — De Matrimonio peropportune legendæ sunt Litteræ Encyclicæ *Arcanum illud* Leonis XIII (10 febr. 1880), et *Casti Connubii* Pii XI (31 dec. 1930) de matrimonio christiano spectatis præsentibus familiæ et societatis conditionibus, necessitatibus, erroribus et vitiis.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO UT CONTRACTU.

671. 1° **Definitio.** Matrimonium ut contractus considerari potest ut *actus* et ut *status* ex ipso actu ortus, seu, aliis verbis, *in fieri* (actus) et *in facto esse* (status).

(**A**) Ut *actus*, matrimonii contractus definiri potest : *conventio legitima inter virum et mulierem, jus mutuum, exclusivum et perpetuum ipsis conferens tum ad actus ex se aptos ad generationem prolis, tum ad vitæ communis consortium.*

Dicitur : (**a**) *conventio legitima*... id est inita juxta leges sive naturales sive positivas, quibus matrimonium regitur; hæc autem initur inter virum et mulierem, qui aliunde ad hujusmodi contractum de jure sint habiles.

(**b**) *Mutuum, exclusivum et perpetuum jus ad actus*... quibus verbis declaratur *primarius finis* matrimonii, videlicet prolis *procreatio* ac consequenter *educatio*. Ad essentiam autem matrimonii non requiritur ut de facto filii gignantur, cum steriles legitime nubant; nec etiam usus matrimonii, cum B. Virgo et S. Joseph legitimo matrimonio conjuncti sint, licet juribus matrimonialibus nunquam usi fuerint; sed sufficit *jus* ad illos actus qui *ex se* apti sunt ad prolis generationem, licet per accidens aliquando generatio non sequatur, vel conjuges jure suo non utantur.

Illud autem jus est *mutuum* (est enim contractus *bilateralis*) et in ambobus perfecte *æquale; exclusivum*, ita ut alteri transferri nequeat, et ita excludatur polygamia; *perpetuum*, ut sic excludatur vaga et fornicaria sexuum commixtio.

(**c**) *Ad vitæ communis consortium* : hic significatur *finis secundarius* matrimonii, mutuum juvamen quod ex utriusque amore et societate exsurgit, juxta illud Scripturæ : "Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi". — Quapropter conjuges esse debent non solum *una caro*, ut prolem generent, sed etiam *cor unum* et *anima una*, ut sibi invicem adjutorium et solamen afferant.

672. (**B**) Ut *status*, matrimonium est *viri et feminæ maritalis conjunctio, individuæ vitæ consuetudinem retinens*, ideoque consistit in *vinculo ex se permanenti* quod oritur ex ipso actu contractus.

673. 2° **Divisio.** In hoc capite primo quatuor expenduntur : 1° *fines matrimonii*, cum ea omnia quæ postea dicemus ab his finibus pendeant; 2° *origo matrimonii*, ubi ostenditur matrimonium *non ab evolutione* sed a *jure naturali et divino* originem sumere; 3° *elementum matrimonii constitutivum*, quod in consensu reponendum est; 4° *essentiales dotes* matrimonii quatenus ex ejus intima natura fluunt.

Art. I. De finibus matrimonii [1].

674. Fines matrimonii ita in *Codice* declarantur (c. 1013) : " Matrimonii finis *primarius* est procreatio atque educatio prolis; *secundarius* mutuum adjutorium et remedium concupiscentiæ ".

§ I. De fine primario matrimonii.

Non pauci hodie contendunt primarium finem matrimonii situm esse in *mutua felicitate conjugum*, ac consequenter sibi vindicant jus vinculum matrimoniale solvendi, quando felicitatem seu voluptatem in mutuo consortio non inveniunt.

675. *Thesis :* **Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis.** *Certum* est ex *Codice*, immo de *fide divina* ex textibus Scripturæ infra allegatis.

Iª Pars probatur : 1° **Scriptura :** (A) Ex *Vet. Test.* Deus enim homines creando, " masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram " [2]. Quod et iterum dixit benedicendo Noe et filiis ejus : " Crescite et multiplicamini et replete terram " [3]. Quapropter fecunditas ut benedictio habetur, sterilitas autem ut quædam maledictio [4]. — *Voluptatem* vero *non* esse matrimonii finem, sed *prolis procreationem* constat ex oratione Tobiæ : " Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed *sola posteritatis dilectione* " [5].

[1] Martin, *De matrimonio*, I, p. 64; A. de Smet, *De Spons. et Matrimonio*, n. 83-86.

[2] *Gen.*, I, 27-28. — [3] *Gen.* IX, 1.

[4] *Gen.*, XI, 30; XXV, 21; *I Reg.*, I, 2-8; *Ps.* CXXVII, 3.

[5] *Tob.*, VIII, 9.

(B) Ex *Novo Test.* confirmatur. De muliere siquidem S. Paulus scribit : " Salvabitur autem *per filiorum generationem* "[1]; et de junioribus viduis : " Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse "[2].

2° **Traditione,** quam authentice declarant preces in *Missali*[3] effusæ pro sponsis : ita, in *Graduali :* " Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ "; in speciali oratione quæ subsequitur *Pater noster :* " Et videant ambo filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam generationem ".

3° **Ratio** ipsa ostendit primarium finem matrimonii esse filiorum procreationem. Deus enim voluit genus humanum propagari. Atqui non aliud medium instituit nisi unionem sexuum. Hæc enim *ex se* ad propagationem speciei tendit, ut constat de omnibus animantibus. Nec datur exceptio pro hominibus : ideo vir et mulier connubio junguntur ut filios habeant sibique familiam constituant, et ita genus humanum propagetur[4].

Ex se igitur matrimonium tendit ad *procreationem prolis*, quæ proinde est ejus *finis primarius.*

676. *IIa Pars probatur*, scilicet *educatio filiorum ad primarium finem pertinet :* " Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi ", (*Codex*, can. 1113). Quod officium e priori logice deducitur. Qui enim filios procrearunt, eo ipso tenentur eorum necessitatibus providere usquedum hi de seipsis curam agere valeant. Atqui id præstare nequeunt nisi filios educando *physice, moraliter* et *religiose : physice* quidem, alimenta, vestimenta ceteraque eis præbendo quæ ad vitam honeste sustentandam necessaria sunt ; *moraliter*, pravas inclinationes paulatim eradicando, bonas autem qualitates excolendo et perficiendo ; *religiose*, doctrinam catholicam eos docendo non tantum verbis sed et exem-

[1] *I Tim.*, II, 15. — [2] *I Tim.*, V, 14. — [3] *Missa pro sponso et sponsa.*

[4] Attamen quidam *instinctu divino* possunt nubere cum intentione virginitatem colendi ; sed hæc est exceptio admodum rara.

plis, juxta illud *Catechismi Tridentini*[1] : " Sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant, iisque optima dent vivendi præcepta, ut ad religionem instructi et parati, Deum sancte inviolateque venerentur ".

677. Quia vero parentes nequeunt generatim per se ipsos perfectæ filiorum educationi providere, eos mittere tenentur ad *scholas catholicas*. Quod officium ita inculcat *Codex* (can. 1373-1374) : " In qualibet elementaria schola, pueris pro eorum ætate tradenda est institutio religiosa. — Juventus, quæ medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur... Pueri catholici scholas acatholicas neutras, mixtas, quæ nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicæ, in quibus rerum adjunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eæ scholæ celebrentur ".

Parochial School to send to another school by Bishop.

Judge End

§ II. De fine secundario matrimonii.

mutual help & remedy of concup.

678. *Thesis.* **Secundarius finis matrimonii est mutuum conjugum adjutorium et concupiscentiæ remedium.** *Certum est.*

1° Naturali quodam instinctu vir et mulier speciali amoris vinculo sibi invicem conjungi expetunt, " ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius ferre et senectutis imbecillitatem sustentare queat "[2]. (a) Ratio est quia vir et femina se invicem complent non solum in ordine ad generationem prolis, sed etiam quoad mutuum juvamen et solatium : dotes unius sunt veluti complementum alterius qualitatum ; vir itaque naturali quodam instinctu societatem quærit mulieris, quæ et ipsa viri societate delectatur.

(b) Revera Deus, qui creaverat Adamum solum, dixit : " Non est bonum esse hominem solum ; faciamus ei adjutorium simile sibi "[3]. Formavit itaque Hevam ex una de costis ejus, dixitque Adam : " Hoc nunc os ex ossibus

[1] In quart. Decal. præcept., n. 13. — De educatione puerorum fusius in *Tr. de Variis statuum obligationibus* egimus, n. 954-968.

[2] *Catech. Rom.*, De sacram. matrim., n. 12. — [3] *Gen.*, II, 18.

meis, et caro de carne mea ... quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ "[1]. Nil sane expressius ad exprimendum mutuum juvamen quod sibi præstant vir et mulier.

(c) Sed ex tempore quo matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est, multo nobiliores et jucundiores apparent relationes inter christianos conjuges. Paulus siquidem eas comparat unioni quæ inter Christum et Ecclesiam existit, "quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ"[2]. Unde mulier *subdita* esse debet viro suo: "sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus"[3]. Aliunde viri debent *diligere* uxores suas "sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea"[4].

Quam doctrinam sæpe pastores conjugibus exponent ut, dignitatem matrimonii præ oculis habentes, patienter sese tolerent ac benigne se invicem pertractent.

679. 2° Alius *secundarius* matrimonii finis est *concupiscentiam sedare* et *refrænare.* (a) In statu naturæ lapsæ, sæpe exardescit concupiscentia, et nonnisi ægre inter limites continetur quos exigunt tum sanitas corporis tum morum honestas. Jamvero *matrimonium legitimum*, præsertim *stabile*, compescit et refrænat concupiscentiam intra limites honestatis. Ex una parte, per legitimum matrimonii usum sedatur concupiscentiæ ardor; et ex altera, copula non habetur nisi cum persona in cujus corpus legitima potestas tradita fuit, cui fides in conjugio debetur, et quidem eo modo qui aptus sit ad prolem procreandam. — Si vero admittitur *unio libera* ad nutum revocabilis, concupiscentia, nedum temperetur, haud parum augetur spe novas uniones ineundi novasque voluptates experiendi, cum maximo corporis animæque detrimento.

(b) Hunc finem secundarium ita proponit *S. Paulus*: "Propter fornicationem (vitandam) unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro... Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam

[1] *Gen.*, II, 24-25. — [2] *Ephes.*, V. 22. — [3] *Ephes.*, V, 24. — [4] *Ephes.*, V, 25.

uri". Apostolus itaque honestatem et usum matrimonii agnoscit ad vitandam fornicationem seu ad sedandam concupiscentiam. Virginitatem esse quidem matrimonio superiorem declarat; sed, cum omnes non possint eam colere, licite nubere possunt ad voluptatem compescendam.

680. Corollaria. *Fines secundarii subordinari debent fini primario.* Quapropter : —

(a) Matrimonium inire nequeunt personæ veræ copulationi ineptæ, scilicet *impotentes*, quæ copulam *ex se* generationi aptam exercere non valent, de quibus in *Supplemento* agitur. Valide tamen contrahunt *steriles*, qui copulam habere possunt, etsi *per accidens* generatio non sequatur.

(b) Illicitum, imo et nullum esset matrimonium in quo *positive excluderetur* a contrahentibus *finis primarius* ipsius matrimonii, id est finis *operis;* sed contrahentium intentio (finis *operantis*) potest esse non prosequendi executionem talis finis, dummodo non excludatur jus ad illum finem, seu jus ad corpus (can. 1081, § 2).

(c) Licitum est et validum, etsi minus perfectum, matrimonium contrahere eo solo fine explicito, *non exclusivo* tamen, ut pauperies amoveatur, adjutorium et solamen inveniantur, passiones quiescant, licita delectatio habeatur, dummodo non excludatur finis primarius sensu jam explicato.

Art. II. De origine et natura matrimonii.

681. Errores confutandi. Duo sunt præcipui errores de matrimoniali contractu. (a) Multi, præsertim *evolutionistæ* et *materialistæ*, tenentes hominem a bruto descendere, contendunt *promiscuitatem* inter primos homines viguisse, sicut inter cetera animantia, ita ut viri indiscriminatim commiscerentur feminis feminæque viris, prout se dabat occasio; huic autem promiscuitati successisse *polygamiam* et *polyandriam*, et nonnisi post longa sæcula prævaluisse *monogamiam*[1]. (b) Alii vero, præsertim inter *socialistas* et *voluptatis amatores*, favent *unioni liberæ :* juxta ipsos, præcipuus finis unionis inter virum et mulierem est *mutua*

[1] **Lubbock,** *The origin of civilization;* **Morgan,** *Systems of consanguinity, affinity and of the human family;* **Mac Lennan,** *Studies in ancient history comprising a reprint of Primitive marriage*, London and New York, 1886; **Giraud-Teulon,** *Les origines du Mariage et de la famille*, Genève et Paris, 1884.

voluptas; ad hanc igitur unionem requiritur et sufficit mutuus amor : qui mutuo se amant, eo ipso jus habent simul cohabitandi; cessante amore, abrumpi debet unio. Proles vero, ex unione libera nata, *curante Statu* civili aletur atque educabitur, absque parentum interventu [1].

Duplex igitur erit thesis contra istum duplicem errorem.

682. *Thesis Ia :* **Matrimonialis contractus non e progressiva evolutione oritur, sed est primæva institutio jure naturali et divino innixa** [2]. Certum est, immo de fide divina.

1° **Scriptura** probatur. Deus enim, primo homine creato, videns bonum non esse hominem manere solum, fecit ei adjutorium simile sibi. Tulit igitur unam de costis Adami dormientis, eamque in mulierem ædificavit et adduxit ad Adam. Qui dixit : "Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; hæc vocabitur virago quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una" [3]. Ibi enim quinque præsertim declarantur : 1) mulieris *formatio a Deo facta,* ut hæc fieret primi hominis socia et adjutorium ipsi simile; 2) *unio intima* quæ inter virum et mulierem existere debet tum ad generationem prolis tum ad vitæ consortium; 3) quædam tamen *mulieris a viro dependentia,* quia hæc de viro sumpta est; 4) *unitas* vinculi matrimonialis : erunt enim *duo* in carne *una;* 5) ejusdem *stabilitas :* relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ. Merito itaque ait *Leo XIII* [4] : "Illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum *unitatem* et *perpetuitatem*".

---

[1] **A. Bebel,** *La femme dans le passé, le présent et l'avenir* (trad. de l'allemand par **H. Ravé**), 1891; **B. Malon,** *Le socialisme intégral,* Paris, 1892, t. I, ch. 7; **G. Renard,** *Le régime socialiste,* 1898, p. 59; **Ch. Albert,** *L'amour libre,* Paris, 1900; aliique quos recenset **Turgeon,** *Le Féminisme français,* Paris, 1902, t. II, p. 259-288.

[2] **A. de Smet,** *op. cit.,* n. 76-82; **P. Castillon,** *Mariage et Divorce,* in *D. A.,* t. III, 91-94; **G. Fonsegrive,** *Mariage et union libre,* 1904.

[3] *Gen.,* II, 18-24. — [4] Encycl. *Arcanum.*

683. 2° Confirmatur *historia antiquorum populorum*, in qua nulla vestigia inveniuntur istius evolutionis, sed apparet jam existere verum contractum matrimonialem. (a) Vetustissimus legum codex, an. circiter 2200 ante Christum ab *Hammourabi*, Babyloniæ rege, conditus, non solum promiscuitatem excludit, sed etiam supponit *monogamiam* jam prævalere. Contractus matrimonialis *publice* iniri debet; non potest vir concubinam accipere, nisi uxor ejus sit infirma aut sterilis : tunc accedit ad servam quam uxor sibi substituit; si serva sit pariter sterilis, aliam uxorem ducere potest. Divortium quidem permittitur, ad nutum viri : sed si hic uxorem dimittat absque sufficienti ratione, ipsi dotem restituere debet, imo quandoque quamdam compensationem ei præbere. Adulterium, incestus, stuprum stricte sub gravibus pœnis prohibentur [1].

monogamy was not legitimate form.

684. (b) Apud *Ægyptios*, etsi polygamia et divortium sub aliquot restrictionibus permittebantur, generatim consuetudo prævalebat unicam uxorem ducendi, ut tradit *Herodotus;* ceteroquin unio libera minime agnoscebatur, sed adulterium lege civili stricte prohibebatur [2]. — (c) Apud *Indos*, quindecim sæculis ante Christum, unica ducebatur legitima uxor, quæ nunquam dimitti poterat, plures tamen permittebantur concubinæ. Promiscuitas vero minime admittebatur; nam adulterium habebatur tamquam unum e tribus majoribus peccatis. Postea tamen viris licentia data fuit dimittendi uxorem, si hæc sterilis esset aut filias tantum peperisset, aut defectibus laboraret quos vir tolerare nequibat [3]. (d) In *Sinensi* imperio, juxta legem Confucii, una tantum accipi debet legitima uxor; divortium quidem permittitur viro, sed solum ob gravem causam a lege determinatam. (e) Apud *Græcos Romanosque*, non obstante divortio, prævalet monogamia, et adulterium etiam viri ut aliquid indecorum et turpe existimatur; spurii non sunt familiæ membra, nec in cultu domestico partem habere possunt. Attamen concubinatus sub quibusdam conditionibus lege permittitur [4].

---

[1] **P. Scheil,** *Mémoires publiés sous la direction de M. de Morgan*, t. IV, Textes élamites-sémitiques, 2e série, Paris, 1902, p. 145-150.

[2] **J. G. Wilkinson,** *A popular account of the ancient Egyptians*, London, 1854, t. II, p. 224; **Maspero,** *Histoire ancienne des peuples d Orient*, éd. in-4°, Paris, 1897, t. II, p. 502-503.

[3] **La Mazelière,** *Essai sur l'évolution de la civilisation indienne*, Paris, Plon, 1902, t. I, Introd.; t. II, pp. 15, 306 etc.

[4] **F. de Coulanges,** *La Cité antique*, I. II, ch. 2-3; **Denis,** *Histoire des théories morales dans l'antiquité*, Paris, 1856; t. I, p. 69-73. — Spartæ, juxta

Quam honorabile haberetur matrimonium apud Romanos, constat ex modo quo apud veteres jurisperitos definitur [1] : " Consortium omnis vitæ, individua vitæ consuetudo, divini et humani juris communicatio ".

Ex his testimoniis aliisque permultis quæ adduci possent, luculenter constat apud antiquas gentes non prævaluisse sexuum promiscuitatem nec unionem liberam, sed eam viri et mulieris unionem quæ ad familiam constituendam apta est.

685. 3° *Confutantur evolutionistarum argumenta.* Contendunt adversarii unionem sexuum antiquitus fuisse *liberam et promiscuam* [2], ideoque hodiernum modum contrahendi matrimonium, utpote moribus et lege civili tantum inductum, aboleri posse ac debere.

Arguunt : (**A**) ex *evolutionis* legibus : supponunt hominem e bruto descendere, et exinde inferunt primos homines a brutorum moribus non fuisse alienos, inter quæ viget unio promiscua, non autem stabilis; (**B**) e *præsenti statu incultarum tribuum* quæ, inquiunt, primitivorum hominum mores retinent; apud eas enim, aiunt, viget sexuum *promiscuitas*, aut ejusdem vestigia manent, qualia sunt : *matriarchatus* seu status in quo mater principali auctoritate gaudet in familia; praxis genealogiam filiorum non ex patribus, sed e matribus trahendi; *polygamia* et *polyandria* seu unio plurium simul mulierum cum uno viro aut vice versa; (**C**) ex quibusdam *factis antiquis*, quæ videntur esse vestigia primitivæ promiscuitatis, prout erant *sacra prostitutio*, quæ in quibusdam templis florebat, necnon *jus primæ noctis* vel praxis *hospitibus* tradendi propriam uxorem.

686. *Respondemus* autem multa ex iis quæ allegantur non esse facta universalia, sed *exceptiones*, et ex iis non inferri olim viguisse sexuum promiscuitatem aut unionem liberam; sed e contra historice constare jam a primis temporibus unionem viri et mulieris ordinatam fuisse ad familiam *stabilem* constituendam.

(**A**) Evolutio, ad quam appellant adversarii, non est factum, sed *hypothesis* quam præstantissimi *transformistæ* faten-

---

Lycurgi leges, eadem mulier a pluribus fratribus possideri poterat; cfr. **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 36.

[1] **Modestin.**, *Digest.*, XXII, 2. Cfr. § I, *Inst.*, I, 91 " ubi matrimonium dicitur : viri et mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens ".

[2] Quorum argumenta recenset et confutat **G. Fonsegrive**, *op. cit.*; cfr. **Gemelli**, *Les origines de la Famille*, Paris, 1923.

tur minime probatam esse, præsertim si de hominis origine agitur, ut dictum est in *Tr. de Deo Creante*, n. 838-839.

Inter eos vero qui putant hominem a bruto descendere, eruditissimi dicunt primos homines non fuisse promiscuitati addictos idque probant ex ipsis *legibus evolutionis*. Nam, teste *Darwin* [1], simii, ex quibus multi evolutionistæ asserunt hominem oriri, promiscuitati non indulgent, sed quidam sunt monogami, alii vero polygami. Siquidem inter eos, sicut inter homines, maxima viget quoad feminas zelotypia, et mares maximo zelo contra alios pugnant ut exclusive possideant feminas quas sibi conjunxerunt. Si igitur inter primos homines viguisset sexuum promiscuitas, hi fuissent ipsis simiis inferiores, neque esset ascensio et profectus, sed potius regressus : quod sane legibus evolutionis aperte contradicit.

687. (B) *Ex moribus autem incultarum gentium* non solum non constat primos homines promiscuitati aut unioni liberæ addictos fuisse, sed infertur inter eos contractum matrimonii *stabilem* viguisse.

Etenim, si testimonia perpenduntur eorum qui *diu*, et non paucis tantum mensibus, inter eos vixerunt, hæc notatu digna sunt : (a) promiscuitas non existit apud incultas tribus nisi rarissime, et quidem præsertim ubi perditissimi viri ex Europa morum corruptionem intulerunt; fere ubique familia habetur ut fundamentum societatis et præsidium tribus : quapropter, etiam ubi divortium et polygamia permittuntur, contractus matrimonialis *ex se* stabilis initur.

(b) Pariter *exogamia* seu praxis extra familiam et tribum quærendi uxorem [2], habitus comparandi uxorem aut dotem ei assignandi ostendunt voluntatem familiam stabilem constituendi.

(c) Strictis legibus providetur castitati puellarum et uxorum [3] : in pluribus regionibus remotissima domus cubicula inhabitant, ne ab alienis aspiciantur; alibi earum facies mutilationibus deturpatur ne aliis viris placeant; plerumque puellæ a viris seclusæ manent usque ad nuptias; quæ ante matrimonium seducuntur harumque corruptores severis pœnis plectuntur; adulteria autem omnino

---

[1] **Darwin**, *Descent of man*, P. II, ch. 19; *gallice : La Descendance de l'homme*, Paris, 1893. t. II, p. 392. Cfr. **Letourneau**, *Evolution du mariage et de la famille*, Paris, 1888, ch. 3; **Westermark**, *Origine du mariage dans l'espèce humaine*, Paris, 1895, ch. 5-6; **G. Fonsegrive**, *Mariage et Union libre*, Paris, 1904, p. 19-29.

[2] Cfr. **Mgr A. Le Roy**, *La Religion des primitifs*, Paris, 1911, p. 106-109.

[3] **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 21-29.

reprobantur et stricte puniuntur; quæ quidem omnia multum sane a promiscuitate et unione libera aliena sunt.

688. (C) *Facta ab adversariis allegata* non necessario promiscuitatem supponunt. (a) Dicunt quidem apud multas tribus *matriarchatum* in usu fuisse, et genealogias filiorum non ex viris, sed ex mulieribus deductas fuisse. — Factum hujusmodi non fuit universale, sed solum apud quasdam tribus viguit; sat facile explicatur ex eo quod, apud illas gentes, vir per longum tempus absens erat, venandi, piscandi aut bellandi causa; quapropter infantes, quorum aliquando pater incertus erat, et qui ceteroquin cum matre diutius quam cum patre cohabitabant, maternum nomen accipere solebant. Sed exinde minime sequitur promiscuitatem aut unionem liberam in usu communi fuisse.

689. (b) *Sacra prostitutio*, quæ in quibusdam templis florebat, necnon *jus primæ noctis* aut praxis hospitibus tradendi propriam uxorem, aliaque ejusmodi sunt *abusus*, qui ex innata libidine falsoque hospitalitatis conceptu oriuntur, sed dici nequeunt vestigia pristinæ promiscuitatis.

Pauca vero facta *polyandriæ* aut *promistuitatis*, quæ apud quasdam tribus allegantur, per modum exceptionis se habent, et generalem regulam stabilis matrimonii non infirmant [1] : polyandria habita est ubi feminæ numero pauciores erant quam viri; promiscuitas, ubi exstitit, satis facile explicatur ex quadam morum corruptione quin necesse sit supponere primos homines huic vitio addictos esse.

690. *Thesis II[a]* : **Matrimonii contractus quamdam stabilitatem postulat, ideoque unio libera juri naturali et divino adversatur.** Certum est [2].

N. B. Unionem liberam *juri divino* contradicere jam probatum est n. 682. Remanet igitur ut thesim probemus *philosophice* ex ipsis *finibus matrimonii.*

(A) *Primarius* matrimonii finis est *prolis procreatio* et *educatio*, ut supra probatum est, n. 675. Atqui ad utrumque

[1] Quod testatur **Westermarck**, ceteroquin evolutionista, *op. cit.*, ch. 6, p. 128-129 : " Il n'est naturellement pas impossible que, chez quelques peuples, les rapports des sexes aient approché de la promiscuité. Mais il n'y a pas un atome de preuves que la promiscuité ait jamais été une phase générale de l'histoire sociale de l'humanité. L'hypothèse de la promiscuité, au lieu d'appartenir, comme le pense Giraud-Teulon, à la classe des hypothèses que la science peut se permettre, n'a aucun fondement réel, aucun caractère scientifique ".

[2] **Card. Billot**, *De Ecclesiæ sacramentis*, th. XXXIII; **G. Fonsegrive**, *op. cit.*

requiritur *stabilis* parentum unio, nec sufficit unio promiscua aut etiam libera. Nam : (a) quoad prolis *generationem*, experientia constat feminas, quæ pluribus viris commiscentur, raro concipere; atqui unio *libera* et ad *nutum rescindibilis*, data mutabilitate humanæ voluntatis, sæpe aliquam promiscuitatem inducet ac voluntariam sterilitatem : tunc enim voluptas potiusquam proles quæritur. (b) Majorem adhuc stabilitatem requirit prolis *recta educatio :* 1) educatio *physica :* nam ultimis mensibus prægnationis, tempore partus et lactationis, femina concursu maris indiget ad suis et prolis necessitatibus providendum; 2) educatio *intellectualis* et *moralis*, ad quam puer indiget non tantum *suæ matris* amore suavi sed etiam *sui patris* severa auctoritate et prudentia.

Quod lucide exponit *S. Thomas* [1], probando, ex comparatione inter bruta et hominem, matrimonium inter homines stabile esse debere. Animadvertit siquidem animalia simul commanere quousque necessarium est ad prolis educationem et instructionem, sicut patet in quibusdam avibus, quarum pulli non statim postquam nati sunt possunt sibi cibum quærere. " Manifestum est autem, inquit, quod in specie humana, femina minime sufficeret ad prolis educationem, cum necessitas humanæ vitæ multa requirat, quæ per unum solum parari non possunt... Rursus considerandum est quod, in specie humana, proles non indiget sola nutritione quantum ad corpus, ut in animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam; nam alia animalia naturaliter habent suas prudentias quibus sibi providere possint; homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet : unde necesse est ut filii a parentibus quasi jam expertis instruantur, nec hujus instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus, et præcipue cum ad annos discretionis pervenerint. Ad hanc etiam instructionem longum tempus requiritur; et tunc etiam propter impetus passionum, quibus corrumpitur æstimatio prudentiæ, indigent non solum instructione, sed etiam repressione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est et ratio perfectior ad instruendum, et virtus potentior ad castigandum. Oportet igitur in specie humana non parvum tempus insistere promotioni prolis, sicut in avibus, sed per magnum spatium vitæ ".

691. *Objiciunt* quidem *Socialistæ* munus parvulos educandi incumbere Statui qui omnes infantes colliget et educandos nutricibus tradet.

---

[1] *Contra Gentiles*, lib. III, c. 122.

Resp. Ipsa natura manifeste ostendit physicæ ac moralis educationis opus ab *ipsis parentibus* primario peragendum esse, in quantum fieri potest. Revera natura matri ubera dedit ad lactandos filios, patri vires ad victum aliaque vitæ necessaria quærenda; utrique parenti amorem simul tenerum ac generosum, vi cujus non solum sua, sed etiam seipsos et propriam vitam pro salute prolis libenter tradunt. Idem dici potest de educatione morali : parentibus enim inditus est quidam naturalis instinctus et amor, vi cujus natorum *suorum* mentem introspicere eorumque propensiones detegere et in bonum dirigere valent; aliunde nativa quadam inclinatione infantes *suorum* parentum mandatis et consiliis libentius obediunt quam extraneorum. Officium igitur filios educandi primario parentibus incumbit, et ex ipso generationis actu naturaliter dimanat, ideoque *unionem ex se stabilem* supponit.

692. (B) *Secundarius* finis matrimonii est *mutuum conjugum adjutorium* et *concupiscentiæ remedium*, ut supra ostendimus, n. 678. Atqui hoc mutuum juvamen sibi præbere non possunt nisi contractu *ex se stabili* familiam constituere valeant, familiæque legitima gaudia percipere. Nam gaudia *egotistica*, quæ extra legitimam familiam quæruntur, brevia sunt, multis anxietatibus obnoxia, nec veram felicitatem præbent, cum semper timeatur liberæ unionis abruptio.

693. Alius *secundarius* matrimonii finis est *concupiscentiam sedare* et *refrænare*, n. 679. Atqui si admittatur *unio libera* ad nutum revocabilis, concupiscentia, nedum temperetur, haud parum augetur spe novas uniones ineundi novasque voluptates experiendi, cum maximo corporis animæque detrimento.

Inspectis igitur finibus matrimonii, sive primario sive secundariis, patet unionem conjugalem non promiscuam aut liberam esse debere, sed ea *stabilitate* gaudere quæ ad *familiam constituendam* requiritur.

Art. III. De elemento matrimonii constitutivo seu de consensu [1].

Dicemus : 1° de *ipso consensu* quatenus constituit contractum matrimonialem; 2° de *ejus dotibus*.

---

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 45-48; **Sanchez**, lib. II-V; **Salmantic.**, cap. 6-7; **Billuart.**, diss. III, a. 1-5; **S. Alphons.**, n. 885-896; **Carrière**, n. 455-505;

Consent main element.

§ I. De ipso consensu.

694. Status quæstionis. Quidam auctores antiqui docuerunt *copulam* necessariam esse ad *perfectum* matrimonium constituendum : "Sciendum est, ait *Gratianus* [1], quod conjugium in desponsatione initiatur, commixtione perficitur. Unde inter sponsum et sponsam conjugium est, sed *initiatum*, inter copulatos est conjugium *ratum*". Pauci commentatores Gratiani longius processerunt, docendo copulam requiri ad *essentiam* matrimonii. Hanc opinionem renovavit *Freisen*, scribendo contractum matrimonialem nihil aliud esse nisi promissionem futuræ copulæ, ideoque a sponsalibus non differre; matrimonium autem proprie dictum fieri per copulam affectu maritali habitam [2].

695. *Thesis :* **Elementum essentiale contractus matrimonialis est consensus partium de præsenti in vinculum conjugale, non autem copula conjugalis.** Certum est ex *Codice*, can. 1081 : "Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles legitime manifestatus : qui nulla humana potestate suppleri potest".

1° *Requiritur consensus de præsenti*, id est, juxta *Codicem* (c. 1081, § 2) "actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem". Nam, ut ait *S. Thomas* [3], "unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per ejus consensum. Sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius... cum prius uterque liberam sui potestatem haberet. Ergo consensus facit matrimonium".

696. 2° *Sufficit consensus*, nec proinde requiritur copula maritalis.

(a) Id sæpe docent *Patres*, de matrimonio inter B. Mariam et Joseph scribentes; declarant enim eos fuisse vere conjuges, etsi

---

Gasparri, n. 770-870; **Rosset**, t. I, n. 88-237; **Pesch**, n. 731-752; **Billot**, th. 34-35; **Ball. P.**, n. 262-305 (ed. 3ª); **Wernz-Vidal**, *Jus Canonicum*. t. v; *Jus Matrimoniale*, Romæ, 1928, n. 450-521; **A. de Smet**, *De spons. et matrimonio*, n. 94-99.

[1] Dictum in Caus. 27, q. 2, c. 34; cfr. c. 45. — Ibi vox *ratum* ex contextu significare videtur matrimonium quod nullo modo dissolvi potest.

[2] *Archiv für kathol. Kirchenrecht*, LIV, 1885, p. 361 sq. — Quem tamen errorem postea retractavit in eodem periodico, LXVII, 1892, p. 381 sq., et in præfatione secundæ editionis, 1893, p. XXIII-XXIV.

[3] *Suppl.*, q. 45, a. 1.

nunquam matrimonii juribus usi fuerint : ita, inter alios, *Origenes*, *S. Basilius*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus*[1]; hinc *Benedictus XIV* ait : "Qui affirmant B. Virginis matrimonium cum S. Joseph in solis sponsalibus constitisse, ii temere falsoque opinantur. Itaque pro certo tenendum est matrimonium inter eos contractum fuisse verum et ratum"[2].

(b) Idem diserte docent *Pontifices* et *Concilia*, dum statuunt matrimonium libero contrahentium consensu perfici. Ita *Nicolaus I*[3] : "Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur". Ad rem *Tridentinum*[4] : "Dubitandum non est clandestina matrimonia *libero contrahentium consensu* facta, rata et vera esse matrimonia". Postea declarat matrimonium *ratum*, non consummatum, per solemnem religionis professionem dirimi; jamvero non dirimitur contractus, nisi jam existat.

§ II. De dotibus consensus matrimonialis.

I. De dotibus consensus in genere.

Dicemus : 1° de *dotibus* hujus consensus *in genere ;* 2° de *consensu conditionato* in specie ; 3° de *vitiis* consensus.

697. Cum matrimonium sit quidam contractus, consensus in eo præstitus leges generales contractus sequitur. Quia vero est contractus *sui generis*, in quo traditur jus in ipsas personas contrahentium, de eodem quædam specialia notanda sunt. Quod declarabimus, exponendo *quo sensu* consensus matrimonialis debeat esse *maritalis*, *internus*, *mutuus* et *externe* manifestatus.

698. 1° **Maritalis**, id est, juxta *Codicem*, "actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem". Non requiritur tamen ut contrahentes cognoscant naturam copulæ et explicite velint jus ad

[1] **Origenes**, *homil. VI* in Luc., *P. G.*, t. XIII, p. 1814 sq.; **S. Basilius**, *De sancta Christi generatione*, n. 3-5, *P. G.*, XXXI, 1463-1467; **S. Ambrosius**, *De instit. virg.*, c. 6, n. 42, *P. L.*, XVI, 316; **S. Hieron.**, *Contra Helvid.*, n. 4, *P. L.*, t. XXIII, 185; **S. August.**, *De nuptiis et concup.*, l. I, n. 12, *P. L.*, t. XLIV, 420. — [2] *De Synodo diœces.*, l. XIII, c. 32, n. 13.

[3] **Mansi**, *Concilia*, t. XV, p. 403.

[4] *Trident.*, Sess. XXIV, de Reformat. matrim., c. 1.

eam tradere, sed, ex can. 1082, "necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos. — Hæc ignorantia post pubertatem non præsumitur".

699. 2° **Internus,** id est : (**a**) vere a *voluntate libera* elicitus cum ea advertentia eoque consensu qui ad peccatum mortale requiruntur. Nam matrimonium graves inducit obligationes pro toto vitæ decursu, quas nullus suscipit nisi plene consenserit. Hinc consensus semi-plenus aut in somno hypnotico datus non sufficeret. — Quod melius intelligetur ex infra dicendis de vitiis consensus. (**b**) Cum vera *intentione*, saltem implicita, *tradendi jus in proprium corpus et accipiendi jus in corpus alterius in ordine ad generationem prolis.* Quod quidem patet ex ipsa natura matrimonii; hoc enim essentialiter consistit in jure ad actus ex se aptos ad prolem generandam; et aliunde tale jus tradi nequit absque vero utriusque partis consensu. Hinc unio inter virum et mulierem inita propter alios fines, v. g., solum ad mutuum juvamen et solatium, ad pecuniam consequendam, absque intentione præfatum jus concedendi, non est vere matrimonium. Sufficit tamen consensus *implicitus*, qualis, v. g., datur ab iis qui facere intendunt quod alii nupturientes faciunt, dummodo nihil excludant eorum quæ ad essentiam matrimonii requiruntur.

700. Explicatur. (**A**) *Qui simulat consensum*, verba quidem serio et rite proferens, sed interne dissentiens, vel jocans, *invalide contrahit.* Unde non potest licite uti matrimonio; altera vero pars, quæ verum consensum præstitit, non tenetur credere simulanti dicenti se non consensisse, sed debitum petere potest; qui ficte consensit petenti reddere non potest, quin consensum verum præstet et sic matrimonium convalidet.

(**B**) *In foro externo præsumitur consensum serio externe datum, esse verum et internum,* nisi contrarium probetur certis argumentis. (*Codex*, c. 1086).

Quæ probatio omnino difficilis est; non enim sufficit affirmatio etiam jurata simulantis, vel etiam utriusque conjugis; sed duo præterea requiruntur : (**a**) explicari debet simulationis causa seu moti-

vum, v. g., probari debet consensum metu vel dolo extortum fuisse, aut simulantem nihil aliud voluisse nisi pecuniam obtinere vel puellam seducere; (b) simulatio ipsa demonstrari debet ex variis circumstantiis præcedentibus, comitantibus aut subsequentibus matrimonium, quæ tales sint ut fictionem moraliter certam reddant; quod fieri potest, v. g., sive litteris sive verbis, coram testibus prolatis, hanc intentionem clare manifestantibus [1].

701. (C) *Qui ficte tantum consentit, seu simulat consensum, mortaliter peccat, nisi gravissima excusetur ratione.*

Nam, etiamsi admittatur cum pluribus theologis in hoc casu non committi sacrilegium proprie dictum [2], certo tamen peccatum committitur contra *veritatem*, alteram partem et testes decipiendo; contra *justitiam*, grave damnum inferendo alteri parti, quæ innupta manebit, si fraus probari nequeat, vel nonnisi ægre alias nuptias contrahet, si fraus detegatur; contra *castitatem*, si intendatur consummatio hujus ficti matrimonii.

Excusatur tamen a peccato qui consensum simulat propter gravem ac urgentem rationem, v. g., propter gravem metum, vel ad vitandum scandalum, si paulo ante matrimonii celebrationem detegatur impedimentum dirimens, a quo dispensatio obtineri nequeat, etiam in casu urgente, et aliunde cæremoniam differre moraliter sit impossibile.

702. (D) *Gravis injuria hujusmodi deceptione illata ex justitia reparari debet*, quando deceptor est causa injusta, efficax et culpabilis damni quod patitur pars innocens.

(a) Sæpe damnum reparari nequit nisi verum consensum præbendo et ita matrimonium revalidando; cum enim difficile sit et aliquando impossibile fictionem probare in foro externo, pars innocens ad alias nuptias transire prohibetur, eique fit continuata injuria, nisi matrimonium revalidetur. — Revalidatio sufficit occulta, si occulta fuerit simulatio. Sufficit ergo ut qui ficte consensit, altero inscio, det verum consensum, quin moneatur alter. (*Codex*, c. 1135-1136).

(b) Deceptor tamen non tenetur deceptam partem ducere, quoties id moraliter impossibile est, v. g., quia alterutra pars jam aliud

---

[1] Exempla habes ap. **Gasparri**, nn. 801 et 804; *A. S. S.*, t. XVIII, p. 14; t. XXII, p. 529; t. XXIII, p. 14; *A. A. S.*, III, p. 525.

[2] Ad simulationem sacramenti requiritur ut aliqua pars essentialis ponatur, altera omissa vel mutilata; jamvero qui consensum simulat, neque materiam neque formam sacramenti ponit, cum utraque in ipso consensu constet; ergo proprie non simulat sacramentum, neque ex hoc capite sacrilegii reus est. Cfr. **S. Alphons.**, n. 62.

validum inivit matrimonium, vel si infelices timeantur exitus, quia deceptor multo altioris conditionis est; — aut quando damnum allatum alio modo compensari potest et pars læsa hanc compensationem admittit; — vel si deceptor ipse gravi metu ad contrahendum inductus fuerit; — aut si ratione agendi manifesta signa ficti consensus dederit.

703. 3° **Mutuus,** seu ab utraque parte datus et acceptatus; nam hic agitur de contractu *bilaterali*, quo mutua jura traduntur et accipiuntur, et mutuæ obligationes suscipiuntur; atqui hæc duo supponunt utriusque consensum, cum nemo jura tradere et obligationes suscipere possit, nisi velit.

Mutual rights — give & receive

Requiritur proinde ut consensus *unius alteri intimetur ab eoque acceptetur;* sed disputatur utrum necesse sit ut ipsa acceptatio consensus *alteri intimetur.* Res controvertitur sicut pro omnibus contractibus. Multi auctores et graves[1] requirebant intimationem consensus. At res jam parum in praxi importat, ex quo matrimonium per epistolam contrahi nequit, sed contrahentes debent esse præsentes per se ipsi vel per procuratorem (*Codex*, c. 1088).

Nec requiritur ut utriusque consensus eodem instanti detur; sed sufficit illa moralis unio, quæ existit quoties consensus ab uno datus adhuc perdurat tempore quo alter suum consensum præbet. Quamdiu autem consensus semel elicitus perseveret, utrum scilicet per annum aut diutius, non potest absolute determinari, sed ex variis adjunctis pendet, et prudentium judicio relinqui debet. In foro *externo* consensus præsumitur retractatus, si altera pars diutius tardat.

704. 4° **Externe et legitime manifestatus:** hoc enim exigit natura contractus, qui inter homines non valet nisi exterius exprimatur; necnon natura sacramenti, quod in signo sensibili consistit. Additur: *legitime*, id est, secundum leges.

Jamvero jure naturali ac divino quæcumque signa, consensum clare manifestantia, sufficiunt; jure ecclesiastico *verba* adhiberi debent, quoties contrahentes loqui possunt: "Sponsi matrimonialem consensum exprimant *verbis;* nec æquipollentia signa adhibere ipsis licet, *si loqui possint*" (*Codex*, c. 1088, § 2). Parochus

[1] Lugo, Sanchez, D'Annibale, Gasparri.

ergo exigat ut nupturientes consensum *verbis* exprimant, si possunt, et quidem clare, ut ita pluribus dubiis et cavillationibus occurrat. Id tamen non requiritur sub pœna nullitatis.

705. Valide igitur et, justa accedente causa, licite exprimitur consensus variis signis quæ in aliis contractibus sufficiunt; videlicet : —

(A) *Verbis*, quæ, juxta receptam significationem, consensum matrimonialem *de præsenti* exprimant, v. g., *accipio te in uxorem, in meam; in maritum, in meum; contraho tecum matrimonium*, etc. — Dicitur "*de præsenti*", quia consensus de *futuro* solummodo *sponsalia* significat. Attamen quandoque verba, quæ, prout sonant, de futuro esse videntur, sufficienter ex circumstantiis consensum de præsenti designant, v. g., *ex tunc, deinceps te habebo in uxorem.* Si verba sunt ambigua, sensus in foro interno ab intentione loquentis pendet; in foro externo ex circumstantiis determinandus est.

(B) *Signis aut factis*, v. g., si parocho interroganti mulier annuit caput inclinando.

(C) Per *epistolam* valide contrahebatur ante Codicis promulgationem; sed, ex *Codice*, c. 1088, id fieri nequit, cum contrahentes debeant esse præsentes *per se* vel *per procuratorem.* Quod quidem sapienter statutum est quo facilius præcaveantur fraudes.

706. (D) Per *procuratorem* vel per *interpretem* matrimonium contrahi potest; parochus autem ne assistat nisi "adsit justa causa, et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia"[1].

Ut matrimonium *per procuratorem valide* ineatur, "1) requiritur mandatum *speciale* ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus; 2) si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est; 3) si antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens hæc ignoraverint; 4) ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi"[2]. Insuper *diœcesana statuta*, si quæ sint, sedulo serventur.

---

[1] *Codex*, c. 1091. — [2] *Codex*, c. 1089.

II. De consensu conditionato[1].

707. 1° **De ejus liceitate.** Cum matrimonium sit contractus, nil *per se* prohibet quin sub conditione iniri possit, dummodo conditio substantiæ matrimonii non repugnet. Attamen regulariter hujusmodi nuptiæ permittendæ non sunt, tum quia *Rituale Romanum*, formam matrimonii tradens, non aliam describit nisi absolutam; tum quia maxima incommoda ex adjectis conditionibus oriri solent, cum exinde quædam matrimonia dubia evadant, et aliunde contrahentes periculo exponantur liberius vivendi ante conditionem impletam. Possunt tamen permitti gravissima de causa et accedente Episcopi consensu; imo, si agitur de revalidando matrimonio dubie contracto, conditio apponi debet.

708. 2° **De ejus validitate.** Præ oculis habeatur can. 1092 *Codicis* : "Conditio semel apposita et non revocata : 1° si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adjecta habeatur; 2° si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum; 3° si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit; 4° si de præterito vel de præsenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, existit vel non". Hic multiplici distinctione opus est.

(**A**) *Si conditio sit de præterito vel de præsenti*, sive sit honesta sive non, (**a**) matrimonium statim valet, si conditio verificatur; et statim invalidum est, si non impletur; v. g., contraho tecum si pater meus mortuus est, vel si vere inimicum meum occidisti, aut si tu es virgo, etc. In his aut similibus casibus consensus veluti alligatur conditioni, proindeque contractus conditionalis statim in absolutum transit si in illo instanti ipsa conditio impleta est. Aliunde, cum hæc sit de præterito aut de præsenti, non est timendum quod appositio conditionis, etiam minus honestæ, sit incitamentum ad crimen.

(**b**) Quamdiu autem ignoratur utrum conditio impleta fuerit an non, matrimonio uti non licet, propter periculum

[1] **A. de Smet**, n. 151-156; **Prümmer**, n. 661-664; **Genicot**, 458-460.

fornicationis, nisi tamen maxima sit præsumptio impletæ conditionis [1].

(c) In foro externo, si conditio non fuerit explicite deducta in pactum in ipso matrimonii actu, difficile est ejus existentiam probare [2], et ut matrimonium ex hoc capite nullum declaretur, tria clare demonstrari debent : veram conditionem *sine qua non* appositam fuisse, — eamdem non fuisse revocatam ante matrimonii celebrationem, — eamque impletam non esse.

709. (B) Si conditio sit *de futuro*, pariter distinguendum est : —

(a) Si sit de eventu futuro *honesto et possibili* (v. g., duco te, si pater consenserit), matrimonium in suspenso manet donec conditio verificata fuerit; impleta autem conditione, validum fit matrimonium, dummodo consensus antea datus perseveret. Hoc in casu matrimonium valet absque ulla consensus renovatione, juxta communem et in praxi tutam sententiam, quam Rom. Congregationes in suis decisionibus sequuntur [3]; nam matrimonium, etiamsi ad dignitatem sacramenti evectum sit, rationem habet contractus, ideoque adveniente conditione perficitur, sicut ceteri contractus conditionales.

Attamen melius est, juxta omnes, impleta conditione, renovare consensum. Imo id *necessarium* est si matrimonium contractum fuerit sub hac conditione. "Si Papa dispensaverit a tali impedimento dirimente"; nam qui ita contrahunt, ad matrimonium inhabiles sunt ante obtentam dispensationem, ac eorum consensus est *juridice* nullus, utpote inter personas de jure inhabiles.

710. (b) Si conditio sit de eventu futuro *impossibili*, vel *inhonesto*, vel *necessario*, *non tamen contra matrimonii substantiam* (v. g., si montem aureum afferas, si fratrem occideris, si cras sol oriatur), validum est matrimonium, et conditio pro non adjecta habetur. Præsumitur enim contrahentes serio contrahere voluisse, nec consensum

[1] Cfr. *A. A. S.*, II, p. 961 sq.; **A. de Smet**, *op. cit.*, n. 237.
[2] Quod **Gasparri** variis exemplis illustrat, n. 869.
[3] Cfr. **Fagnanus**, *Commentar.*, cap. 5, De Conditionibus...; **Gasparri**, n. 850.

tali conditioni alligavisse. — Hæc est tamen solummodo *præsumptio juris*, quæ probationem in contrarium admittit in foro *interno;* unde si contrahens huic conditioni consensum alligavit, matrimonium est nullum si non impletur conditio, validum autem impleta conditione. Sed in foro *externo*, (juxta can. 1092, 1°) probatio in contrarium non videtur unquam a judice admittenda, ne jocus aut prava intentio contra matrimonium prævaleat.

711. (**c**) Si conditio sit de *eventu futuro contra substantiam matrimonii* (i. e., contra bonum prolis, ejus nempe generationem aut conservationem, contra unitatem vel indissolubilitatem matrimonii); et *in pactum deducatur* a duobus contrahentibus, invalidum est matrimonium ex can. 1092, 2°. Insuper, ex can. 1086, § 2, etiamsi in pactum non deducatur, modo eidem consensus expresse ab alterutro alligetur, invalidum est matrimonium. Nam dicitur: "At si alterutra pars vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne jus ad conjugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit". Tunc enim excluditur una saltem ex essentialibus matrimonii proprietatibus.

Si autem *consensus ei non alligetur*, sed sit *simplex modus* aut *clausula*, matrimonium censetur validum. Nam in conflictu duarum intentionum sibi invicem oppositarum, ea est efficax quæ in mente contrahentium prævalet; atqui in præsenti casu duplex est intentio opposita, scilicet intentio nubendi et simul aliquid faciendi matrimonii essentiæ contrarium; aliunde intentio nubendi ex communiter contingentibus in mente sponsorum prævalet; ergo vere efficax est et matrimonium contrahitur. Hæc est tamen præsumptio, quæ veritati cedit, quando aliunde certo constat.

Rem exemplis declaremus. 1) Si intentio exprimitur contra *bonum prolis*, v. g., "generationem prolis vitabimus donec ditiores evaserimus, — post unum vel alterum filium prolem excludemus"; conjugum intentio exploranda est: si intendant jus ad legitimum usum matrimonii excludere, contractus est invalidus, quia non concedunt jus perpetuum in proprium corpus in ordine ad generationem, quod tamen ad essentiam matrimonii essentiale est; si vero, ut plerumque fit, prævaleat intentio illud jus tradendi, cum secundaria intentione matrimonio abutendi, contractus valet.

2) Pariter, ubi divortii lex viget, si nupturientes contrahunt cum intentione solvendi matrimoniale vinculum in casu adulterii [1], vel discordiarum, eorum voluntas exploranda est. Si nubere *nolint* nisi divortium eis permittatur, matrimonium est invalidum; non enim consentiunt in vinculum perpetuum, quod de essentia matrimonii est; si vero ita sunt dispositi ut nubere vellent, etiamsi divortium prohiberetur, contractus valet [2].

3) Idem dicendum est de intentionibus contra matrimonii unitatem, v. g., mihi licebit aliam uxorem sumere, — pro pecunia te prostitues. — In *singulis casibus* investigatio facienda est ad detegendum utrum necne huic conditioni consensus alligatus fuerit, et hæc non potest generali præsumptione suppleri. Ad intentionem vero contrahentium detegendam non solum consideranda sunt verba quibus consensus fuit expressus, sed etiam facta et circumstantiæ, ex quibus sensus verborum dignosci valet [3].

Quando autem dubium superest, standum est pro valore matrimonii, donec S. Sedes aliter decreverit; nam ex can. 1014, "matrimonium gaudet favore juris". Si conjuges consensum renovare velint, id omnino suadendum est.

712. (d) Si apponatur *honesta conditio perpetuo ab usu matrimonii abstinendi*, v. g., ad castitatem servandam, controvertitur utrum matrimonium sit validum necne. 1) Non pauci affirmant, quia conferri potest *jus* in proprium corpus et simul excludi *exercitium* juris, propter bonum motivum [4] : tunc enim adest *jus radicale*, quamvis *ligatum*, et hoc sufficit ad essentiam matrimonii. Hoc modo facile explicatur quomodo verum fuerit matrimonium inter B. Virginem et S. Joseph, quamvis virginitatem voverint. 2) Alii autem negant [5]; nam jus est potestas utendi; jamvero si prohibeatur hujusmodi potestas, nullum jus confertur. Ceteroquin matrimonium B. Virginis cum S. Joseph fuit validum : nulla enim conditio fuit apposita, sed B. Virgo divinitus certior facta est S. Joseph sibi proposuisse virginitatem servare, et ideo nuptias absolute contrahendo, periculo votum violandi minime se commisit.

---

[1] Ita *Cong. S. Offic.* declaravit, 20 maii 1754, invalidum esse matrimonium coram ministro Calvinista initum, eo quod hic soleat uti formula perpetuitati matrimonii contraria, ap. **Gasparri**, n. 854. Vide etiam *Instruct. S. Offic.* ad Ep. S. Alberti, 9 dec. 1874, *Collect. P. F.*, n. 1301.

[2] Ita *S. Cong. Concil.*, 31 jan. 1891, validum esse declaravit matrimonium, in quo sponsus nonnisi *solubilem* nexum contrahere voluerat sed tamen vere nubere. Cfr. *Acta S. Sedis*, t. XXIII, p. 711-736.

[3] Ita *Cong. S. Officii*, 1877, *Collect. P. F.* n. 1302.

[4] **Palmieri**, *De Matrim.*, p. 17; **Ball. P.**, n. 225-233; **Gasparri**, n. 858.

[5] **S. Thom.**, 4, dist. 30, q. 2, a. 1, quæstiunc. 3, sol. 2; **Bened. XIV**, *De Synodo*, l. XIII, c. 22, n. 10; **D'Annibale**, III, 443, not. 4.

In praxi autem non permittatur hujus conditionis appositio nisi gravi de causa et de consensu Ordinarii.

713. **Corollarium.** Ex his principiis solvi potest quæstio *num validum sit matrimonium ab eo contractum qui falso putat se dirimente impedimento ligari.* Quidam *negant*, quia non potest quis serio velle id quod est impossibile : porro qui certus est se hujusmodi impedimento laborare, eo ipso novit matrimonium esse impossibile. Alii autem *communiter affirmant* posse aliquando valere; nam, ex can. 1085, "scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem non excludit". Unde *in praxi* inquirendum est quid *de facto voluerint contrahentes :* si vere *nubere* voluerint, in quantum poterant, matrimonium est validum; si vero *concubinatum* quæsierint, matrimonium est nullum.

III. De vitiis consensus.

Quatuor sunt : *amentia, error, conditio, vis et metus.*

1° De amentia[1].

714. (A) *Perpetua et absoluta amentia jure naturali dirimit matrimonium;* nam, ex dictis supra (n. 699), ad validitatem matrimonii requiritur *liber* ac proinde *rationabilis* consensus, cujus perpetuo et absolute amentes omnino incapaces sunt. — Si vero amentia non sit perpetua, ac matrimonium tempore quo uterque conjux mente sanus erat initum fuerit, per subsequentem amentiam non dissolvitur.

(B) Qui vero *lucida habent intervalla*, valide quidem contrahunt tempore quo rationis usu gaudent; sed *regulariter* a matrimonio avertendi sunt, ob mala quæ exinde sequuntur ac difficultatem rite educandæ prolis. Dicitur *regulariter*, quia hæc matrimonia permitti possunt ob gravem causam, v. g., ad reparandum puellæ honorem, ratihabendam civilem unionem, vel legitimandam prolem; id tamen generatim non fiat inconsulto Episcopo.

Si dubitatur utrum matrimonium contractum fuerit tempore amentiæ an lucido intervallo, generatim præsumitur initum tempore amentiæ, proindeque invalidum, quia lucida intervalla *per accidens* occurrunt, ac proinde probari debent.

(C) *Dementes*, seu *monomaniaci*, qui circa unam vel alteram rem insaniunt, et in aliis ratione pollent, probabilius habiles sunt ad

[1] *Decret.*, lib. IV, tit. I, cap. 24; **S. Thom.**, *4 Sentent.*, dist. XXXIV. q. 1, a. 4; **Sanchez**, lib. I, disp. 8, n. 82-87; **Schmalzgr.**, lib. IV, t. I, n. 14-17; **Carrière**, n. 827; **Gasparri**, II, n. 779-781.

matrimonium, dummodo jura et officia conjugii intelligant; sed a connubio avertendi sunt, in quantum fieri potest, propter incommoda quibus altera pars et proles nascitura obnoxiæ erunt [1].

715. (D) *Fatui* vel *stupidi*, si sufficienti pollent discretione, ita ut jura et onera matrimonii intelligant, valide contrahere possunt; sed, cum facilius decipiantur, facilius etiam probatur eorum consensum errore vitiatum fuisse.

(E) *Surdo-muti*, rite instituti, capaces sunt nubendi. Si vero capaces non sunt graviter peccandi, neque habiles censentur ad contrahendum.

Qui vero a nativitate *simul surdi*, *muti* et *cæci* fuerunt, generatim matrimonii incapaces sunt, nisi tamen speciali methodo instructi fuerint [2].

716. (F) *Ebrii*, qui vere rationis usu pro tempore carent, necnon dormientes, licet somnambuli, matrimonium inire non valent tempore ebrietatis vel somni.

Si vero matrimonium per procuratorem fiat, valide contrahitur etiam in casu quo mandans est ebrius vel dormiens nuptiarum tempore, dummodo rationis usu gauderet quando mandatum dedit.

2° De errore [3].

Error matrimonium invalidans triplex esse potest : 1° circa *naturam* vel *essentialem proprietatem* matrimonii; 2° error circa *personam;* 3° error circa *qualitates personæ.*

717. (A) *Error circa* naturam vel essentialem proprietatem *matrimonii.*

(a) *Invalide matrimonium contrahit qui ignorat matrimonium esse societatem permanentem ad filios procreandos;* non potest enim *tribuere jus in proprium corpus*, quando putat matrimonium esse amicalem quamdam societatem, non autem unionem stabilem ad filios generandos; tunc enim deficit matrimonialis consensus.

---

[1] Generatim leges civiles talia matrimonia ut invalida habent.

[2] Quidam enim ex his revera instructi sunt, ut videre est ap. **L. Arnould**. *Ames en prison*, 9e éd., Paris, 1819; cfr. **Dickens**, *American Notes*, ch. III, ubi describitur quomodo *Laura Brigdman*, puella omnibus sensibus, excepto tactu, destituta, optime educata fuerit.

[3] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 51; **Reiffenst.**, l. IV, t. I, n. 342-350; **Schmalzgr.**, l. IV, t. I, n. 433-461; **Sanchez**, lib. VII, disp. 18; **S. Alphons.**, n. 1009-1016; **Carrière**, n. 631-634; **Baller.**, **P.**, n. 601-610, ed. 3; **Feije**, n, 105-118; **Gasparri**, II, 782-793; **A. de Smet**, II, n. 523-531.

Non requiritur tamen ut nupturientes sciant prolem per copulam generari, sed sufficit ut noverint matrimonium ad prolem habendam per quamdam unionem corporum contrahi. Insuper hæc ignorantia non præsumitur in puberibus (*Codex*, c. 1082).

(b) Ex can. 1084 "simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem". Si vero actu positivo voluntatis *excludatur* essentialis proprietas, matrimonium est nullum, supra n. 711.

718. (B) *Error* **circa personam** existit quando quis contrahere volens cum una, v. g., Magdalena, ducit aliam, v. g., Mariam.

Error circa personam, sive vincibilis sive invincibilis, sive antecedens sive concomitans, jure naturali dirimit matrimonium, nisi intentio contrahentis sit nubere personæ præsenti quæcumque sit : "Error circa personam invalidum reddit matrimonium". (*Codex*, c. 1083.)

Etenim matrimonium est contractus cum persona determinata, et persona ipsa est vere *contractus objectum*, proindeque ad ejus substantiam spectat : jamvero qui errat circa personam, et ducit Mariam, quam putat esse Magdalenam, non consentit in personam cum qua contrahit, sed in aliam, proindeque vitiatur consensus. Ita quando Jacob nupsit Liæ, putans eam esse Rachel, matrimonium fuit nullum, quamvis postea illud ratum habuerit novo consensu.

Exceptio pariter intelligitur; nam, si quis ducere velit mulierem præsentem, quæcumque sit, in præsentem personam vere consentit, quamvis erronee existimet eam esse Cæciliam, dum revera est Agnes.

719. (C) *Error circa personæ qualitates vel fortunam per se non invalidat matrimonium* : "Error circa qualitatem personæ, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum : 1° si error qualitatis redundet in errorem personæ; 2° si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva servitute proprie dicta". (Can. 1083, § 2).

Ratio est quia consensus matrimonialis *per se* terminatur in personam ipsam; et, quamvis ejus qualitates promptiorem et pleniorem reddant consensum, tamen eum non determinant; ideoque consensus existit, etiamsi hæ qualitates desint. Secus, multa matrimonia essent invalida, cum sæpe absint qualitates quæ adesse putabantur. — Valide igitur contrahit qui ducit personam quam putat esse nobilem, divitem, virginem, — dum revera est plebeia, pauper, corrupta.

Dictum est *per se*, quia *per accidens* error circa qualitates vel fortunam invalidat matrimonium in triplici casu :

(a) Si consensus alligatur existentiæ illius qualitatis, v. g., volo ducere Mariam, dummodo sit nobilis, ut constat ex dictis ubi de conditionali consensu, n. 708.

(b) Si error qualitatis *redundat in errorem personæ;* quod fit, quando qualitas ita est determinativa personæ, ut contrahens ducere nolit nisi personam tali qualitate præditam; v. g., Titius vult contrahere cum primogenita Petri, sibi ignota; de facto ducit Rosam, quæ falso se dicit Petri primogenitam; contractus est invalidus cum revera consensus Titii alligetur qualitati *primogenitæ Petri*, quæ in casu deficit [1]. — Si, detecto errore, consensus renovatur, matrimonium fit validum absque dispensatione; si vero non renovatur, partes separari debent.

Ex dictis igitur constat errorem in his variis casibus nuptias irritare *jure naturali*, ideoque esse impedimentum de quo Ecclesia dispensare nequit.

720. (c) Si persona *libera ducit personam servilis conditionis, putans eam esse liberam.* — Si vero hujus servilem conditionem cognoverit, et voluerit tamen eam accipere, nuptiæ validæ sunt [2]. Proinde matrimonium inter duos servos validum est.

Servitus, de qua agitur, est servitus *proprie dicta*, non autem conditio eorum qui voluntarie ad servitium aliorum se obstringunt. Et cum servitus jam non existat apud christianas gentes, hoc impedimentum ad praxim non spectat nisi in Missionibus.

Hoc impedimentum multo probabilius est *juris ecclesiastici* tantum, quia error in quo fundatur, versatur solum circa qualitates

---

[1] **Bangen.** II, 18, rem illustrat exemplo. Comes A ducere volebat unicam filiam comitis B., sibi ignotam; de facto contrahit cum muliere cubiculari hujus filiæ, quæ fingit se esse filiam comitis B : contractus est invalidus.

[2] *Decretal.* lib. IV, tit. 9, de conjugio servorum; **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 52; **Reiffenst., Schmalzgr.**, aliique Canonistæ in tit. 9 lib. IV; **Sanchez**, lib. VII, disp. 19; **S. Alphons.**, 1017-1023; **Carrière**, II, n. 636-638; **Ball. P.**, n. 611-619, ed. 3; **Feije**, n. 119-124.

personæ; proinde non ligat infideles. Merito autem Ecclesia illud statuit, quia conditio servilis, quamvis non excludat essentialia matrimonii bona, eis tamen adversatur, quatenus servus non potest, invito domino, cum conjuge habitare, nec prolem rite educare.

3° De vi et metu[1].

721. (A) Notio. Vis et metus unicum censentur esse impedimentum : vis est coactio *physica*, dum metus oritur a coactione *morali* : utrumque perfectæ libertati consensus nocet.

(**a**) Vis *jure naturali* matrimonium invalidat, quando talis est cui resisti non possit; v. g., si quis physice cogat Semproniam ad exterius exprimendum signo capitis matrimonialem consensum, deficit interior consensus, ideoque jure naturali invalidum est matrimonium. Quandoque tamen vis sumitur pro *coactione morali* et tunc a metu non differt.

(**b**) Metus est trepidatio mentis, instantis vel futuri periculi causa. Duplex est ratione *intensitatis* : *gravis* vel *levis*, prout trepidatio mentis multum perturbat mentem vel non; generatim grave malum gravem trepidationem inducit, præsertim quando apprehenditur ut imminens. Gravis est *absolute*, quando talis est ut possit serio perturbare etiam constantem virum; *relative*, quando attentis omnibus circumstantiis sexus, ætatis, indolis, graviter turbare valet personam de qua agitur.

722. (B) Status quæstionis. De metu qui omnino perturbat mentem non movetur quæstio, nam tunc non habetur verus consensus. Agitur tantum de metu qui minuit voluntarium, ita ut sit deliberatio et consensus, sed consensus procedit *ex metu*, et actus est imperfecte voluntarius.

Quod talis metus invalidet matrimonium probatur ex juris textibus, tum *Decretalium* (lib. IV, tit. 1), tum *Codicis*, can. 1087 : " Invalidum ... est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et injuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium. Nullus

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 47, a. 1-4; **Sanchez**, lib. IV; **Reiffenst.**, lib. IV, tit. 1, n. 325-341; **Schmalzgr.**, ibid., n. 384-432; **S. Alphons.**, n. 1045-1047; **Carrière**, n. 766-785; **Ball. P.**, n. 737-762, ed. 3; **Feije**, n. 125-144; **Mansella**, p. 12-16; **Gasparri**, n. 805-826; **Genicot**, n. 463.

alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert".

Principium hoc esse videtur a legislatore usurpatum: Ille metus matrimonium irritat qui alios contractus facit rescindibiles.

723. (C) Conditiones requisitæ ut metus matrimonium invalidet. Quatuor requiruntur : metus *relative gravis*, — a causa *extrinseca et libera* incussus, — *injuste*, — *a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.*

(a) *Metus gravis relate ad personam contrahentem;* unde in singulis casibus judex explorare debet utrum necne metus gravem mentis trepidationem causaverit.

Jamvero metus gravis censetur quando hæc duo simul concurrunt : malum grave relate ad personam de qua agitur, et persuasio illud esse imminens. 1) Malum debet esse *grave relate ad personam contrahentem.* Quædam sunt mala quæ ut gravia pro omnibus a jure habentur, qualia sunt mors, mutilatio, cruciatus corporis, exsilium, incarceratio, amissio libertatis, amissio omnium bonorum temporalium vel notabilis partis eorumdem, amissio magni lucri ad quod jus habetur, infamia juris aut facti, comminatio stupri, excommunicatio injusta, aliaque hujusmodi mala quæ non solum ipsi personæ impendent, sed etiam ejus parentibus, consanguineis, affinibus aut domesticis. Hæc omnia præsumuntur gravia etiam relate ad illam personam, nisi, attenta ejus indole, contrarium constet; ita comminatio carceris pro paucis diebus parum movet virum perditissimum jam pluries in carcere detentum; inclusio temporanea in monasterio parum terret puellam solitudinis amantem. — Insuper alia sunt mala, quæ licet in se levia, gravia sunt relate ad ætatem, sexum vel indolem personæ; unde judex, ad judicandum de gravitate metus, ad tria præsertim attendet : ad *personam quæ minatur*, utrum sit irascibilis, violenta ac magna auctoritate polleat; ad *personam cui metus injicitur*, utrum sit pavida, tremebunda; ad *minas ipsas*, utrum talis sint naturæ ut personam valde afficiant.

2) Insuper malum grave apprehendi debet ut *imminens;* si enim sit remotum, vel facile præcaveri possit, sive proprio marte sive amicorum ope; vel si persona minitans non possit aut saltem non soleat minas executioni mandare, metus non censetur gravis, cum facile despiciatur.

Hinc etiam metus *reverentialis*, quo quis parentum vel domini indignationem timet, quamvis absint verbera et minæ, aliquando gravis habetur, præsertim si talis indignatio sit diuturna. Sed in

foro externo non præsumitur gravis, nisi accesserint jurgia, minæ aut saltem preces importunæ et instantissimæ [1].

In dubio autem utrum metus fuerit gravis an levis, censetur esse levis, quia causa matrimonialis est favorabilis, et in dubio standum est pro valore matrimonii [2]. Aliunde si metus fuisset gravis in foro interno, matrimonium validari potest liberum consensum postea præbendo.

724. (b) *Metus incussus a causa extrinseca et libera*, non autem a causa *intrinseca* vel *necessaria;* hinc valet matrimonium initum metu *inferni*, ut quis suæ conscientiæ consulat, — vel metu *mortis* aut *morbi*, v. g., si quis a medico didicit matrimonii usum sibi necessarium esse ad sanitatem servandam. In his enim et similibus casibus, contrahens non ab alio, sed a seipso ad nuptias impellitur, quatenus intelligit rationi consentaneum esse connubium eligere ad majus malum vitandum.

725. (c) *Injuste incussus;* jamvero ita est, si malum quod alius minatur non proportionatur delicto. Si enim juste metus incutiatur minando justam pœnam, plena libertas consensus etsi minuatur, juste metuitur nec proinde matrimonium invalidum redditur; nam, ut ait *d'Annibale*, qui timet in hoc casu " ipse sibi metum infert ".

1) Ita validæ sunt nuptiæ, si judex competens, servato juris ordine, stupratorem comminatione carceris cogit ad ducendam mulierem quam vi cognovit [3]; pariter si quis, post copulam sub promissione nuptiarum obtentam, saltem ante Codicem eamdem ducere compulsus est; aut si juvenis, cum puella fornicans deprehensus, a patre inducitur, sub comminatione accusationis apud judicem, ad contrahendum cum ea.

2) E contra nullum est matrimonium, si pater stupratori dicat : nisi ducas filiam meam, te occido (quia jus non habet occidendi);

---

[1] De quo vide casum Principis de Monaco, *Acta S. Sedis*, XII, p. 403-422; aliosque casus, *Acta*, XI, p. 338-347; XXXII, p. 727-745; XXXIII, p. 130-160; ex quibus constat non facile probari metum in foro externo.

[2] *Codex*, c. 1014.

[3] Lex hujusmodi de facto existit in multis *Americæ Statibus;* quando casus occurrit, sacerdos sedulo juvenis voluntatem exploret; sunt enim qui *simulent* consensum, ut carcerem evadant, absque intentione nubendi; serio moneantur id esse sacrilegium, et eos teneri vel abstinere a nuptiis, vel serio consensum dare. Cfr. *Amer. Eccles. Review*, XVIII, 1898, p. 530.

si judex, secundum acta et probata, juvenem cogit ad contrahendum cum puella, quia putatur seductionis reus, dum revera innocens est; aut si alio injusto modo, ex metu carceris, privationis officii, etc., quis compellitur ad nubendum.

3) Quando metus juste incutitur *in se*, sed non *quoad modum*, quia videlicet ordo juris non est servatus, controvertitur utrum nuptiæ sint validæ; probabilius negatur : sufficit injustitia sive in substantia, sive in modo. Ita *Wernz-Vidal*, *Cappello*, *Vermeersch*.

726. (d) *Metus ita incussus ut ab eo quis se liberare nequeat nisi eligendo matrimonium.* (Can. 1087).

1) Certo invalidum est matrimonium quando metus incutitur sive ab altero contrahente sive a tertia persona, *directe* in ordine ad matrimonium; v. g., si Caius dicit Marthæ : nisi mihi nubas, te occidam; vel si Titius Marthæ dicit : nisi Caio nubas, te occidam; nam in utroque casu *cogitur* innocens *eligere matrimonium*, et non est pro eo alia via se liberandi.

2) Si vero metus infertur *propter aliud motivum*, sed pars persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat, probabilius (imo, certo, juxta *Gasparri*) invalidum est matrimonium. "Jure Codicis matrimonium est certo invalidum : 1) Si Titius aggreditur Caiam ut eam interficiat; Caia, ut mortem effugiat, offert nuptias; Titius acceptat; 2) Si pater Titium, stupratorem filiæ suæ Annæ, vult interficere ad vindictam criminis et offensæ; Titius, ut sese liberet, nuptias proponit cum Anna; pater acceptat; 3) Si mulier infirma, cum medicus curationem ex officio et justitia debitam eidem denegaverit ex odio, ignavia, aliave causa, promittit matrimonium eidem vel ejus filio, ut sic medicus ad præstandam curationem adducatur; medicus assentitur". (*Gasparri*, ed. 1932, II, p. 61).

727. (D) **Quo jure metus matrimonium dirimit?** (a) Si trepidatio mentis ita tollit libertatis usum ut non sit sufficiens libertas ad peccatum mortale, *jure naturali* invalidat matrimonium, quia consensus non est liber.

(b) Si vero, etiam sub metu, voluntas ea libertate gaudeat quæ ad peccatum mortale sufficiat, prout sæpe contingit, controvertitur; 1) quidam, cum *S. Thoma*, affirmant impedimentum a *jure naturali* procedere, quia matrimonium est vinculum perpetui amoris, ad quod requiritur plenus et per-

fectus consensus, eo magis quia contractus semel initus est indissolubilis; 2) multi cum *Sanchez*, tenent illud esse solum *juris ecclesiastici*, quia libertas ex tali metu minuitur, sed non tollitur. — Quidquid sit, in praxi Ecclesia non solet in eo dispensare, sed vult ut renovetur consensus, vel ut dissolvatur matrimonium.

728. Corollarium. Si impedimentum metus sit *publicum*, non revalidatur matrimonium novo consensu libere sed privatim dato; sed necesse est ut consensus renovetur coram parocho et testibus. Si vero impedimentum sit *occultum*, revalidari potest novo consensu, absque solemnitatibus, dummodo solemnitates prius servatæ fuerint.

729. *N. B.* Parentes, domini, magistratus aliique cogentes ad matrimonium graviter peccant, et ab Ordinario puniri possunt. Sed excommunicatio olim lata contra dominos et magistratus qui subditos vel alios cogunt quominus libere matrimonium contrahant, *amplius non viget.*

Art. IV. De proprietatibus matrimonii.

"Essentiales matrimonii proprietates sunt *unitas* ac *indissolubilitas*, quæ in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti" (*Codex*, c. 1013, § 2).

§ I. De matrimonii unitate.

730. Prænotanda. Unitas matrimonii consistit in conjugali unione unius viri cum una muliere. Huic opponuntur *polyandria* et *polygamia simplex*. Prior est conjunctio unius uxoris cum pluribus viris; posterior est conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus.

Pauca præmittimus de *polyandria*, quæ raro admodum existit. *Polyandria simultanea*, seu conjugalis unio unius uxoris cum pluribus viris simul, juxta omnes, juri naturali saltem *secundario* repugnat. Licet enim stricte loquendo absolute impossibilem non reddat procreationem et educationem prolis, adversatur tamen præcipuis matrimonii finibus: (a) *procreationi* prolis, nam mulieris fecunditas, licet per carnale commercium cum pluribus viris non omnino destruatur, maxime tamen minuitur; (b) *educationi* prolis, quia incertum reddit patrem, proindeque incertam ejus obli-

gationem filios educandi; (c) *subjectioni* naturali qua mulier viro subdi debet; nemo enim potest perfecte pluribus simul dominis servire [1].

Attamen quædam polyandria viguit et adhuc viget apud quasdam tribus, præsertim ubi pauciores sunt feminæ quam viri. Aliquando res ita se habebat : quando femina duxerat primogenitum, ejus minores fratres ad eam successive accedebant, juxta quasdam præfinitas regulas et consuetudines; quandoque autem duo aut tres viri eamdem uxorem ducebant, simulque in eadem domo convivebant. Sed hujusmodi facta raro occurrunt, et inter maritos generatim unus est principalis, qui toti domui præest. Sed etiam apud illas tribus, plerumque prævalet monogamia [2].

I. De polygamia simultanea [3].

731. Polygynia, *ante Christum*, apud multos populos vigebat, præsertim Orientales, etsi non omnes viri essent polygami. Hodie etiam apud infideles prævalet, præsertim inter ditiores qui plures mulieres alere possunt.

Sed, apud christianas gentes, *monogamia* tanquam familiæ fundamentum agnoscitur. — Attamen *Lutherus* docuit simultaneam polygamiam, etiam sub N. Lege, licitam esse, et, assentientibus P. Melanchtone et M. Bucero, Philippo Hessiæ Landgravio benigne indulsit ut, vivente adhuc legitima uxore, aliam duceret, Margaritam de Saal. Eumdem errorem propugnarunt *Anabaptistæ*, nostroque sæculo *Mormones* [4], qui novissime tamen declararunt se polygamiæ valedixisse, ut sic Status legibus sese submitterent. Ex adverso autem *Calvinus* contendebat simultaneam polygamiam, etiam sub V. Testamento, illicitam fuisse, ideoque veteres Patriarchas, qui plures simul uxores habebant, adulterii reos fuisse. Quam ut confutarent calumniam, nonnulli

---

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 65, a. 1, ad 8.

[2] De extensione et causis polyandriæ erudite disserit **Westermarck**, *op. cit.*, ch. 20-22, p. 425-485.

[3] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 65, a. 1-2; **Bellarm.**, c. 10-11; **Drouin**, l. IX, q. III, c. 1; **Billuart**, diss. V, a. 1; **Perrone**, l. III, c. 1, a. 2-4; **Carrière**, p. II, sect. 2, c. 1; **Palmieri**, th. 13 sq.; **Billot**, th. 40; **Watkins**, *Holy Matrim.*, ch. IX, p. 591 sq.; **A. de Smet**, n. 303-307.

[4] De *Mormonibus*, qui seipsos vocant "The Church of Jesus Christ of Latter-Day Saints" vide *Book of Doctrine and Covenant* (1880), *Boof of Mormon*, (1881); *Encyclop. Britan.* with American Supplement; **H. Lyon**, *A Study of the Sects*, p. 187 sq.

theologi dixerunt 1° polygamiam *juri naturali* non esse oppositam sed solum minus conformem (*De Angelis*, *Santi*, *Gasparri*), dum alii contendebant eam ante legem evangelicam non fuisse juri divino oppositam (ita *Tostat* et *Perrone*); 2° ante legem evangelicam non fuisse *jure divino* prohibitam. Quid sentiamus sequentes declarabunt propositiones.

732. *Thesis I^a^* : **Polygamia simultanea juri naturali non primario, sed secundario quodammodo adversatur.** Ita *communiter*.

Res enim ita se habet, si polygamia, licet primarium matrimonii finem salvans, secundariis finibus nocet; atqui polygamia (**a**) neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit *primum* matrimonii finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, et educandis filiis exinde natis; (**b**) *secundarios* autem fines non totaliter tollit quidem, sed multum impedit : etenim non facile potest esse *pax* in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum : unaquæque videlicet ad se viri affectum trahere conabitur, et si vir non omnes æquali amore prosequatur (quod vix fieri potest), inde orientur jurgia, paci inimica, ut constat ex Patriarcharum historia. Timendum est pariter ne maritus, in prædilectæ uxoris filios præcipue intentus, ceteros negligat. Tandem tertius matrimonii finis, scil. remedium concupiscentiæ, haud raro frustrabitur, cum unus vir non possit simul pluribus uxoribus satisfacere.

Pluralitas igitur uxorum non primario, sed secundario juri naturali quodammodo adversatur. Sed diversus est loquendi modus apud auctores. Dum enim alii dicunt polygamiam juris naturalis secundarii *præceptis* adversari, putant alii eam tantum *suasionibus* juris naturalis opponi, ita ut jure naturali non sit prohibita, sed ei tantum minus conformis : ita *De Angelis*, *Santi*, *Gasparri*.

733. *Thesis II^a^* : **Polygamia simultanea, institutioni primævæ contraria, sed Patriarchis post diluvium permissa, a Christo prohibita est.**

(**A**) *Polygamia simultanea primævæ matrimonii institutioni contraria est.* Ita communius, contra *Tostat* et *Perrone*.

Etenim : (a) quando Deus hominem creavit, *unum* fecit virum et *unam* mulierem [1]; jamvero, ut recte observat *Chrysostomus*[2], si Dominus voluisset ut vir unus pluribus uxoribus jungeretur, dum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres. Postea vero Adamus, videns Evam, exclamavit : "Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit *uxori suæ;* et erunt *duo* in carne *una*" ; ibi autem, ut ait *Innocent. III* [3], "non dixit tres vel plures, sed duo; nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori"; quæ quidem polygamiam excludunt. (b) Hinc, ante diluvium, solus Lamech dicitur duas uxores habuisse, et propterea a Patribus severe reprehenditur; sic *Nicolaus I* scribit [4] : "*adulterii* autem flagitium, quod Lamech omnium *primus* in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum exstitisse"... (c) Propterea *Innocent. III* (l. cit.) ait : "Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum"; quæ quidem verba manifeste supponunt lege primitiva prohibitam fuisse polygamiam.

734. (B) *Polygamia tamen, post diluvium, patriarchis et Judæis sub lege mosaica permissa fuit, imo valde probabiliter ipsis Gentilibus.* (a) Patriarchæ enim, qui Dei amicitia fruebantur, ut Abraham, Jacob, aliique, plures habuerunt uxores, nec propterea reprehenduntur, sed potius ut viri pietate insignes exhibentur. (b) Lex mosaica supponit pariter uxorum pluralitatem licitam esse, cum statuat æquiparandos esse filios ex utraque uxore natos [5]. Revera Elcana [6], David [7], Joas [8], aliique viri plures habuerunt uxores, et dum David graviter castigatur propter adulterium cum Bethsabe, uxore Uriæ, nunquam reprehenditur propter alias uxores quas duxerat.

Nec dicatur quasdam ex his uxoribus *concubinas* vocari ideoque non fuisse legitimas; nam in Scriptura aliquando legitimæ uxores dicuntur concubinæ et vice versa; sic Agar et Cethura nunc uxores,

---

[1] *Gen.*, II, 7, 22.
[2] *Hom.*, 62, al. 63 in Matt., n. 1, *P. G.*, t. LVIII, p. 597.
[3] *Decretal.*, l. IV, t. 19, Cap. *Gaudemus;* de Divort.
[4] *Ad Consulta Bulgar.*, n. 51, ap. **Harduin**, *Act. Concil.*, t. V, p. 37.
[5] *Deut.*, XXI, 15. — [6] *I Reg.*, I, 2. — [7] *II Reg.*, II, 2.
[8] *II Parap.*, XXIV, 3 sq.

nunc concubinæ dicuntur[1]. Siquidem apud Antiquos, duo genera uxorum distinguebantur : aliæ ducebantur non solum ad procreationem prolis, sed etiam ad societatem omnium bonorum et domus gubernationem, et hæ *matresfamilias* vocabantur : aliæ autem solum ad generationem prolis, et hæ uxores secundariæ seu concubinæ dicebantur. (c) Ratio autem præcipua cur polygamia, post diluvium, permissa fuit, erat multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Nam, ut ait *S. Thomas* (*l. c.*, a. 2) : "Semper principalior finis magis observandus est quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire".

Communiter a theologis traditur dispensationem a lege primitiva de unitate matrimonii nonnisi post diluvium datam fuisse : nil tamen certi hac de re definiri potest. Nec necesse fuit ut dispensatio in scriptis exprimeretur; nam lex de unitate uxoris, ut animadvertit *S. Thomas* (*l. cit.*), non fuerat verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, et ideo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata. Exinde etiam colligi potest, cum *Bellarmino* aliisque contra *Sanchez*, eamdem dispensationem datam esse Gentilibus; cum enim tempore patriarcharum concessa fuerit, nulla est ratio cur ad solos Judæos limitata fuerit, eo magis quia difficilius erat paganis quam Israelitis perfectam matrimonii unitatem servare. Hinc Esther conjuncta est Assuero jam uxorem habenti nec propterea reprehenditur; ita pariter Abimelech, qui uxorem habebat, Saram ducere voluit, nec vituperatus est nisi quia uxorem alterius tulerat.

735. (C) *Polygamia simultanea jure divino sub N. Lege prohibita fuit.* De fide est ex *Tridentino*[2] : "Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S."

(a) Christus enim matrimonium ad primam suam institutionem revocavit : interrogatus enim num liceret uxorem repudiare, respondit non licere, hancque addidit rationem : "Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhærebit *uxori suæ*, et erunt *duo* in carne una : itaque jam non sunt duo, sed una caro"[3]. Atqui primæva matrimonii institutio polygamiam exclu-

[1] *Gen.*, XVI, XXV. — [2] *Trident.*, sess. XXIV, can. 2. — [3] *Matth.*, XIX, 3 sq.

debat ex jam dictis, et ex verbis ipsius Christi : " erunt *duo* in carne una ". Confirmatur aliis Domini verbis : " Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur "[1]; nam ideo mœchatur dimittens uxorem et alteram ducens, quia prior non desinit uxor esse ; atqui quando non est dimissa, a fortiori remanet uxor ; ergo qui alteram ducit vere mœchatur.

Hinc S. Paulus, quoties de matrimonio loquitur, illud supponit esse unius viri cum una uxore, et ait : " Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro "[2]; porro, ex eodem Apostolo[3], paria sunt conjugum jura : " Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier " ; ergo nec vir potest, vivente uxore, aliam ducere.

(**b**) Idem probatur unanimi Patrum testimonio constantique Ecclesiæ praxi. Ita *S. Augustinus*[4] scribit in Ecclesia præceptum esse " ut nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit... lege Evangelii reus est adulterii ". Hinc RR. Pontifices unitatis matrimonii strenui vindices semper exstiterunt, etiam contra Principum lasciviam : ita, sæc. IX., *Nicolaus I* Lotharium regem, duarum simul uxorum sponsum, palam reprehendit, Episcoposque, qui in Conc. *Metensi* primi matrimonii vinculum dissolverant, deposuit[5].

Duo tamen facta in contrarium allegantur. Prius est *Socratis* qui refert[6] Valentinianum imperatorem duas simul uxores habuisse, et statuisse ut idem cuilibet volenti liceret. Sed testimonium hujusmodi communiter ab eruditis rejicitur, tum quia nonnulla in hac narratione falsa sunt, tum quia Ammianus Marcellinus, licet Valentiniano satis infensus, illum laudat[7] quod " omni pudicitiæ cultu domi castus et foris esset ". Aliunde factum hujusmodi, etiamsi verum, nihil probaret contra unanimem omnium sæculorum traditionem. Posterius est responsum *Gregorii II*[8] declarantis

[1] *Luc.*, XVI, 18; *Matth.*, XIX, 9. — [2] *Rom.*, VII, 3.
[3] *I Cor.*, VII, 2 seq.
[4] *De Nuptiis*, l. I, c. 10, n. 11, *P. L.*, XLIV, 420.
[5] **J. Roy**, *Saint Nicolas I*, Paris, ch. 3.
[6] *Histor.*, l. IV, c. 31. — [7] Lib. XXX, circa finem.
[8] *Epist.* 13 ad S. Bonif., ap. **Labbe**, t. VI, col. 1448. En textus, qualis

licere viro aliam uxorem ducere, quia hæc, ob infirmitatem corporis, debitum reddere non valebat. Verum dubitatur pariter de hujus responsi genuinitate, quod sedulo in archivis romanis quæsitum fuit, nec tamen inventum; si autem authenticum esset, forsan intelligi posset de impotentia quæ matrimonium invalidum facit. Ceteroquin correctores Romani de hoc decreto notarunt : "Illud Gregorii sacris canonibus, imo evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum"; nil igitur exinde contra constantem Ecclesiæ doctrinam praximve colligi potest.

II. De polygamia successiva [1].

736. Polygamiam successivam, seu secundas et ulteriores nuptias tanquam jure divino illicitas damnaverunt olim *Montanistæ*, quibus adhæsit *Tertullianus* (De Monogamia), necnon *Novatiani*. Nonnulli Patres, præsertim Græci, de secundis et præsertim tertiis ulterioribusque nuptiis nimis dure locuti sunt. Imo, apud Græcos, jam a sæc. X°, *jure ecclesiastico*, quartæ nuptiæ tanquam invalidæ habentur [2].

737. *Thesis :* **Polygamia successiva, licet minus Ecclesiæ probata, jure divino est licita, nec unquam in Ecclesia latina fuit universim prohibita.** Certum est.

(A) *Script.* S. Paulus diserte affirmat iteratas nuptias, mortuo priore conjuge, licitas esse : "Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro [3]; "Dico autem non nuptis et viduis : bonum est si sic permanserint sicut et ego. Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri" [4].

---

allegatur : "Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non voluerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis : non tamen subsidii opem detrahat ab illa quam infirmitas præpedit". Cfr. **Kurth**, *S. Boniface*, Paris, Lecoffre, p. 55.

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 63; **Drouin**, l. IX, q. III, c. 2; **Billuart**, diss. V, a. 1, § 3; **Carrière**, n. 203 sq.; **Perrone**, l. III, sect. I, c. 2; **Palmieri**, th. 12.; **A. de Smet**, n. 300-302.

[2] "Orientales polygamiam quoque successivam... reprobant. Pro secundis quidem nuptiis habetur in Euchologiis præscriptus ritus, quas tamen ipsas post 45um ætatis annum reprobant; tertiæ nuptiæ censuræ ecclesiasticæ subjiciebantur, quartæ vero tanquam brutales damnabantur... Juxta hodiernam praxim, episcopi dispensatione subvenitur, dum ea petitur". (**Papp. Szilagyi**, *Enchiridion juris eccles. orient.*, p. 414.)

[3] *Rom.*, VII, 3. — [4] *I Cor.*, VII, 8.

Imo alibi [1] juniores viduas hortatur ut iterum nubant : " Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia ". Ex quibus patet, juxta mentem Apostoli, melius esse quidem in statu virginitatis vel viduitatis manere, sed tamen nuptias virginibus et viduis licere, imo aliquando expedire ad refrænandam concupiscentiam.

738. (**B**) *Tradit.* (**a**) Præfatum Apostoli textum explicans, *S. Augustinus* scribit [2] : " De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare... Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definivisse? Ait enim : mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Non dixit *primus*, aut *secundus*, aut *tertius* aut *quartus;* sed, mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit [3]. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro ".

Fatemur equidem nonnullos Patres, præsertim Græcos, tertias vel ulteriores nuptias improbavisse, imo eas fornicatione pejores dixisse. Ita loquendo damnabant præcipue affectum illorum, qui non contenti primis vel secundis nuptiis, non ex intentione prolem suscipiendi, sed explendæ libidinis causa, tertium aut quartum matrimonium inire volebant [4]. Nunquam tamen dixerunt hos conjuges separandos esse, sed eos, peracta pænitentia, ad communionem accipiebant.

(**b**) Doctrinam Ecclesiæ hac de re sic enuntiat *Eugenius IV* [5]. " Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint ". Idem brevius tradit *Codex* (c. 1142) : " Licet

---

[1] *I Tim.*, V, 14.

[2] *De bono viduit.*, c. 12, *P. L.*, XL, 439.

[3] *I Cor.*, VII, 39-40.

[4] Quoad præcipuos textus Patrum, qui repetitas nuptias damnare videntur, cf. **Drouin** et **Perrone**, *l. cit.*

[5] *Decret. pro Jacobitis.*

casta viduitas honorabilior sit, secundæ tamen et ulteriores nuptiæ validæ et licitæ sunt ".

(C) *Rat. theol.* Inspecta solum natura rerum, nil prohibet quin iteratæ nuptiæ liceant; nam ex una parte primum vinculum, mortuo altero conjugum, solutum fuit; et ex altera novus consensus matrimonialis inter partes aliunde habiles præstari potest; imo quandoque ipsa natura suadet ut sive ad procreationem prolis, sive ad incontinentiam vitandam, novum ineatur fœdus.

Aliquando tamen educationi puerorum e priori matrimonio natorum secundæ nuptiæ haud parum nocent, quandoque etiam familiarum paci. Unde, *in praxi*, hæc omnia perpendere expedit.

§ II. De matrimonii indissolubilitate.

739. Altera matrimonii proprietas est *indissolubilitas*, vi cujus vinculum inter conjuges initum non potest dissolvi nisi per mortem alterutrius conjugis. " Matrimonium validum, ratum et consummatum, nulla humana potestate nullaque causa, præterquam morte, dissolvi potest ". (*Codex*, can. 1118). Huic indissolubilitati opponitur divortium, quod triplex distingui solet : divortium *quoad vinculum*, seu *plenum*, quo matrimonialis unio ita solvitur ut novæ possint iniri nuptiæ; divortium *quoad torum*, seu separatio a toro, ubi, manente conjugali nexu, conjuges a debito conjugali reddendo immunes sunt; divortium *quoad habitationem*, quo conjuges ab obligatione simul cohabitandi liberantur. Hic de divortio proprie dicto, seu quoad vinculum, præsertim agimus, pauca tamen addentes de separatione quoad *torum* et *habitationem*.

Dicemus proinde : 1° de indissolubilitate matrimonialis vinculi ex *jure naturali;* 2° de eadem indissolubilitate ex *jure divino;* 3° de casibus in quibus *vinculum solvi possit* etiam sub lege evangelica; 4° de ratione agendi quoad *divortium civile.*

I. De indissolubilitate matrimonii ex jure naturali [1].

740. 1° Status quæstionis. Plerique ethnici philosophi matrimonium jure naturali dissolubile esse censuerunt, divortiaque apud plerasque Gentes plus minusve floruerunt [2] Attamen, etiam, apud quosdam Barbaros, unio matrimonialis fuit perpetua. Apud Græcos Romanosque, quamdiu mores floruerunt, pauca tantum fuere divortia; Romæ præsertim huic praxi quædam ignominiosa in communi existimatio inusta fuit, nec reprehensione caruit Spurius Carvilius, qui primus Romanorum refertur uxorem suam, sterilitatis causa, dimisisse, ut aliam duceret. Tempore vero Imperatorum multiplicata sunt divortia. Christiana religio divortia abolere curavit, ut jam probavimus. Sed *Protestantes* divortiis iterum viam aperuerunt, docendo ea in nonnullis casibus licita esse; et *Rationalistæ* permulti docuerunt vinculi matrimonialis solutionem non solum licitam, sed etiam in multis casibus utilem et laudabilem esse; inter quos : *Diderot* in Galliis, *Werkmeister* et *Braun* in Germania, *Bentham* in Anglia, *Ferrari* in Italia aliique; hinc *Politici* in variis Statibus leges condiderunt quibus divortia propter varias causas permissa sunt [3]. Expedit igitur ut

---

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 67, a. 1-2; *C. Gent.*, l. III, c. 123; **Bellarm.**, c. 16; **de Rastignac**, *Accord de la révélation et de la raison contre le divorce*, 1790; **Barruel**, *Lettres sur le divorce*, 1789; **de Bonald**, *Du Divorce considéré au XIXe s.*, 1801; **Hume's** *Essays*, XIX; **Carrière**, n. 213 sq.; **Perrone**, lib. III, sect. II, c. 1, a. 1; **Palmieri**, th. 16, 23; **Monsabré**, *Carême* 1887, 86-87e *Confér.*, *anglice Confer. on Marriage*, II-III; **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 90 sq.; **A. de Smet**, n. 310-323; **P. Coulet**, *La Stabilité du foyer*, Paris, 1926.

[2] De quo vide **Westermarck**, *op. cit.*, ch. 23, p. 486-502.

[3] Divortiorum numerum crescere ubi lex civilis divortio favet, experientia constat :

Ita, in *Statibus Americæ fœderatis*, secundum censum officialem recenter editum (1919 et 1924), ter citius multiplicata sunt divortia quam civium numerus.

An. 1867	9,937
1877	15,687
1887	27,919
1897	44,699
1906	72,062
1916	112,036
1923	165,139

exponamus quid de indissolubilitate matrimonii recta ratio doceat.

741. Duplici modo indissolubilitas matrimonii considerari potest : vel *ab intrinseco*, si dicatur matrimonium non posse dissolvi *sola voluntate conjugum;* vel *ab extrinseco*, si ulterius progredientes affirmamus nec etiam ulla *auctoritate publica* dissolvi posse matrimonium.

(**a**) Matrimonium indissolubile esse *ab intrinseco* affirmant omnes theologi, non tamen iisdem vocibus thesim suam enuntiant. Huc enim redeunt distinctiones supra relatæ ubi de Polygamia, n. 731. Dicemus, cum *Perrone*, matrimonii indissolubilitatem non pertinere ad jus naturale *primarium*, sed ex *secundario* jure profluere. Nam ex una parte, matrimonii primarius finis, videlicet prolis procreatio et educatio, etiamsi conjugale vinculum aliquando solvatur, stricte loquendo obtineri potest; imo in nonnullis casibus, v. g., quando uxor est sterilis vel perpetuo morbo laborat qui matrimonii usum prohibet, primarius ille finis per divortium melius obtinetur; ex altera autem parte, tot sunt prava consectaria ex divortio promanantia, præsertim *quoad prolem*, ut juri naturali secundario contrarium merito dicatur, prout modo declarabitur.

In *Gallia*, an.	1896	7,051
	1906	10,573
	1912	14,579
	1915 durante bello	1,701
	1916 durante bello	3,668
	1917 durante bello	5,572
	1920	28,702
	1923	23,599
	1924	21,033
	1927	18,487
	1928	18,822
	1932	21,848
	1933	20,699

Eumdem progressum invaluisse in aliis regionibus ostendit **R. Lemaire**, *Le Mariage civil*[2], p. 197-198. Ibidem, p. 205, probatur pauciora esse divortia inter sponsos qui diutius simul vixerunt quam inter eos qui nonnisi paucis mensibus aut annis cohabitarunt.

Totis igitur viribus nitantur catholici *deputati* leges civiles divortio faventes abolere, aut impedire ne condantur in regionibus ubi non vigent.

(b) Utrum autem Matrimonium indissolubile sit etiam *ab extrinseco* inter auctores *disputatur.* 1) Nonnulli theologi putarunt divortium, non quidem arbitrio conjugum fieri posse, alias actum esset de indissolubilitate contractus, sed ab *auctoritate publica* propter graves rationes posse pronuntiari, inspecto solo jure naturali. Ita *Sanchez*, *Bellarminus*, *Swartz* [1]. 2) Alii ex adverso, ut *S. Thomas*, *Scotus* et recenter *De Smet*, *Cappello* [2], dicunt *nullo modo* dissolvi posse matrimonium, etiamsi fieret *auctoritate publica;* quibus assentimur.

Unde duplex erit thesis : 1° de indissolubilitate *generatim spectata*, præsertim *ab intrinseco;* 2° de indissolubilitate in *particularibus adjunctis*, de quibus judicaret ipsa *potestas publica.*

742. *Thesis Iª :* **Indissolubilitas matrimonii, præsertim consummati, juri naturali secundario innititur, proindeque divortium ex sola conjugum voluntate, propter prava consectaria quæ inducit, prorsus rejiciendum est.**

Prænotamus ad intelligendam vim rationum allatarum semper præ oculis habendum esse hoc primarium principium, nempe *bonum publicum bono privato anteponendum esse, seu sponsorum privatæ felicitati :* secus enim totus ordo naturalis pervertitur.

Id juri naturali secundario adversatur quod, etsi finem *primarium* matrimonii non destruat, prohibet tamen *ne hic integre* obtineatur, et insuper *naturæ matrimonii repugnat*, finibus *secundariis* valde nocet, *pravaque inducit consectaria* pro societate. Atqui ita est de divortio.

743. (A) Etsi enim *fini primario* non absolute obstet, impedit tamen quin hic *integre* obtineatur. Nam primarius finis est *bona prolis educatio :* ad hoc enim principaliter institutum est connubium ut proles non solum generetur, sed recte educetur, et ita promoveatur totius societatis et

---

[1] **Sanchez**, l. II, disp. XIII; **Bellarm.**, c. IV, n. 2; **Swartz**, *Instit. juris publici*, part. II, tit. I, n. 3 sq.

[2] **S. Thomas**, *Suppl.*, q. LXV, art. 2; **de Smet**, 3ª ed. II, n. 298, 313; **Cappello**, n. 45.

humanitatis bonum. Quare, etsi in certis casibus infelices essent conjuges simul vivendo, eorum privatæ felicitati anteponi debet bona prolis educatio, quæ commune bonum respicit [1]. Quibus positis, facile evincitur divortium *bonæ prolis educationi plerumque nocere.* Infans enim utriusque parentis auxilio indiget non solum tempore quo nascitur, sed per multos annos (supra, n. 690); initio quidem a matre enutritur, sed pater debet simul matri necessaria vitæ suppeditare; crescentibus filiis, ad eorum educationem desiderantur non solum matris suavis amor et provida cura, sed etiam patris severa auctoritas eximiaque prudentia. Porro ad hoc requiritur stabilis, imo, ex communiter contingentibus, perpetua conjugum unio; nam antequam omnium infantium perfecta fuerit educatio, quæ sæpe etiam ultra vigesimum annum protrahi debet, plerumque parentes, jam ætate provecti, non amplius erunt ad novum matrimonium habiles. Præterea, si novum ineant fœdus, filii vel patri vel matri adhærebunt : si *prius*, tenero matris amore carebunt, multaque ex invidia novercæ patientur, quæ, propriis natis intenta, illos negliget vel etiam variis modis affliget; si *posterius*, paterni amoris fruitione privabuntur eo tempore quo ejus cura magis indigebunt, et multa forsan patientur ex parte secundi mariti, qui timet ne proprii filii negligantur; ergo in qualibet hypothesi, eorum educatio imperfecta erit. — Aliunde proles, ut recte educetur, non tantum familia, sed etiam *sua* familia indiget, cum paternus amor delegari non possit.

744. (**B**) Divortium pariter impedit quin *integre* serventur *natura* et *æqualitas* contractus : (**a**) Matrimonium enim *sua natura* postulat perpetuitatem : ambo enim conjuges copula fiunt *una caro*, et filios generando novo et arctissimo vinculo colligantur, nempe prole genita quæ utrique parenti communis est et a qua neuter separari potest quin aliquid sui amittat : si igitur, vivente altero conjuge, novæ ineuntur nuptiæ, dividitur quod natura tam arcte conjunxerat. (**b**) Insuper *æqualitas contractus* exigit ut, divortio occurrente, unus conjugum in pejori non sit conditione ac alter; atqui hoc moraliter est impossibile; vir enim nihil aut parum dignitatis suæ amisit, et facile novum fœdus inire potest, dum mulier, quæ per plurimos

[1] **Fonsegrive,** *op. cit.*, p. 283-294 et 310-319.

annos nupta fuit, filiosque procreavit et enutrivit, postquam a viro dimittitur, plerumque a sua dignitate excidit, decorem et fecunditatem amisit, et vix sperare potest ut novum matrimonium contrahere possit. "Si quis igitur, ait *S. Thomas* [1], mulierem assumens tempore juventutis, quo et decor et fecunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem".

745. (C) Divortium *finibus secundariis* nocet, nempe *veræ felicitati conjugum :* (a) Favet conjugiis disparibus et festinanter initis; nam, si fas est matrimoniale vinculum post aliquod tempus rumpere, multi corde levi, absque diligenti et matura consideratione, matrimonialem statum ingredientur [2], dum majori cura et nonnisi re diligenter perpensa conjugia instituentur, si cognoscitur ex conjugis electione felicitatem aut infelicitatem *perpetuam* pendere. Jamvero nihil magis unioni conjugum nocet quam illa connubia quibus sponsi animo, dispositionibus et conditione dispares, cæco impellente amore seu potius passione, simul conjunguntur.

(b) *Mutuum amorem restringit;* in eo siquidem præcipue consistit conjugum felicitas ut *amore perpetuo* intime uniantur, et sint cor unum et anima una, sicut sunt una caro; hinc, natura duce, sibi invicem spondent *amorem æternum* et in illo amore miseriarum levamen felicitatemque inveniunt; nam ubi amatur, non laboratur, aut si laboratur, ipse labor amatur. Atqui illa intima animorum conjunctio vix cum divortii facultate subsistere potest; verus enim amor perpetuus esse vult, et statim ac amicum infidelem fore probabiliter suspicamur, jam cessamus eum singulariter diligere. Quis igitur intime conjugi adhærebit, qui post aliquos annos, et forsan post aliquos menses, ab eo separari exspectat? Nonne hujusmodi suspiciones hanc perfectam amicitiam destruent vel retardabunt? Merito igitur cum *S. Thoma* (l. c.) dici potest : "Amicitia quanto major

[1] *Cont. Gent.*, lib. III, cap. 123.

[2] "Plures de plebe nuptias contrahunt, hoc probabiliter secum reputantes, si felicitatem in hac unione non assequantur, in sua fore facultate ipsam solvere, iterumque fortunam experiri. Et revera sermones hujusmodi a nonnullis suæ parœciæ juvenibus habitos fuisse, a quodam ministro mihi renuntiatum fuit". **Woolsey**, protestans, *Divorce and divorce legislation*, p. 277.

est, tanto debet esse firmior et diuturnior. Inter virum autem et mulierem maxima amicitia esse videtur; adunantur enim non solum in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter bestias quamdam suavem societatem facit, sed etiam ad totius domesticæ conversationis consortium; unde, in signum hujus, homo propter uxorem, etiam patrem et matrem dimittit... Conveniens igitur est quod matrimonium sit omnino indissolubile"[1].

(c) *Leves discordias adauget*, propter spem felicitatis in alio connubio inveniendæ. Siquidem societatis domesticæ maxime interest ut conjuges multa sibi condonent, alter alterius defectus patienter ferant, imo mutuis obsequiis se invicem præveniant. Porro, si matrimonium sit indissolubile, timent conjuges ne per discordias gravissimum et intolerabile fiat jugum quod excutere non valent, magis patienter mutuos sibi condonant defectus, et, ut ait poeta, *fit levius patientia quidquid corrigere est nefas;* ex adverso autem spes divortii ad dissensiones, jurgia et adulteria provocat; qui enim cogitat de novo meliorique conjuge inveniendo, extraneo amore cito captus erit, et, ut matrimonium sibi onerosum disrumpat, contumeliis, vituperationibus, verberibus, adulteriis indulgebit, ita ut, teste experientia, divortium sit maximorum criminum occasio et causa[2]. Nec

[1] *Objiciunt* quidam non licere homini votis perpetuis se obstringere, cum sit natura inconstans et mutabilis. Recte vero scribit **Paul Janet**, *La Famille*, p. 300: "Si officii vinculo amor adstringatur, ita ut perpetuam fidem promittere teneatur, amoris naturæ ita non adversatur, immo favetur. Adeo amoris natura perpetuitatem postulat, ut nihil amans auderet exposcere, quin perpetuitatem promitteret. Jurejurando fidem in æternum firmare, eamdemque tum quoque cum ficte loquitur, simulare, primi sunt amoris actus, qui si deficiant, operam perderet. — Cordis jura et votorum perpetuitatem objiciunt. Amoris jura ad conjugum unionem adstringendam, minime ad dissolvendam libenter agnoscimus. Libertati fidelitatem opponamus; atque ita præclariorem dignitatem, fulgidioremque gloriam cor sibi vindicavit, quam si fas esset, alteri prout libuerit adhærere, et amoris objectum continue permutare... Fateor vero nonnisi ob gravia argumenta, indissolubili vinculo cor esse vinciendum. Hæc autem duo irrefutabilia mihi videntur: uxoris dignitas filiorumque bonum".

[2] "Quot futilia jurgia, quot tædia facili oblivione conterunt qui communi tantum pollent prudentia, hac potissimum ratione ducti quod necessario vita conjunctim agenda sibi sit perpetuo! Minusculæ illæ dissensiones in summam invidiam cessissent, facilis divortii spe ad supremum gradum perductæ. Itaque perpendendum nobis est nihil periculo plenius quam duos ita intime copulare, ut vir et uxor copulantur inter se, quin hanc unionem perfectam et indissolubi-

dicatur adulterium esse tam turpe et nefarium, ut saltem propter illud crimen solvi debeat matrimonii vinculum; nam, si res ita se habeat, haud raro adulteria committentur eo fine ut divortium obtineatur, ut jurisperiti experientia norunt [1]; expedit igitur ad bonum publicum ut vel conjuges pacifice cohabitent, vel separentur quoad torum et habitationem, absque spe novas nuptias ineundi.

746. (**D**) *Prava consectaria pro societate* divortium inducit : (**a**) *pacem familiarum disturbat;* matrimoniis enim familiæ inter se coadunantur, lites et inimicitiæ exstinguuntur, concordiæ vincula inter varia societatis membra efformantur; ex adverso autem, ex divortio divisiones oriuntur, odia et vindictæ inter duas vel plures familias per multos annos vigent, et si multiplicentur, pax ipsa societatis turbatur.

(**b**) *Mores corrumpit;* nam facultas divortii paulatim matrimonium vertit in concubinatum : data enim hominis inconstantia, conjugale vinculum non semel, sed ter, quater aut etiam pluries abrumpi potest, eo magis quia inconstantia repetitis actibus crescit; quod jam evenisse historia constat : *Seneca* enim de his uxoribus loquitur quæ "non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant" [2]; et *Juvenalis* [3] ait : "Sic fiunt octo mariti, quinque per autumnos : titulo res digna sepulcri". Idem se habet nostris diebus apud tribus aut gentes ubi viget divortium [4]. Jam-

lem reddamus. Minima separationis probabilitas dissensionum et suspicionum fons evaderet uberrimus, uxor de suo statu minus tuta separationis consilium animo quotidie agitabit, et vir sibi tantum consulens majorique fretus potestate in majus discrimen unionem adduceret". (*Hume*, Essay XIX).

[1] "Omnibus compertum est desiderium ab eo statu qui gravis factus sit eximendi, plures homines et nonnullas fœminas ad eam vitæ rationem adducere quæ divortium pariat, aut saltem suadeat, illud, si contingat, conjugibus ingratum non fore. Virum aliquando adulteratum fuisse, divortii obtinendi causa, ex pluribus de divortio latis judiciis, cancellarius Kent merito adnotavit. Apud alias gentes matrimonii historia nos admonet eo scelestos augeri mores quo plures præsto sunt divortii causæ, quæ nedum prohibeant, immo viam divortio parant". (**E. Phelps**, *Forum*, Dec. 1889, p. 363; cf. **Woolsey**, *op. cit.*, p. 261 sq.)

[2] *De Beneficiis*, l. III, c. 16. — [3] *Sat.*, VI, v. 229.

[4] Ad rem **Westermarck**, *op. cit.*, p. 488 : "Au Caire, selon M. Lane, il n'y a que peu de gens qui n'aient pas divorcé une fois, s'ils ont été mariés quelque

vero quid sunt matrimonia per duos aut tres annos tantum duratura, nisi palliatus concubinatus? Nec dicere juvat per divortium minui discordias et separationes : nam indubitatis factis constat has increvisse ubi divortia permissa sunt, et quotidie invalescere. Præterea lex hujusmodi occasionem præbet multis criminibus, præsertim vero adulterio, quod a nonnullis committitur vel permittitur eo fine ut facilius conjugale vinculum coram tribunalibus solvi possit. Jamvero quis est qui non videat hisce omnibus mores paulatim corrumpi?

Quæ quidem omnia sic dilucide exponit *Leo XIII* (Encycl. *Arcanum*) : "At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur, dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur : minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quæ a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt. Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum : hisce incitamentis fieri debet ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus exundans".

747. *Objiciunt* adversarii non paucos conjuges vitam miserabilem ducere, nisi ab invicem separentur, nec sæpe separationem sufficere, sed facultatem requiri novas nuptias ineundi, ut ita vitentur non tantum conjugum perpetua infelicitas, sed etiam adulteria et scandala.

Resp. (**a**) Norma morum non est privatorum felicitas, sed rectæ rationis dictamen, quod, ex jam dictis, vinculi perpe-

---

temps; et beaucoup d'hommes, en Egypte, ont épousé vingt, trente femmes ou plus; tandis qu'il y a des femmes, peu avancées en âge, qui ont été femmes successivement de douze hommes ou même plus".

tuitatem postulat, præsertim ad bonam prolis educationem, quæ est unus e primariis finibus matrimonii (n. 743), et ad vitanda innumera mala pro familia et societate (n. 745). Quamvis igitur quidam privati multa et ardua pati debeant ex indissolubilitate contractus, non ideo lex mutanda est quia *bonum morale bono temporali* et *bonum publicum bono privato anteponi debet.* (**b**) Adulteria autem et scandala, quæ ex perpetuitate vinculi oriri dicuntur, non rariora sed frequentiora evaserunt in Gallia aliisque regionibus a tempore quo divortia lege permissa sunt, ut experientia constat; nec mirum, cum spes ad novas nuptias transeundi concupiscentiam non exstinguere sed potius inflammare soleat.

Prudentia igitur postulat ut alia remedia adhibeantur, scil. vel christiana patientia, vel secessio temporanea : tempus enim multa vulnera sanat, et sæpe longa patientia animorum dissensiones minuit vel penitus tollit, præsertim si virtute religionis juvetur : " quæ efficit ut vitia, si quæ sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitæ labores, ut casus adversi, non solum moderate, sed etiam libenter perferantur " (Encyc. *Arcanum*).

748. *Thesis II^a :* **In nullo casu matrimonii vinculum, etiam inspecto solo jure naturali, ab auctoritate mere humana solvi potest.** Certum est.

(**a**) Id enim probatur auctoritate *Pii IX*, ex damnatione prop. 67 in *Syllabo* relatæ : " jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ".

(**b**) *Ratione* demonstratur. Etiamsi in certa ac gravissima circumstantia divortium ab auctoritate publica pronuntiatum nec bono individui, nec etiam bono sociali repugnaret, attenta hac particulari exceptione, potestas tamen ipsa vinculum solvendi omnino esset *bono communi* periculosa. Impossibile enim foret casus exceptione ac dispensatione dignos certis limitibus circumscribere : sæpe alius casus gravior ac favore dignior societatis principi subjiceretur. In re tam gravi necesse est ostium omnino claudere,

ne semel apertum magis ac magis dilatetur et sic via ineluctanter pandatur unioni liberæ.

Monet igitur recte *Leo XIII* (*Arcanum*) "frenos nullos fore tantos qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, antea provisos, limites coercere"; quod lugenda sane experientia comprobatum est : nam ubicumque lex divortio favens promulgata fuit, mox divortiorum numerus valde increvit.

Diximus : *ab auctoritate mere humana;* nam dispensatio quam circa principia juris naturalis secundaria homo dare nequit, Deus certe dare potest, sive immediate per se ipsum, sive per auctoritatem a se positive institutam et continuo assistentiæ auxilio munitam, qualis est Christi Ecclesia, ut infra exponetur.

II. De indissolubilitate matrimonii ex jure divino [1].

749. Inter Christianos communiter agnoscitur matrimonium ab initio fuisse indissolubile, tempore autem legis mosaicæ sub certis conditionibus dissolvi potuisse, sed ad primævam indissolubilitatem a Christo revocatum fuisse. Attamen *Græci schismatici* et *Protestantes* docent matrimonium, etiam quoad vinculum, solvi posse per adulterium, aut etiam, juxta multos, propter obstinatam desertionem alterutrius conjugis [2].

750. *Thesis I^a :* **Matrimonium ex primæva Dei institutione indissolubile fuit, sed sub lege mosaica per**

---

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 67; **Sanchez**, l. X, disp. I; **Drouin**, l. IX, q. IV, c. 1; **Bellarminus**, c. 16; **Billuart**, diss. V. a. 2, Digressio histor.; **Carrière**, n. 228 sq.; **Perrone**, l. III, sect. 2, c. 1-4; **Palmieri**, th. 17-22; **T. Wolsey**, *op. cit.*, c. 1; **J. Cauvière**, *Le Lien conjugal et le Divorce*, Paris, 1890; *Congrès scient. internat.* 1894, Sc. jurid., p. 133 sq.

[2] Quoad doctrinam Græcorum hac de re, vide **Jos. Selinger**, *Divorce a vinculo in the schismatical churches*, *Amer. Eccles. Review*, apr. 1892, p. 264 sq. Protestantium autem doctrinam sic exhibet Confessio fidei *Westmonasteriensis* (cap. XXIV, 5-6) : "Quod si adulterium post conjugium admittatur, licebit parti innocenti divortium lege postulare ac obtinere; atque quidem post factum divortium conjugio alteri sociari, perinde ac si mortua esset persona illa quæ conjugii fidem violabat... Nihilominus tamen extra adulterium ac desertionem ita obstinatam, ut cui nullo remedio, nec ab Ecclesia nec a Magistratu civili subveniri possit, sufficiens causa nulla esse potest conjugii vinculum dissolvendi". (**Schaff**, *Creeds*, vol. III, p. 656).

libellum repudii dissolvi poterat, etiam in foro conscientiæ, sub certis quibusdam conditionibus. Ita communiter.

(**A**) *Prius* probatur. (**a**) Interrogantibus enim Pharisæis num liceat homini uxorem dimittere quacumque ex causa, Christus respondet Deum ipsum auctorem esse matrimonii, neque homini licere hanc unionem dissolvere : " Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet ". Illis autem objicientibus libellum repudii a Moyse fuisse permissum, Dominus addit : " Quoniam Moyses *ad duritiam cordis* vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : *ab initio autem non fuit sic* "[1]. Quæ quidem verba manifeste supponunt ab initio non ita matrimonium institutum fuisse ut viro licentia daretur repudiandi uxorem. (**b**) Quod a *Tridentino*[2] confirmatur : " Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea "...

751. (**B**) *Posterius* constat ; legitur siquidem in *Deut.*[3] : " Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino "... Jamvero his verbis vel conceditur, vel jam concessa supponitur facultas divortii quoad vinculum ; nam uxor dimissa exhibetur ut alteri viro nubens, et insuper Sacerdotes prohibentur mulierem repudiatam ducere[4] : ex quo eruitur hoc aliis fuisse permissum.

(**a**) *Disputatur* vero inter Patres et theologos utrum necne hujusmodi concessio non solum in foro externo, sed etiam in *foro interno* valeret[5]. *Probabilior* nobis videtur opinio affirmans hanc

---

[1] *Matth.*, XIX, 3 sq. — [2] *Trident.*, sess. XXIV.

[3] *Deut.*, XXIV, 1 sq. — [4] *Levit.*, XXI, 7.

[5] **S. Bonaventura, Sotus, Estius, Sylvius, Card. Billot** putant divortium solummodo *civiliter* toleratum fuisse, ideoque a pœna civili non autem a peccato immune.

fuisse veram permissionem *in foro conscientiæ validam;* nam, 1) qui uxorem dimissam ducit, vocatur *maritus* et potest ipse dare libellum repudii : quod jus soli legitimo competebat marito; 2) præterea prior maritus prohibetur uxorem dimissam denuo recipere; porro, si vinculum non vere solutum fuisset, cur ista prohibitio? 3) insuper, si permissio hujusmodi non valuisset in conscientia, lex multis adulteriis occasionem præbuisset; iniquissima fuisset mulierum conditio, cum, post acceptum repudii libellum, perpetuo continentiam observare debuissent; 4) tandem Judæi omnes hanc interpretationem amplexi sunt, et licet duæ scholæ, *Shammai* et *Hillel*, de causis propter quas divortium concedi possit disputarent [1], in hoc tamen consentiebant quod quandoque liceret.

(b) Nonnisi sub certis quibusdam *conditionibus* concedebatur facultas divortii; imprimis non uxori, sed tantum viro competebat; imo viro non permittebatur quando, ante matrimonium, cum uxore commercium carnale habuerat, vel eam injuste accusaverat quod non esset virgo [2]. Præterea non qualibet de causa vir uxorem dimittere poterat, sed solum propter aliquam *fœditatem* (*'ervat dabar*) quæ vox designabat aliquid turpe et inhonestum. Nec eam dimittere permittebatur sine *libello repudii scripto*, per quod non solum providebatur statui uxoris, sed difficilius evadebat divortium. Tandem, quando mulier sic repudiata novum inierat matrimonium, a priori marito non poterat denuo in uxorem recipi : quo fiebat ut vir magis caute ageret. Hisce variis formalitatibus legislator sacer satis ostendebat divortia esse quid minus perfectum, eaque intra certos limites coarctabat. Ratio autem cur Deus talem facultatem dederit his verbis Christi indicatur "ad *duritiam cordis*", seu, ut explicat *S. Thomas* (a. 3) "propter majus malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judæi proni erant propter corruptionem irascibilis".

752. *Thesis II*[a] *:* **Matrimonium fidelium, ratum et consummatum, non potest, sub lege evangelica, quoad vinculum dissolvi, ne quidem propter adulterium.** N.B.

Certum est et fidei proximum contra Græcos et Protestantes ex *Tridentino* [3] *:* "Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam inno-

[1] Secundum **Hillel**, causa sufficiens erat quælibet res marito displicens, ut si uxor negligenter cibos præparasset; sed, juxta scholam **Shammai**, requirebatur quædam impudicitia ex parte uxoris.

[2] *Deut.*, XXII, 19, 29. — [3] *Trid.*, sess. XXIV, can. 7; cf. c. 5, **D. B.**, 975.

centem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; A. S." Cfr. *Codex*, c. 1118.

Canon *directe* dirigitur contra Protestantes, qui Ecclesiam Catholicam erroris hac de re accusabant; proindeque *de fide est* Ecclesiam non errare dum docet, propter adulterium, matrimoniale vinculum dissolvi non posse; *indirecte* tantum contra Græcos, quia Concilium noluit eorum opinionem ut hæreticam damnare [1], proptereaque talem formulam adhibuit quæ in tuto ponit doctrinam Ecclesiæ, quin hæc tanquam de fide proponatur; nam aliud est definire *Ecclesiam non errare cum docet*, aliud dicere *id quod docet esse de fide*: Ecclesia enim docere potest veritates quæ sunt certæ, licet non sint de fide.

Diximus in propositione matrimonium *fidelium* ratum et *consummatum*, quia si agitur de matrimonio infidelium, vel de matrimonio fidelium rato tantum et non consummato, exceptiones adesse possunt, ut infra declarabitur.

753. (**A**) *Script.* (**a**) Duobus in locis Christus aperte declarat adulterium committi ab eo qui dimissam uxorem ducit: "Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: et *qui dimissam* duxerit, adulterat" [2]; "Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur: et qui dimissam a viro ducit, mœchatur" [3]. Atqui, si matrimonium posset dissolvi quoad vinculum, adulterium minime committeretur ab eo qui dimissam uxorem duceret.

(**b**) Idem clare eruitur ex verbis Apostoli [4]: "Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, *manere innuptam*, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat". Porro hæc verba prorsus generalia sunt et manifeste supponunt uxorem dimissam, ob quamcumque causam, non posse iterum nubere.

---

[1] Juxta **Pallavicini** (*Hist. Concil. Trid.*, l. XXII, c. 4, n. 27) canon prius ita fuerat confectus ut etiam Græcos anathemate percuteret; sed, postulantibus Venetis oratoribus, reformatus est qualis nunc exstat, ne novum obstaculum Græcorum unioni apponeretur.

[2] *Matth.*, V, 32. — [3] *Luc.*, XVI, 18; cf. *Marc.*, X, 11-12.

[4] *I Cor.*, VII, 10. — Deducitur etiam ex *Rom.*, VII, 2-3.

754. (c) Objiciuntur quidem verba Domini : " Quicumque dimiserit uxorem suam, *nisi ob fornicationem*, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur " [1]; ex quibus tum Græci tum Protestantes colligunt in casu fornicationis, seu adulterii, matrimoniale vinculum solvi posse.

Fatemur equidem *S. Matthæi* textum, si solus sumatur, absque contextu et locis parallelis, obscurum esse, et utrove sensu intelligi posse; sed, inspectis contextu et parallelis locis, de divortio quoad vinculum intelligi non posse, sed de sola dimissione sine solutione vinculi. Etenim verba " *nisi ob fornicationem* " propositionem *incidentem* constituunt, quæ ad præcedentia verba " *dimiserit uxorem* " refertur, non autem ad sequentia " *et aliam duxerit* ", ita ut sensus sit : quicumque dimiserit uxorem suam (quod quidem non licet nisi ob fornicationem), et aliam duxerit, mœchatur. Proinde fornicatio, seu adulterium est quidem sufficiens ratio cur uxor dimittatur, i. e., separatio fiat *a mensa et toro*, sed non cur novum fœdus ineatur [2].

Verba S. Matthæi ita esse intelligenda constat : 1) ex *contextu*. Revera paulo ante dixerat : " quod Deus conjunxit, homo non separet ", et declaraverat libellum repudii non amplius concedi sub N. Lege, his verbis satis ostendens matrimoniale vinculum nullo in casu solvi. Accedit quod Christi intentio erat novam Legem condere antiqua Lege puriorem ac sublimiorem; atqui res sane ita non esset si adulterium, quod morte olim plectebatur, esset sub nova lege via ad novum matrimonium legitime ineundum : tunc enim adulteria multiplicarentur. Insuper, admissa interpretatione Protestantium, mulier adultera melioris esset conditionis ac mulier innocens, quæ, ob aliud motivum, a viro dimittitur; hæc enim de novo nubere nequit, dum ista ad novas nuptias convolare potest. Quæ sane omnia a mente Christi prorsus aliena sunt.

---

[1] *Matth.*, XIX. 9; cfr. **Fillion**, *Evang. sel. S. Matthieu*, in h. loc.

[2] Quod analogia illustrari potest. Supponatur lex quædam sic concipi : " Quicumque filium suum percusserit, nisi ob grave delictum, eumque occiderit, punietur " ; sane propositio incidens in hoc casu priorem tantum sententiæ partem afficit, non posteriorem; neque licebit concludere patrem posse, ob gravia delicta, filium occidere. Cfr. **René de Kerallain**, *Revue gén. du droit*, 1884 p. 481

2) Ex *locis parallelis* jam citatis, in quibus sine ulla restrictione asseritur eum qui dimittit uxorem et aliam ducit, adulterium committere, et iterum eum qui dimissam uxorem nubit, mœchari. Jamvero principium est inconcussum obscura loca per alia clariora intelligenda esse [1]. Tandem omne dubium, si quod remaneret, catholica traditione tollitur.

755. (B) *Tradit.* Tria tempora in historia hujus dogmatis distinguere licet. (a) Certum est Patres, tribus prioribus sæculis, ore *unanimi* docere matrimonium christianum esse indissolubile, etiam in casu adulterii. Pauca sufficiat referre testimonia [2]. *Hermas* siquidem hæc habet de ratione agendi erga mulierem adulteram [3] : "Quid igitur, inquam, domine, faciat maritus, si uxor in hac libidine permanserit? Dimittat eam, inquit, et vir maneat secum; si vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit".

Eodem sensu scripserunt *S. Justinus* [4], *Athenagoras* [5], *Clemens Alex.* [6] aliique multi. — Etsi vero Patres hac de re consentirent, quidam ecclesiæ rectores, teste *Origene*, aliquando divortium lege civili permissum toleraverunt, ad vitanda pejora mala. Quos vituperat dicens : "Contra Scripturæ legem, vivente viro nubere quidam ecclesiæ rectores permiserunt, agentes contra id quod scriptum est : Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit". Eos tamen aliquo modo excusat, quin eorum agendi rationem approbet : "Non omnino tamen permiserunt sine ratione; hæc enim contra legem ab initio latam et scriptam, ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes, eos permisisse verisimile est" [7]. Ita via parabatur, in Ecclesia græca, abusibus sequioris ævi.

(b) A quarto sæculo ad decretum *Gratiani* (1145) distinguendum est inter Ecclesiam Orientalem et Ecclesiam Occidentalem.

---

[1] Quod nonnulli Protestantes intellexerunt, v. g., **E. J. Phelps**, *Forum*, Dec. 1889, p. 359, ubi miratur textum obscurum Matthæi anteponi clarioribus textibus Marci et Pauli.

[2] Rem penitus discussam vide apud **Perrone**, l. III, c. 3; **Roskovany**, *op. cit.*, De Indissolubilit. matrimonii, c. IV, Doctrina Ecclesiæ, § 101 sq. Cfr. **A. Esmein**, *Le mariage en Droit Canonique*, Paris, 1891; **Watkins**, *op. cit.*, p. 198 sq.; *D. T. C.*, v° *Adultère.*

[3] *Pastor*, Mandat. 4, n. 6, p. 475 ed. *Funk.*

[4] *Apol.* I, n. 15; *Apol.* II, n. 2, *P. G.*, VI, 350. — [5] *Leg. pro christ.*, n. 32.

[6] *Stromat.*, l. II, c. 23, *P. G.*, VIII, 1095.

[7] **Origenes**, *homil.* 14 in Matt., n. 23, *P. G.*, XIII, 1246.

1) In *Oriente* nonnulli scriptores, nimis facile assentientes legibus civilibus, quæ divortium propter adulterium, longam mariti absentiam, aliasque causas permittunt, primum timide, postea vero audacius divortium tolerandum esse docuerunt, dissimulantibus posteaque etiam probantibus episcopis, præsertim post consummatum schisma [1]. Quos abusus non semel improbavit S. Sedes, et in *C. Florentino*, ubi agebatur de unione cum Romana Ecclesia, *Eugenius IV* in decreto ad Armenos doctrinam de matrimonii firmitate iterum declaravit : "Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit". Græci pro tempore huic declarationi assensum præbuerunt, nec, quando de unione agebatur, inter causas dissensionis hanc commemoraverunt; sed, paulo post, ad suam praxim reversi sunt. Hodie etiam nonnulli Orientales, qui catholicam fidem amplexi sunt, quamvis speculative doctrinam nostram admittunt, in praxi divortium propter adulterium tolerant.

2) In Ecclesia autem *Latina*, quæ imperatoribus, præsertim in rebus fidei ac morum, fortiter restitit, firmitas matrimonialis vinculi feliciter servata est. Quamvis enim jus civile divortium permitteret, Patres ejus vim et auctoritatem admittere noluerunt, *S. Hieronymo* assentientes, qui scribebat [2] : "Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit... Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur". Quod præsertim obtinuit in Italia, ubi Romani Pontifices matrimonii indissolubilitati tam sedulo invigilarunt, ut etiam Protestantes fateantur Ecclesiam hac de re nullomodo vacillavisse [3].

Ita *Innocentius I*, an. 405, ad Exsuper., ep. Tolos. [4] : "De his etiam requisivit dilectio tua qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. *Quos in utraque parte adulteros* esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis disassociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque

---

[1] Cfr. **Perrone**, *op. cit.*, t. III, p. 359-376; **Watkins**, *op. cit.*, p. 346-362.

[2] *Ep.* 77 ad Oceanum, n. 3, *P. L.*, XXII, 691.

[3] Ita **Watkins**, *op. cit.*, p. 380, qui tamen addit unicum Pontificem, *Gregorium II*, unicam exceptionem in casu particulari admisisse; de hoc casu, qui ad bigamiam potiusquam divortium spectat, jam diximus supra, n. 709; hic addere sufficiat alibi, in *Instructione matrimoniorum* (an. 722), eumdem Gregorium aperte mentem suam exponere de perfecta matrimonii indissolubilitate, ut videre est apud **Mansi**, t. XII, p. 259.

[4] *P. L.*, XX, 500.

possunt adulteri non videri". Hæc epistola sæpe a Rom. Pontificibus tanquam norma sequenda allegata est. In Gallia autem, Hibernia et Anglia, pauca fuerunt particularia concilia quæ, regum ac civilium legum auctoritati plus æquo faventia, aliquas divortii causas admiserunt, ut adulterium incestuosum, lepram incurabilem, ingressum unius conjugis in religionem [1]. Sed cetera concilia provincialia omnem divortii causam rejecerunt atque vinculi firmitatem contra plebis mores dissolutos ac principum vexationes constanter propugnaverunt, ita ut paucæ exceptiones superius allegatæ potius generalem regulam firment.

756. (c) Tandem, a tempore *Gratiani*, nullæ variationes, in Ecclesia *latina*, etiam in particularibus Conciliis, inveniri possunt. Auctoritas enim *Decreti* ubique accepta fuit; jamvero de indissolubilitate matrimonii hæc habet : "Vinculum conjugii fornicatione dissolvi non potest. Nulla ratione dissolvitur conjugium quod semel initum probatur. Mœchatur qui a viro dimissam ducere præsumit".

Nec sane nimis laudari potest indomita firmitas *Ecclesiæ*, quæ perpetuitati conjugiorum tuendæ semper intenta fuit, leges civiles de divortio palam reprobans, Protestantium hæresim de repudiis anathemate percellens, principibus potentissimis resistens, dum divortia a se facta ab Ecclesia approbari minaciter peterent.

"Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Cælestino III

[1] Ita *Synodus Vermeriensis* (753) et Conc. *Compediense* (756) sub Pippino rege habitum, ap. *Harduin.*, t. III, p. 1990 sq., 2005 sq.; Synodus secunda *S. Patricii*, ap. *Mansi*, t. VI, p. 526, quæ, licet S. Patricio adscribi non possit, est tamen valde antiqua; *Pænitentiale Theodori*, ap. *Haddan and Stubbs*, Councils, vol. III, p. 188. — Nonnulli theologi, præfatos canones in catholicum sensum intelligere conati sunt, sed incassum, ut cuicumque eosdem attente legenti patebit. Ut unum afferamus exemplum, sic se habet can. 9 Concil. Vermeriensis : "Si qui, necessitate inevitabili cogente, in alium ducatum seu provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui fidem mentiri non potest, secutus fuerit, et uxor ejus, cum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si nunquam in suam patriam se reversurum sperat, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pænitentia potest accipere". Nec mirum est pauca errasse particularia concilia, cum sola Ecclesia universalis, per Concilium œcumenicum aut per R. Pontificem loquens, sit infallibilis. Cfr. **Perrone**, *op. cit.*, p. 323-359; **Watkins**, *op. cit.*, p. 362-437.

et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem". (*Leo XIII*, Arcanum).

III. De casibus in quibus solvi potest matrimonium.

Matrimonium *fidelium ratum* et *consummatum* ex dictis nulla auctoritate humana solvi potest; sed matrimonium ab *infidelibus* contractum, cum non sit sacramentum, eamdem firmitatem non habet; item matrimonium fidelium *ratum* quidem, sed *non consummatum*, duplici modo solvi potest, per religiosam professionem et dispensationem S. Pontificis. De quibus nunc breviter disserendum.

1° De dissolutione matrimonii in infidelitate contracti seu de privilegio Paulino[1].

757. *Thesis :* **Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, si, uno ad fidem converso, alter nolit cohabitare pacifice, vel sine Creatoris injuria aut spirituali damno fidelis.**

Certum est ex declaratione *Innocentii III*[2] : "Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit : et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus : si infidelis discedit, discedat..." Ex *Codice* (1120, § 1) confirmatur : "Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino". — Privilegium hujusmodi vocatur privilegium *fidei*, quia in favorem fidei concessum; dicitur etiam *Paulinum*, utpote a S. Paulo promulgatum.

---

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 69, a. 5; **Sanchez**, l. VIII, disp. 74; **Drouin**, l. IX, q. IV, c. 1, § 3, dic. 2; **Billuart**, Diss. V., a. 2, § 2; **Benedictus XIV**, *De Synodo*, l. VI, c. 4, n. 3; **J. Leplat**, *Collectio variarum dissertationum casum Apostoli illustrantium;* **S. Alphons.**, n. 957; **Carrière**, n. 256 sq.; **Perrone**, l. II, sect. 1, c. 7, a. 2; **Palmieri**, th. 26-27; **Baller. P.**, n. 429-473; **De Angelis**, lib. IV, tit. 19, n. 6-11; **Gasparri**, n. 1083-1110; **Wernz**, n. 701-705. — [2] *Decretal.* l. IV, tit. 19, c. 7.

758. (A) *Script.* Paulus enim, post promulgatam legem generalem indissolubilitatis matrimonii, hæc addit : " Nam ceteris ego dico, non Dominus [1]. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam... Quod si infidelis discedit, *discedat : non enim servituti subjectus* est frater aut soror in hujusmodi " [2].. Jamvero his verbis Apostolus concedit facultatem solvendi vinculum matrimoniale pro casibus in thesi expressis; etenim (a) hic fideli converso Paulus concedit speciale privilegium, et quidem pro determinatis circumstantiis; atqui, si ageretur solum de separatione *a toro et mensa*, non autem de solutione vinculi, non daretur speciale privilegium, cum separatio sit commune remedium in simili casu; aliunde nulla declaratione opus erat ut conjux fidelis a cohabitatione liberetur, cum ex hypothesi impossibilis sit; ergo agitur de solutione vinculi; (b) additur partem fidelem non esse amplius *subjectam servituti;* jamvero servitus hujusmodi, discessione partis infidelis jam peracta, nihil aliud esse potest nisi ipsum vinculum matrimoniale, quod revera Apostolus infra (27) *ligamen* vocat; confirmatur ex eo quod sermo hujusmodi dirigitur ad neo-conversos, apud quos vigebat dissolutio matrimonii, non autem simplex separatio, quique proinde voce *discedat* solutionem vinculi naturaliter intelligebant; (c) tandem crescit vis argumenti, si animadvertitur antithesis quam Paulus instituit inter conjugia *fidelium* de quibus dicit (11) quod si vir discesserit, mulierem *innuptam* manere debere, et *infidelium* connubia, de quibus scribit : " *quod si infidelis discedit, discedat* "; hac enim oppositione satis ostendit in ultimo casu agi de vera solutione vinculi [3]. Fatemur tamen argumentum non esse apodicticum, nisi accedente Ecclesiæ praxi et auctoritate

[1] Probabilius hæc verba non ad sequentem, sed ad præcedentem sententiam referuntur, ubi Apostolus de viduis et virginibus dixerat, et sensus est ea quæ de virginitate servanda scripsit non esse præceptum, sed consilium. Cf. **Corluy,** *Spicilegium,* vol. II, p. 489. — [2] *I Cor.*, VII, 12-15.

[3] Apostolus directe non loquitur nisi de casu quo infidelis nolit cum conjuge converso habitare, sed duo postremi casus in primo includuntur : ille enim *moraliter discedit*, qui non vult cohabitare nisi cum Creatoris injuria, aut pertrahendo fidelem conjugem ad peccatum.

759. (**B**) *Auctoritate et praxi Ecclesiæ :* (**a**) Patres quidem plerique de hoc siluerunt, quia ipsis hac de re scribendi non se dabat opportunitas; nonnulli tamen, ut *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, aliique ita locuti sunt ut doctrinam supra expositam tenuisse videantur [1]. (**b**) *Innocentius III* (1160-1216) rem aperte declaravit, et ab ejus tempore, hæc praxis communis evasit in omnibus ecclesiis apud gentes recens conversas institutis. Jamvero praxis hujusmodi cum dogmate indissolubilitatis matrimonii connectitur, et cum bonis moribus; multoties a R. Pontificibus approbata fuit, qui regulas tradiderunt in eo casu a Missionariis servandas; ergo invictum est veritatis argumentum, cum Ecclesia errare non possit in re tanti momenti. (**c**) Ex *Codice* jam allegato firmatur thesis.

760. Controversia. Quærunt insuper theologi quo jure matrimonium infidelium in præfato casu solvatur.

(**A**) Nonnulli quidem, ut *Navarrus*, *Sanchez*, *Palmieri* [2] arbitrati sunt id fieri *auctoritate S. Pontificis :* si enim, inquiunt, R. Pontifex potest dissolvere matrimonium ratum, quod est sacramentum, potest etiam *a fortiori* dissolvere matrimonium consummatum infidelium, quod minus habet firmitatis. Præterea R. Pontifices hanc potestatem sibi asseruerunt, videlicet *Pius V* (*Romani Pontificis*) et *Gregorius XIII* (*Sæpe contingit*); hic enim quorumdam locorum Ordinariis facultatem concessit dispensandi ut quilibet fidelis, "etiam superstite conjuge infideli et ejus consensu minime requisito, responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli, alterius etiam ritus, contrahere et in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant".

761. (**B**) Communior tamen opinio, cum *Benedicto XIV* [3], tenet matrimonium consummatum infidelium solvi *jure divino*, prout a S. Paulo exponitur. Nam, inquiunt, valde dubium est saltem principium illud, quod scilicet matrimonium inter infideles consummatum minus sit firmum quam matrimonium inter fideles ratum : quamvis enim non sit sacramentum, est tamen verus contractus matrimonialis; porro omnis contractus hujusmodi a Christo ad pristinam indissolubilitatem revocatus fuit. Nec contrarium

---

[1] Quorum testimonia vide apud **Carrière**, n. 258, not. 1.

[2] **Navarrus**, *consil.* 3, lib. III, n. 12 sq., tit. de Conversione infidelium; **Sanchez**, lib. II, disp. XVII; **Palmieri**, th. 26.

[3] **Benedict. XIV**, *De Synodo*, l. VI, c. IV, n. 3; lib. XIII, c. 21; cfr. **de Angelis**, *op. cit.*, l. IV, tit. 19, p. 327 sq.

argui potest ex Litteris *Pii V* et *Gregorii XIII*, quæ duplici modo explicantur : (a) juxta quosdam, intelliguntur non de potestate solvendi matrimonium extra casum Paulinum, sed solum de dispensatione ab interpellatione facienda; nam in Brevi Pii V legitur : " maxime, quia difficillimum foret primum conjugem invenire "; in Litteris autem Gregorii XIII : " Dummodo constet etiam summario et extrajudicialiter conjugem absentem moneri legitime non posse, aut maritum intra tempus eidem monitioni præfixum suam voluntatem non significasse ". Quæ omnia sane ostendunt ibi agi de dispensatione ab interpellatione, præfatosque Pontifices hanc concessisse non extra privilegium Paulinum, sed tanquam juris divini interpretes. (b) Juxta alios autem, privilegium Paulinum fundatur quidem jure divino, sed dispensatio a duobus Pontificibus commemoratis concessa omnino differt a privilegio Paulino; nam Gregorius XIII concessit facultatem solvendi matrimonia in infidelitate contracta, etiam casu quo conjux absens baptismo regeneratus fuerat[1] : " Quæ quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et *ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse*, nihilominus rescindi nunquam debere ". Porro privilegium Paulinum ad hunc casum certe non extenditur. Ergo dicendum est Pontificem hanc specialem dispensationem concessisse, non virtute Paulini privilegii, sed vi *ministerialis potestatis* qua solvere potest antiqua neophytorum matrimonia nondum, post conversionem utriusque conjugis, consummata; quæ potestas similis est ei qua solvitur matrimonium ratum et non consummatum infra, n. 769; siquidem matrimonium, de quo agitur, fuerat quidem consummatum in infidelitate, non autem a tempore quo ratum fuerat conversione utriusque conjugis.

762. — Regulæ practicæ — Quinque requiruntur conditiones ut matrimonium legitimum solvatur ex privilegio paulino : 1. matrimonium in infidelitate initum; 2. conversio unius conjugis per receptum baptismum; 3. discessus partis infidelis; 4. interpellationes præviæ partis infidelis, cum responso negativo vel ab eis dispensatio; 5. novæ nuptiæ partis baptizatæ.

---

[1] Quod præsertim contigit tempore quo servi ab Africa ad Americam deferebantur; multi ex eis siquidem jam matrimonium contraxerant ac violenter a conjuge separati fuerant. Quando ad fidem convertebantur, interpellatio impossibilis erat, cum ubi esset alter conjux penitus ignotum esset; quandoque etiam contingebat ut alter conjux, in Africa relictus, ad veram fidem converteretur. Quo in casu, privilegio Paulino locus non erat. Porro S. Pontifex permisit ut hujusmodi servi novum matrimonium contraherent, proindeque auctoritate sua prius matrimonium solvit. Cfr. **Gury-Ballerini**, not. ad n. 759, p. 736, ed. 4ª; **Card. Billot**, th. 44.

(A) Requiritur primo ut matrimonium fuerit in *infidelitate initum.* Proinde "hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus" (c. 1120, § 2), neque in matrimonio inter baptizatos quorum alter factus est hæreticus aut apostata, neque (juxta communem sententiam) in matrimonio valide inito inter partem infidelem et partem hæreticam aut schismaticam.

(B) Requiritur etiam ut alterutra pars ad fidem convertatur per susceptum *baptismum* in Ecclesia catholica, vel etiam (juxta communiorem sententiam [1]) in secta hæretica aut schismatica, nam fundamentum privilegii non est fides, sed *sacramentum* fidei.

(C) Requiritur insuper ut altera pars *infidelis remaneat*, i. e. non baptizetur ante novas partis conversæ nuptias, *et* sine justa causa *discedat*, i. e. sine culpa partis baptizatæ. Jamvero discedere potest physice vel moraliter : *physice*, si conjugale consortium deserit, sive mala fide (ex odio in fidem), sive (juxta plerosque) ex qualicumque causa a parte fideli voluntarie et culpabiliter non posita; *moraliter*, si vult quidem cohabitare, sed non pacifice et sine injuria Creatoris v. g., concubinas retinendo, blasphemando, filios pagane educando, fidelem ad peccatum mortale trahendo contra fidem vel mores : in his enim casibus non vult pacifice cohabitare. Potest autem conversus hoc privilegio uti non solum statim post baptismum sed etiam post plures annos, si infidelis qui prius pacifice cohabitare consenserat, mutato consilio, id amplius facere nolit (*Codex*, c. 1124.)

Si vero pars infidelis discedat propter adulterium fidelis post baptismum commissum non datur locus privilegio Paulino, nisi ipse infidelis reus fuerit adulterii post baptismum partis conversæ; nam privilegium in favorem fidei, non in favorem delicti concessum est.

763. (D) De interpellatione speciatim. (a) Ut sciatur utrum infidelis velit converti, vel saltem pacifice cohabitare, *interpellatio* quædam requiritur, saltem quoties fieri possit, ut novum matrimonium possit licite, et etiam (juxta probabiliorem sententiam [2]) valide contrahi. Ait enim *Codex*

---

[1] Cf. **Gasparri**, n. 1331; **De Smet**, n. 345; **Wernz-Vidal**, n. 631, nota 55; **Chelodi**, *Jus matrimoniale*, n. 157 : **Vermeersch-Creusen**, *Epitome j. c.*, II, n. 428 : **Cappello**, *De Sacramentis*, III, n. 769.

[2] Juxta quosdam, v. g., **Wernz-Vidal**, n. 632, nota 68, **Chelodi**, n. 158, interpellationes non requiruntur ad validitatem, saltem quando certitudine

(c. 1121, § 2) : " Hæ interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit ". Ratio est quia fidelis, antequam iterum nubat, certior esse debet de contumacia infidelis; atqui regulariter de hoc certior esse nequit nisi per interpellationem.

Quæ interpellatio *post* susceptum baptismum fieri debet, nisi obtenta fuerit dispensatio, ac regulariter duo ab infideli quæri debent : 1) num velit ipse ad fidem converti; 2) num saltem pacifice cum fideli cohabitare velit sine contumelia Creatoris.

(b) *Si interpellatio est moraliter impossibilis* vel etiam valde difficilis, S. Pontifex ab ea dispensare solet. Dispensat pariter a secunda parte interpellationis " *num velit pacifice cohabitare* ", quando timetur ne periculum adsit perversionis; quod præsertim verificatur, si infidelis sit Judæus, quia periculum in hoc casu multo gravius censetur [1].

Insuper illa potestas ab interpellatione dispensandi conceditur : 1) urgente gravi necessitate, in qua tempus non est ad S. Sedem recurrendi, omnibus Episcopis et Vicariis apostolicis [2]; 2) extra hunc casum, vi specialis Indulti, quibusdam Episcopis, ut concessum est, v. g., in Canada : hoc tamen privilegium limitatur regionibus quibus datum est.

Priusquam vero ab interpellatione dispensetur, de ejus impossibilitate constare debet, omnibus utendo mediis ad detegendum locum ubi infidelis habitat, v. g., edictum ad valvas ecclesiæ affigendo, vel ad publicas ephemerides notitiam mittendo; præterea instrumentum in archiviis servandum est, ex quo constet absentem conjugem interpellari non potuisse.

Quando dispensatio ab interpellatione concessa est, si pars fidelis novum non contraxit matrimonium *per annum* post obtentam dispensationem, *nova* requiritur dispensatio, si postea matrimonium contrahere velit; aut interpellatio fieri debet, si jam possibilis evasit.

(c) Duplici modo fieri potest interpellatio : de auctoritate *Ordinarii forma saltem summaria* et *extrajudiciali*, vel *privatim* a parte conver-

---

morali constat de partis fidelis discessu, idque indubium videtur si pars infidelis abierit parte fideli inscia, aut certa notitia habeatur de ejus prava voluntate non cohabitandi pacifice.

[1] Concil. *Toletanum IV* prohibuit ne conjux conversus ex Judaismo cohabitaret cum comparte in Judaica perfidia remanente, propter periculum perversionis et nullam spem conversionis infidelis; hodie praxis est ut hæc cohabitatio permittatur in infidelibus regionibus, non autem in christianis. Cf. **Gasparri**, n. 1088.

[2] Ita ex *S. C. Concil.*, 11 Aug. 1859, ap. **Gasparri**, II, 1155.

sa. 1) Si *prius*, Ordinarius infidelem advocat, et ab eo quærit utrum converti velit, vel saltem pacifice cohabitare; responsum in archivio servatur. Si infidelis moram postulat, concedi debet, adjiciendo tamen, post elapsum præfixum tempus, negativum responsum præsumi. Si vero infidelis non comparet, persona delegatur ad eum interpellandum ubicumque inveniri potest.

Quibus positis, si infidelis ad utrumque quæsitum *negative* respondet (expresse vel tacite), fidelis statim potest ad alia vota transire, nisi ipse post baptismum dederit parti non baptizatæ justam discedendi causam (c. 1123), v. g. per adulterium. Si *affirmative* ad utrumque respondet, matrimonium stat. Si nolit converti, sed pacifice cohabitare consentiat, fidelis potest quidem separari ab infideli quoad torum et mensam, non autem quoad vinculum. Si tamen, judicio Ordinarii, ex cohabitatione periculum perversionis vel gravis peccati fideli immineret, dispensatio a secunda interpellatione quæri potest a S. Sede, ut, post negativum responsum ad primam quæstionem, fidelis novas nuptias contrahere possit. — Si infidelis diceret se velle converti, sed nolle pacifice cohabitare, hoc responsum non est serium, sed ut negativum haberi debet.

2) Interpellatio etiam *privatim* ab ipso converso conjuge facta, sufficit ad validitatem; imo et ad liceitatem, si forma superius præscripta servari nequit : ita ex can. 1122, § 2. Sed, ut valeat in foro externo, de ipsa constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo.

(d) Si infidelis conversus *plures* habeat uxores, *primam* uxorem legitimam retinere debet, si hæc converti velit, nisi tamen specialis dispensatio a S. Sede obtineatur, vel agatur de casibus expressis in variis constitutionibus Pauli III, Pii V et Gregorii XIII, quæ, pro peculiaribus locis scriptæ, ad alias quoque regiones in eisdem adjunctis extensæ sunt [1], de quibus infra.

764. (E) Quando factæ interpellationi datum est responsum negativum, sive expressum, sive tacitum (per silentium quod repulsæ æquivalet, v. g. induciis inutiliter prætermissis), novæ nuptiæ, quocumque tempore, etiam post plures annos, contrahi possunt, sed "vinculum prioris conjugii in infidelitate contracti tunc tantum solvitur cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit" (c. 1126) cum *persona catholica* (c. 1123), vel etiam, data speciali dispensatione, cum parte non catholica, ita ut, si contrahatur sine

[1] Quæ constitutiones invenientur in *Appendice ad Codicem*, doc. VI, VII, VIII.

tali dispensatione cum parte acatholica baptizata, matrimonium sit illicitum, invalidum vero si cum parte infideli.

N. B. — 1. In re dubia privilegium fidei gaudet favore juris (c. 1127). Proinde concludendum est in favorem juris pro parte conversa novas nuptias contrahendi quoties datur in hac re aliquod dubium positivum : v. g. de valore conjugii in infidelitate contracti, de validitate baptismi, etc.

2. Si proles ex priori matrimonio nata fuerit, tradenda est quidem parti fideli, si sit in minori ætate, ut in catholica religione educetur; si vero jam majoritatis annos attigerit, suo arbitrio relinqui debet.

765. Quæstio disputata. Quæritur insuper num *matrimonium infidelium jam consummatum, per dispensationem S. Pontificis aut alio modo solvi possit*, præter casum Paulinum, si unus conjux convertatur.

Jamvero omnes admittunt S. Pontificem non posse dispensare, si uterque conjux baptizetur et postea matrimonium consummet; sed controvertitur utrum solvi possit matrimonium quod post baptisma utriusque consummatum non fuit. (a) Prior sententia affirmat tale matrimonium solvi posse, tum per *professionem religiosam* a conjuge baptizato emissam, modo infra explicando, tum per dispensationem S. Pontificis. Nam *Paulus III* permisit Indis ut qui ante conversionem plures habebant uxores, et *non recordabantur* quam primo accepissent, conversi unam ex illis accipiant quam voluerint [1]. *S. Pius V* viro polygamo indulsit ut, post susceptum baptisma, ducere posset unam ex aliis uxoribus, quæ pariter convertitur, si primam invenire sit difficillimum [2]. Præterea *Gregorius XIII* permisit conversum conjugem alias nuptias inire quando impossibile est partem infidelem interpellare; et declaravit has nuptias validas esse "etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse" [3]. Jamvero hic non est casus Paulinus, sed est vera dispensatio a matrimonio legitimo post baptismum non consummato, præsertim quia id expresse S. Pontifex ibidem affirmare videtur : "Idcirco Nos, attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta, *non adeo rata censeri, ut, necessitate suadente, dissolvi non possint*". — Revera si S. Pontifex dissolvere potest matrimonium ratum, quod est Sacramentum, ut infra dicetur, potest etiam *a*

[1] Constit. *Altitudo*, 1 jun. 1537, ad calcem *Codicis*.
[2] Constit. 2 aug. 1571, ad calcem *Codicis*.
[3] Constit. 25 jan. 1585, ad calcem *Codicis*.

fortiori dissolvere matrimonium consummatum in infidelitate, sed non ratum, quod minus habet firmitatis.[1]— Accedit quod, juxta Codicem, can. 1125 : "ea quæ matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III, S. Pii V, Gregorii XIII... quæque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adjunctis extenduntur" et quidem ipso jure, ut videtur ex can. 1121, statuente in his casibus locum non esse interpellationibus.

(b) *Posterior sententia negat*[2] et explicat facta *Pauli III, S. Pii V* et *Gregorii XIII* tanquam authenticas declarationes privilegii Paulini, quatenus vox *discedit* intelligi potest de *morali discessione*, quæ verificatur quoties alter conjux inveniri nequit.

Unde in praxi ad S. Sedem recurratur, quæ sola casus hujusmodi solvere potest, nisi clare agatur de casibus in præfatis constitutionibus expressis.

2° De dissolutione matrimonii rati fidelium[3].

766. *Principium :* **Matrimonium fidelium ratum, et non consummatum, solvitur per solemnem alterius conjugum professionem in religione approbata, vel per dispensationem a S. Pontifice gravi de causa concessam.**

(**A**) Prima pars definita est a *Trid.*[4] : "Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, A. S." Probatur insuper (**a**) ex disertis declarationibus *Alexandri III* (1180), et *Innocentii III* (1210) qui scribit[5] : "Nos tamen nolentes a *prædecessorum* nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, relicto inconsulto, ad religionem transire, ita quod ex tunc legitime poterit alteri copulari"; ex quo patet hanc doctrinam ante sæc. XII fuisse receptam, cum S. Pontifex ad suos prædecessores appellet. (**b**) Ex *Codice*,

[1] Ita **Sanchez**, **S. Alphonsus**, **D'Annibale**, **Ballerini-Palmieri**, nec non duodecim theologi Soc. Jesu qui hac de re disputationem S. Sedi an. 1589 exhibuerunt, quam invenies ap. **Zitelli**, *De dispensat. matrimon.*, 183-197.

[2] Ita **Pontius**, **Benedictus XIV**, **De Angelis**, etc.

[3] **S. Thom.**, *Sup.* q. 61; **Sanchez**, l. II, disp. 18-23; **Drouin**, q. IV, c. 3, § 1; **Billuart**, diss. V, a. 2, § 4; **Carrière**, n. 302 sq.; **Perrone**, l. III, sect. 2, cap. 6, a.; **Palmieri**, th. 25; **De Angelis**, l. c., n. 12; **Gasparri**, n. 1081-1092; **Baller. P.**, n. 476-488 ed. 3; **Wernz-Vidal**, *op. cit.*, n. 619-629.

[4] *Trident.*, sess. XXIV, can. 6. — [5] *Decretal.* lib. III, tit. 32, cap. 14.

can. 1119: "Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso jure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a sede Apostolica ex justa causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita".

Notandum est tamen matrimonium ratum solvi tantum eo tempore quo emittitur *solemnis* professio, non autem quo quis religionem ingreditur aut *simplicia* vota emittit; hinc conjux in sæculo manens nec licite nec valide novas nuptias contrahit ante alterius professionem. Insuper non solvitur per votum simplex castitatis, neque per ordinis sacri susceptionem, vel vota emissa in Congregatione a S. Sede non approbata; sed solum per *solemnem* professionem, eam scilicet quæ ut talis ab Ecclesia agnita fuerit; proinde non per professionem simplicem, nec per vota *simplicia* in Societate Jesu emissa. Requiritur etiam ut professio *libere* fiat, post probationem trium saltem annorum, et adepta ætatė canonica, i. e. expleto anno vigesimo primo; cum autem, ex can. 542, conjux invalide ad novitiatum admittatur durante matrimonio, et, ex can. 572, invalida sit professio si non fuerit validus novitiatus, vix hodie locus esse potest huic casui.

Duo menses olim conjugibus ad deliberandum de ingressu in *religionem* concedebantur. Hoc privilegium non renovavit *Codex*, ut infertur ex can. 1111: "Utrique conjugi *ab ipso matrimonii initio* æquum jus et officium est, quod attinet ad actus proprios vitæ conjugalis".

767. (**B**) *Posterius*, licet a nonnullis antea negatum hodie certum evasit Ecclesiæ praxi; constat enim, jam a tempore *Martini V* (1417), potestatem dissolvendi matrimonia rata, propter graves rationes, fuisse a multis Pontificibus exercitam[1] et etiam diebus nostris exerceri, ut constat ex *Actis S. Sedis*, ubi quolibet anno nonnullæ hujusmodi dispensationes a matrimonio rato concessæ leguntur. Jamvero dicere nefas est R. Pontifices hanc potestatem usurpasse, præsertim cum sic agendo injuriam sacramento irrogassent, et adulteria permisissent. Concludendum est igitur cum *Benedicto XIV*[2]: "Nullam de potestate S. Pontificis moveri amplius posse quæstionem in eo quod attinet

[1] Cfr. **S. Antoninus**, *in Sum. theol.*, p. III, t. I; **Navarrus**, *Enchir.*, c. 22; **Perrone**, vol. III, p. 471 ed. 1861.

[2] *Quæst. Canon.*, 479.

ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, et in praxi sit recepta, ut notorium est". — Vide etiam can. 1119, supra relatum.

Ad exercitium hujus potestatis, duo requiruntur: *juridica* probatio de non-consummatione matrimonii, de qua dicemus in *Supplemento;* et *causa legitima*, qualis est probabilis nullitas matrimonii, moralis impossibilitas pro conjugibus simul cohabitandi, timor futuri scandali et adulterii ex parte saltem unius conjugum, matrimonium civile jam ab una parte cum tertia persona contractum, etc.

768. Controversia. Disputatur inter theologos *quo jure* matrimonium ratum professione religiosa solvatur, jure scilicet naturali, divino, an ecclesiastico?

(a) Quidam, cum *Bellarmino*, putarunt id fieri *jure divino naturali;* nam jure naturæ, de statu minus perfecto ad perfectiorem transire licet, si absque alterius detrimento id fieri possit; atqui status religionis perfectior est statu conjugii, nec aliunde damnum infertur proli, quæ non existit, vel alterutri conjugum, cum uterque sit in pari conditione; ergo. Quæ tamen opinio communiter rejicitur; nam falsum est licitum esse ex lege naturæ perfectiorem inire statum, cum obligatio jam suscepta huic statui adversatur; quamvis enim Episcopatus sit status matrimonio perfectior, non licet illum suscipere, invito conjuge, nec ejus susceptione solvitur matrimonium ratum.

(b) Alii, post *Suarez*, tenent id fieri *jure ecclesiastico;* nam Ecclesia potest, gravi de causa, matrimonium ratum solvere, et ex probatis constat; jamvero ea potestate usa est quoad professionem religiosam; ipsa autem solemnitates religiosæ professionis determinavit, ipsaque statuit matrimonium solvi per vota solemnia non autem per vota simplicia. Hæc tamen opinio non bene cum canone Tridentino supra citato conciliatur; si enim *de fide est* matrimonium per professionem religiosam solvi, hæc veritas debuit a Christo revelari, proindeque dissolutio fit jure divino, non simpliciter ecclesiastico [1].

[1] Nec dicere juvat canonem *Tridentinum* esse *disciplinarem*, non dogmaticum; nam veritas a Concilio proposita non est quod Ecclesia potestatem habeat dirimendi matrimonium ratum, sed quod revera per professionem religionem dirimatur matrimonium: quæ quidem veritas est ex se dogmatica, et semper vera esse debet; jamvero si jure ecclesiastico tale privilegium concessum fuisset, eadem auctoritate tolli posset, et jam falsum evaderet quod in canone declaratur. Cf. **Palmieri**, l. c.

(c) Hinc tertia est opinio asserens, cum *Benedicto XIV*[1], dissolutionem fieri *jure divino*, quatenus legi indissolubilitatis Christus exceptionem apposuit in gratiam status religiosi, quemadmodum vidimus unam appositam matrimonio infidelium. Sic enim intelligitur quomodo *Tridentinum* rem definire potuerit tamquam de fide, quomodo pariter Pontifices qui primi de hoc privilegio locuti sunt, praxim jam plane stabilitam supposuerint, nec ullæ reclamationes tunc ortæ fuerint. Objiciunt quidem adversarii solemnitatem religiosæ professionis ab ipsa Ecclesia institutam fuisse; sed difficultas evanescit, si admittatur matrimonium in hoc casu solvi *jure partim divino, partim ecclesiastico*. Res sic concipi potest : Christus in communi tantum determinavit matrimonium solvi posse per statum religiosum, Ecclesiæ potestatem relinquendo determinandi *in specie* conditiones quæ statum religiosum constituant, proindeque matrimonium ratum dirimant; sic enim intelligitur quomodo, ita statuente Ecclesia, vota solemnia non autem simplicia hunc producunt effectum.

769. (d) Quarta tandem opinio tenet matrimonium in utroque casu solvi *jure divino implicito*, seu *per ministerialem illam potestatem*, qua Ecclesia dispensat a voto, juramento, aliisque impedimentis, propter gravem necessitatem. Videlicet in amplissima potestate clavium a Christo collata comprehenditur ministerialis seu instrumentalis facultas dispensandi a quibusdam obligationibus jure divino inductis, quando spiritualis animarum utilitas id requirit. Jamvero obligatio quæ resultat ex vinculo matrimonii rati et non consummati, licet oriatur ex jure divino, non ita perfecta est ut nullomodo solvi possit, gravi interveniente causa. Quæ sententia sat probabilis est, et sufficienter explicat cur matrimonium hujusmodi non solum per professionem religiosam, sed etiam per dispensationem Pontificis solvi possit, licet nil hac de re explicite in Scriptura aut primæva Traditione inveniatur[2].

770. *Objicitur* quidem his exceptionibus perimi indissolubilitatem matrimonii; sed immerito; nam hic agitur tantum de matrimonio rato, proindeque mala quæ ex divortio consequuntur ex parte conjugum et prolis hic non verificantur; insuper dissolutio fit non auctoritate privata, sed a Romano Pontifice post longam inqui-

[1] **Benedict. XIV**, *quæst. can. et moral.*, q. 546. — Quod tamen **Card. Billot** explicat de *jure divino mediato* usum potestatis clavium consequente.

[2] Ad fusiorem hujus opinionis expositionem vide **Billot**, th. 44-45.

sitionem, si de casu particulari sit quæstio, et nonnisi gravibus de causis; si agatur autem de casu solemnis professionis, pauca incommoda quæ forsan exinde sequuntur, compensantur per excellentius bonum vitæ religiosæ, nec aliunde timendum est multos fore qui voluptatibus renuntient ut religionis austeritates amplectantur. Non periclitatur ergo his paucis exceptionibus matrimonii indissolubilitas [1].

IV. De ratione agendi quoad divortium civile.

771. 1° **Status quæstionis.** Cum in multis regionibus lex civilis divortium permittat cum facultate ad novas nuptias convolandi, dicendum superest de ratione agendi respectu hujusmodi legis.

(**A**) Lex ipsa, *quando naturale vinculum matrimoniale solvere intendit*, est *evidenter mala*, [2] ex *intentione legislatoris* et ex *pravis effectibus* quos secum trahit. (**a**) Quia duplicem errorem dogmaticum involvit tum contra exclusivam Ecclesiæ competentiam in vinculum matrimoniale, tum contra indissolubilitatem matrimonii rati et consummati; (**b**) et prava consectaria inducit pro individuis, familiis ac societate divortiis favendo, ut ex dictis constat, n. 742. Graviter igitur peccant qui ad legem hujusmodi condendam cooperantur.

772. (**B**) Sed quæritur insuper utrum legis executioni cooperari liceat, utrum videlicet *judex* possit sine peccato divortii sententiam ferre, *conjuges* valeant eam petere, *procurator* et *advocatus* eidem patrocinari [3]. Ut certa ab incertis secernamus, hæc ab omnibus conceduntur : —

(**a**) *Judex civilis* potest causam matrimonialem acceptare et ad examen revocare, dummodo *contra divortium* senten-

---

[1] **Pisani**, *L'Eglise et le divorce*, in period. *Le Correspondant*, t. 217, 10 oct. 1904, p. 20-46.

[2] Utrum sit *intrinsece* an *extrinsece* mala expenditur, n. 775-779.

[3] Ante mensem aprilem 1886, quæstio agitabatur etiam in Gallia quoad *syndicum* (*maire*), quia judex non proprie ferebat sententiam divortii, sed solum declarabat locum esse divortio et postea syndicus divortium pronuntiabat; sed jam ab an. 1886, judex ipse fert sententiam, et syndicus solummodo jubet eamdem ab *actuario* (*greffier*) in actis status civilis transcribi; jamvero transcribere sententiam, etiam intrinsece injustam, est cooperatio valde remota, quæ rationabili de causa permittitur. Cfr. **Gasparri**, n. 1234.

tiam ferat, et aliunde gravissimæ adsint rationes hanc causam agendi, v. g., ne officio cedere teneatur.

Id enim declaravit *S. Officium*, 25 jun. 1885 : "Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, tolerari posse ut qui *magistratus* obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem; et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, ejus judicio se dirigat, et quatenus opus sit, per ejus medium ad Apostolicam Pænitentiariam recurrat" [1].

773. (b) Conjuges qui *invalide* contraxerunt, vel quorum matrimonium auctoritate S. Pontificis solutum fuit, licite possunt ad civile tribunal recurrere ut divortium obtineant (quamvis plerumque expediat eos, dispensatione obtenta, si concedi possit, consensum renovare); tunc enim non petitur solutio vinculi matrimonialis quod non existit, sed solum *relaxatio civilium effectuum*, qui annectuntur contractui quem Status ut validum habet.

Quod constat ex responso *S. Officii* ad Episcopum Neo-Aurelianensem [2], 9 sept. 1824, ubi declaratur in hoc casu inducendos esse contrahentes ut, sanato vitio canonico, quoties fieri potest, validum ineant matrimonium; si vero uterque vel alteruter ad nova vota transire velit, denegandam non esse libertatem ad civile tribunal confugiendi, ut sibi reddatur civilis facultas alias ineundi nuptias : "Non id esset civilis repudii morem approbare, dummodo rite instruatur postulans id non ideo fieri, ut solvatur matrimoniale vinculum, quia nullo jam vinculo detinetur, sed tantum ut se ac parochum legalibus pœnis civilibusque vexationibus redimat... Hisce vero penes Gubernium peragendis non se immiscere debent missionarii. Qui nubere exposcit, ipse negotium suum agat". Quo casu judex, procurator et advocatus huic judicio concurrentes licite agunt.

---

[1] Ap. **Gasparri**, n. 1165; **Baller. P.**, n. 825; ibidem legere est aliud simile decretum *S. Officii*, 19 dec. 1860 ad Ep. Southwarcensem in Anglia, quoad causas de divortio semi-pleno, seu de separatione quoad torum et habitationem.

[2] Ap. **Kenrick**, n. 111.

(c) Quando una pars divortium petiit, altera potest se defendere, etiam actione reconventionali, ut divortium in sui favorem feratur; sed, judicio divortii jam prolato, novas nequit inire nuptias.

774. (d) Aliunde certum est eos conjuges, qui valido matrimonio uniuntur, graviter peccare quando divortium civile petunt *cum intentione ad novas nuptias convolandi :* hi enim volunt divinam legem indissolubilitatis violare et adulterium perpetrare.

775. 2° **Quæstio disputata.** Si autem præscindatur ab intentione novum ineundi matrimonium, ac nihil quæratur nisi *solutio matrimonii civilis* et obligationum huic annexarum, valde *controvertitur* inter theologos utrum *conjuges* eam petere possint, et *judex* sententiam divortii ferre possit. Hanc ultimam quæstionem primum tractabimus, argumenta utriusque sententiæ referendo; ex solutione enim hujus quæstionis, pendet prioris solutio.

(A) *Prior* opinio, quam tuentur *Bucceroni*, *Baudier*, *Rosset*, *Aertnys*, aliique, tenet sententiam divortii a *judice* latam esse *intrinsece malam*, proindeque nunquam permitti posse. Probatur [1] :

(a) *Ratione.* 1) Si qua lex est quæ aliquid contineat contra jus naturale et divinum, lex profecto est divortii quoad ipsum matrimonii vinculum. Atqui "si scriptura legis contineat aliquid contra jus naturale, injusta est, nec habet vim obligandi... et ideo secundum eam non est judicandum" [2]; secus enim judicaretur secundum injustitiam et contra jus naturale et divinum, quod certe intrinsece illicitum est. Nec profecto minus intrinsece illicitum est in hac re matrimonii, quam in alia quavis re temporalis boni et proprietatis, sententiam ferre contra jus naturale et divinum.

2) Intrinsece illicita et iniqua est ipsa *lex* divortii. Ergo adhuc magis intrinsece illicita et iniqua est *sententia* divortii. Nam sententia judicis est, quæ eam de facto practicam seu practico-practicam constituit : "Sententia judicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto" [3].

Nec dicatur judicem nihil aliud facere quam declarare legem in casu particulari, et aliunde intrinsece malum non esse declarare id

[1] Hæc argumenta desumimus quoad substantiam ex opere **Bucceroni**, l. c.
[2] **S. Thom.**, 2. 2., q. 60, a. 5, ad 1. — [3] **S. Thom.**, 2. 2., q. 67, a. 1.

quod lex iniqua contineat. Hæc ratio nihil prorsus valet; judex enim declarat legem *authentice* et *auctoritative*, definiens vel determinans justum in casu particulari; porro intrinsece malum est *auctoritative* et *juridice* declarare, et quidem omnino *practice*, justum esse quod in se injustum est. Nam hæc cooperatio judicis vere *formalis* est, quia tota quanta est, tendit in facultatem concedendam, ex parte legis, convolandi ad alias nuptias : quod in se malum est; est cooperatio *natura sua efficax*, quia prædicta nubendi facultas in casu particulari nonnisi sententiæ judicis effectus est.

Nec asserere juvat sententiam divortii attingere *tantum contractum civilem*, et civiles effectus cum eo connexos, non autem contractum sacramentalem. Nam *mens Legislatorum est ipsum vinculum attingere* et matrimonium dissolvere, potestate civiliter facta ad alias nuptias convolandi : quod est intrinsece malum. Porro, si *lex* divortii est intrinsece mala, etiam *sententia* divortii intrinsece illicita est, cum judex legem auctoritative interpretetur, eam ad particularem casum applicando.

776. (b) *Auctoritate Rom. Congregationum.* Orto enim dubio de interpretatione decreti 25 jun. 1885 (supra, n. 772), a *S. Officio* quæsitum est : " 1) An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, juxta quam satisfacit conditioni præcitatæ judex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti animo abstrahit, et applicans legem civilem pronuntiat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatæ sententiæ? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico juri non repugnans?

2) Postquam judex pronuntiavit locum esse divortio, an possit Syndicus (gallice, *le maire*), et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia?

3) Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars? "

Jamvero die 27 maii 1886 *S. Officium* respondit : " Ad primum, secundum et tertium dubium *Negative* "[1].

Insuper *S. Pœnitentiariæ* hoc dubium propositum est : " Mulier, vi sententiæ separata a marito quoad torum, vellet ad vitam sustentandam quoddam publicum munus suscipere *(un bureau de tabac)* :

[1] *Acta S. Sedis*, XXII, p. 635-636; **Gasparri**, n. 1242.

sed Gubernium id non sinit, nisi petat divortium. Ipsa petere vellet, sed, in sua intentione, semper salvo ligamine". — *S. Pænit.* 5 jan. 1887, reposuit[1] : Mulieri pænitenti in casu nihil aliud esse consulendum, nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat".

Eodem modo respondit S. Pænitentiaria, 14 jan. 1891, relate ad mulierem quæ divortium civile obtinere volebat ut in rebus pecuniariis maxima damna vitaret[2]; 3 jun. 1891 relate ad aliam uxorem, quæ jam a viro separata, divortium petere intendebat, ut, sublatis matrimonii effectibus civilibus, tutelam suæ neptis suscipere posset eamque sic a gravissimis periculis liberare[3].

Porro ex his omnibus decisionibus merito infertur sententiam divortii, etiam præscindendo a novis nuptiis ineundis, esse intrinsece malam, cum non permittatur eam petere aut ferre etiam quando nulla habetur intentio iterum nubendi.

777. (**B**) *Posterior* opinio, quam sequuntur *Kenrick*, *Ballerini*, *Palmieri*, *Lemhkuhl*, *Konings*, *Sabetti*, *Allègre*, *Genicot*, *De Becker*, (loc. cit.) aliique, putat divortium civile peti ac *pronuntiari posse*, dummodo conjuges et judex declarent se *solum effectus civiles* solumque civilem contractum spectare, et aliunde *gravis adsit causa* ad compensanda damna exinde oritura. Quod probant :

(a) *Ratione.* Ut recte judicetur de legitimitate divortii civilis, præ mente haberi debet illud nihil aliud esse nisi solutionem *matrimonii civilis*, non autem matrimonii religiosi. Siquidem lex civilis nihil potest circa sacramentum matrimonii nec proinde circa vinculum matrimoniale inter christianos, sed solum circa aliquos civiles effectus e contractu dimanantes; proinde *matrimonium civile*, ubi existit, non gignit nisi vinculum quoddam legale quoad hos civiles effectus; ideoque *divortium civile* destruit solummodo civiles effectus a lege creatos, ita ut, post sententiam, res se habeat eodem modo ac si nullum matrimonium civile contractum fuisset. Atqui solutio effectuum mere civilium est actus per se indifferens, non autem intrinsece malus.

Ex altero autem capite, cum ex divortio civili quædam mala sequantur ex eo quod matrimonium religiosum, quod subsistit, protectione legis civilis careat, gravis requiritur ratio ut tale divortium petatur vel pronuntietur, v. g., ne judex suum munus deserere cogatur, vel ne conjux innocens prolem educandam relinquat impio conjugi.

778. Exinde solvi possunt argumenta a priori sententia proposita. Siquidem lex *divortii civilis* ex se non est intrinsece mala,

[1] Ap. **Gasparri**, n. 1244.
[2] *Ami du Clergé*, XIV, 1892, p. 350.
[3] *Ami du Clergé*, XIV, 1892, p. 350.

quia *ex se* non tangit matrimoniale vinculum, sed solum solvit illos effectus civiles quos creaverat; proinde judex, quando sententiam divortii pronuntiat, solummodo declarat contractum matrimonialem non amplius gaudere protectione legis; quod sane non est intrinsece malum. — Revera lex divortii civilis non est *in se* pejor ipsa lege matrimonii civilis, cum divortium sit solummodo solutio civilis matrimonii. Atqui Ecclesia permittit, imo certis in adjunctis, consulit actum matrimonii civilis; ergo lex divortii non est *in se* intrinsece mala.

Objicitur quidem legem malam esse *ex intentione* legislatoris, qui vult etiam matrimoniale vinculum attingere; — sed intentio legislatoris, etiamsi talis esset, non cadit sub lege; et si judex omnino præscindat ab illa intentione et respiciat solum civiles effectus civilemque contractum, peccato legislatoris non cooperatur.

Objicitur pariter e divortio civili sequi pessimos effectus, præsertim adulterinas uniones. — Sed hi effectus non sequuntur *per se* ex ipsa sententia divortii, sed solum *per accidens*, cum tribui debeant ipsi malitiæ conjugum; nam, quando judex pronuntiat divortium civile, non declarat *licere* conjugibus novas inire nuptias, sed solum eas a lege civili non puniri ut adulterinas.

779. (b) *Auctoritate;* nam *Rom. Congregationes*, quamvis nullam speculativam hujus difficultatis solutionem dederint, permiserunt in quibusdam adjunctis judices sententiam divortii ferre.

1) Imprimis responsum 27 maii 1886 (supra, n. 776) non est universale, nec dirimit quæstionem; nam Nuntius Apostolicus Belgii, 14 sept. 1886, Gubernio declaravit : " Em. Card. a Secretis Status significavit mihi, jubente hoc Sanctitate Sua, *Congreg. S. Officii* declarasse quod decretum diei 27 maii non respicit Belgium, et idcirco nihil esse in hac regione mutatum quoad ea quæ spectant ad materiam divortii " [1]. Porro in Belgio eadem est lex quoad divortium ac in Gallia, et judices catholici sententias juxta legem ferunt, quin eorum agendi ratio a S. Sede reprobetur.

2) In Galliis, Episcopus N. exposuit catholicum magistratum nominatum fuisse præsidem tribunalis civilis, sed paratum esse officio cedere, si sententiam divortii civilis in conscientia ferre non posset, quia in praxi haud semper possibile est vel partem actricem a sua petitione deterrere, vel ejus petitionem rejicere contra apertam legis dispositionem; et, præmissis duabus quæstionibus doctrinalibus circa divortium, quæsivit : " An onus dignitatemque præsidis tribunalis civilis possit acceptare, cum perspectum habeat quod inde erit constitutus in strictiori necessitate ferendi sæpius sententiam divortii ". — *S. Officium*, 26 jul. 1887, reposuit : " Excitandum

[1] Ap. **Ball. P.**, n. 528; cfr. **Gasparri**, n. 1243.

summopere ab Amplitudine Tua judicem, de quo agitur, ut in officio perseveret, stando restrictionibus jam datis a S. Sede, et adhibitis cautelis, quæ a virtute prudentiæ suadentur".

3) Pariter Episcopus Lucionensis quæsierat utrum syndicus possit pronuntiare divortium civile in casu particulari in quo secus magistratu spoliaretur, dummodo 1° "catholicam doctrinam de matrimonio, deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur; 2° in ipsa sententia, et tanquam magistratus loquens, publice declaret se solos effectus civiles, solumque civilem contractum abrumpere velle, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia". *S. Pænitent.* 23 sept. 1887 respondit: "eumdem (Episcopum) in hoc casu particulari, si inspectis omnibus ejus adjunctis ita in Domino expedire judicaverit, tolerare posse ut syndicus orator ad actum, de quo in precibus, procedat cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum *solumque civilem contractum abrumpere velle*, ponat: solumque civilem contractum spectare posse"[1].

Jamvero si in quibusdam adjunctis permittitur sententia divortii civilis, hæc intrinsece mala dici nequit; quod enim intrinsece malum est, nunquam permittitur. — Nec dicatur Congregationem uti verbo *tolerare posse*, ut exinde inferatur rem esse per se illicitam; nam, ut recte ait *Palmieri*[2], "fideles decisionem postulabant, ut suæ conscientiæ coram Deo consulerent eique consulere intendebat S. Congregatio. Tolerantia ergo, quam S. C. in certis adjunctis consulit Episcopis, malitiam actus excludit".

780. 3° **Conclusiones practicæ.** Nostri non est componere litem quam *Rom. Congregationes* dirimere noluerunt; sed ex argumentis et decisionibus supra allatis quædam conclusiones inferri possunt.

(**A**) **Prænotanda.** (**a**) Ubi lex divortii *per longum tempus* viguit, bona fides multo facilius existit, in iis qui ad sententiam divortii concurrunt; et aliunde multo difficilius legi resistitur quam ubi recenter promulgata est. Hinc responsa Congregationum strictiora fuerunt pro Gallia quam pro Belgio, quia in hac regione lex divortii est antiquior.

(**b**) In casu particulari, attendendum est ad varia adjuncta variaque incommoda quæ ex divortii concessione

[1] Ap. **Gasparri**, n. 1246. — Formula *civilem contractum abrumpere* S. Congregationi non placuit, forsan ne ipsius vinculi dissolutio videatur significari, ut notat **Ball. P.**, n. 825. — [2] **Baller. P.**, n. 531.

vel ex ejus denegatione sequenda prævidentur : facilius enim permittitur aut toleratur cooperatio quando eam requirunt motiva boni spiritualis et publici quam ubi adsunt tantum motiva ordinis temporalis et privati. Hinc etiam pro Gallia responsa diversa fuerunt pro diversis adjunctis, et *S. Pænitentiaria* non semel dixit "in mente habuisse ut casui *particulari* pro ejus *circumstantiis* et *exigentiis* provideret" [1].

781. (B) **De conjugibus.** (a) Ubi lex civilis non admittit separationem quoad torum et habitationem, sed solum divortium (prout in multis Americæ Statibus), conjux qui jus habet ad separationem potest, ex consensu auctoritatis ecclesiasticæ, divortium petere, *significans se intelligere divortium semi-plenum*, dummodo gravis adsit ratio ad compensanda mala exinde oritura. — Idem forsan dici potest quando simplex separatio, prout a lege intelligitur, non sufficeret ad effectum intentum, v. g., quando divortium plenum necessarium est ut tuto provideatur catholicæ prolis educationi [2], vel ad excludendos filios adulterinos ab hæreditate quæ filiis legitimis propria est [3].

(b) Ubi autem separatio viget simul cum divortio, et sufficit ad obtinendum effectum intentum, non licet *regulariter* conjugibus petere divortium absolutum, cum sufficiens causa id faciendi desit [4].

782. (C) **Advocatus** et **procurator,** cum ipsos conjuges repræsentent, divortii causæ patrocinari possunt, quoties conjugibus divortium petere licet. Quando igitur cliens ideo dissolutionem prioris vinculi quærit quia intendit

---

[1] Ita, v. g., 4 jun. 1890, ap. **Gasparri**, n. 1247.

[2] Cfr. *Conférences ecclésiastiques* de Paris, 1895, p. 119.

[3] Quod inferri potest e responso *S. Pænitent.*, 30 jul. 1892; siquidem ad quæstionem : num maritus divortium petere possit ab uxore adultera, quando nullum aliud medium suppetit obtinendi repudiationem paternitatis circa filios adulterinos horumque exclusionem a parte prolis legitimæ, responsum est : *orator consulat probatos auctores.*

[4] *Conc. Balt. III*, n. 224, declarat, "gravissimæ culpæ illos esse reos qui a magistratu civili matrimonium dissolvi postulant", et pœnam excommunicationis statuit Ordinario reservatam "ipso facto incurrendam ab eis qui, postquam divortium civile obtinuerint, matrimonium ausi fuerint attentare".

novas inire nuptias, operam suam præstare nequeunt, ob lucrum captandum.

783. (D) **De judicibus.** (a) Tenentur omnia adhibere media ut a sententia divortii pronuntianda abstinere valeant, v. g., suadendo ut partes reconcilientur aut separationem tantum petant; vel abstinendo ab ulla sententia ferenda, v. g., casum remittendo ad aliam diem et ad alium judicem transferendo.

(b) Si vero a sententia divortii ferenda abstinere nequeant quin munus suum amittant, tolerari potest ut sententiam pronuntient, dummodo declarent se solos civiles effectus respicere. Non enim certo constat id esse intrinsece malum, et aliunde gravissima adest ratio ordinis publici, cum secus catholici partes judicis agere non valerent, magno cum Reipublicæ damno.

(c) Idem dicendum est de *syndico aliisve magistratibus* qui, post judicis sententiam, divortium proclamare debent; imo minor videtur sufficere ratio, cum minor sit eorum cooperatio.

784. Si vero *conjuges*, post obtentam civilis divortii sententiam, *alias nuptias, manente priori vinculo, inire attentant*, communiter tenetur illicitum esse magistratibus hanc adulterinam unionem auctoritate legis civilis sancire : ita enim jura legitimi matrimonii publice adulterio tribuuntur. — Quidam tamen dicunt assistentiam syndici in hoc casu non esse intrinsece malam; nam huic matrimonio præsens est solum ut testis officialis, et proinde ejus cooperatio non est valde proxima; non potest quidem hanc cooperationem præstare sine gravissima ratione, quia ex lege caritatis prohibetur concurrere in malum proximi; sed si gravissima urgeat ratio, v. g., periculum munus suum amittendi, ad vitandum scandalum, cáute partes moneat hanc esse meram civilem cæremoniam, quæ nihil prorsus coram Ecclesia valeat [1].

785. (E) *De consectariis divortii quoad hæreditatem.* (a) Quando filii legitimi e priori matrimonio valido nati sunt, et adulterini e

[1] Ita **Santi** (in libr. IV, tit. 3, n. 55-58), qui per multos annos *S. Pænitentiariæ* canonista fuit; **Gasparri**, n. 1231; **Genicot**, n. 562

posteriori invalido, practice illegitimi acceptare possunt partem hæreditatis sibi devolutam sive per testamentum, sive per legem civilem successionis. Nam parentes contra justitiam non peccant aliquam bonorum partem illegitimæ proli relinquendo, cum minime teneantur totam hæreditatem proli legitimæ tradere; ergo a fortiori contra justitiam non peccant illegitimi portionem sibi relictam acceptando. Idem dicendum si parentes sine testamento moriuntur; cum enim scirent bonorum partem ad filios adulterinos transituram esse, nec id contraria dispositione impedierint, implicite saltem in id consenserunt.

(b) Pariter, si parentes non relinquunt nisi filios adulterinos, hi possunt tuta conscientia hæreditatem accipere, nec tenentur eam aliis consanguineis cedere : hic enim militat eadem ratio.

(c) Si vero parentes testamento de suis bonis disposuerunt, possuntne filii adulterini illud tanquam invalidum impugnare, sive ob legalem portionem sibi non relictam, sive ob aliam causam? — Si defectus talis est ut ultimam parentum voluntatem dubiam reddat, possunt quidem testamentum impugnare et judicis sententiam sequi. Sed, si voluntas parentum certo constat, non licet testamentum impugnare; nam merito censetur hos suam culpam reparare voluisse, bona sua legitimis hæredibus relinquendo; et aliunde lex civilis injusta divortii nullum jus conferre potest filiis adulterinis; unde hi non solum contra pietatem, sed etiam contra justitiam peccarent testamentum impugnando in hoc casu. — Attamen ubi divortium per longum tempus jam viguit, filii adulterini facile in bona fide esse possunt, et aliquando expedit eos non instruere, ne exinde graviora mala oriantur.

786. Scholion de ratione agendi cum iis qui divortium obtinuerunt. (a) *Si novum matrimonium contrahere nolint*, moneantur ut reconcilientur et maritale consortium resumant, si fieri possit; si vero id impossibile aut inopportunum sit, scandalum reparent et separationem quoad habitationem ab ecclesiastica auctoritate petant, ex dicendis infra, n. 793 sq. Tunc ad sacramenta etiam *publice* admitti possunt; *privatim* autem *absolvi* poterunt statim ac id præstare promiserint.

(b) *Si novum civile matrimonium inierint*, moneantur primum ut a concubinatu recedant; si id præstiterint scandalumque reparaverint, ad sacramenta publice admitti possunt; sed, excepta urgente necessitate, *regulariter* absolvi nequeunt etiam privatim nisi concubinatum efficaciter abru-

perint. Postea, sicut priores, ab auctoritate ecclesiastica separationem petent.

V. De separatione quoad torum et habitationem[1].

Quibus expositis de divortio quoad *vinculum*, dicendum superest de separatione quoad *torum* et habitationem. Quo melius res intelligatur, quatuor declarabimus : 1° conjugalis cohabitationis *obligationem;* 2° *legitimitatem* separationis ob gravem causam; 3° præcipuas *separationis causas;* 4° *modum* in separatione servandum.

1° De conjugalis cohabitationis obligatione.

787. (A) *Principium :* **Regulariter conjuges tenentur in eadem domo habitare, eademque mensa eodemque toro uti.** Certum est ex *Codice*, c. 1128 : " Conjuges servare debent vitæ conjugalis consuetudinem, nisi justa causa eos excuset ".

(**a**) Id enim ex *Scriptura*[2] deducitur, prout a Patribus intelligitur : " Relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una "; vox enim *adhærebit* intimam ac constantem unionem significat, et ex contextu colligitur hanc arctiorem esse quam eam quæ inter parentes ac filios existit; verba autem " et erunt *duo in carne una* " communionem tori haud obscure designant.

(**b**) Idem constat ex ipsis *matrimonii finibus :* hoc enim exigit 1) *debitum conjugale*, quod facile reddi nequit absque regulari conjugum cohabitatione; 2) *bona prolis educatio*, quæ utriusque conjugis cooperationem postulat; nam ad bonam educationem desideratur tum matris tener amor et provida cura, tum patris severa auctoritas et consummata prudentia; 3) *communis vitæ consortium :* mutuo enim se juvare ac solari debent : vir enim fortior ac prudentior est muliere, quæ igitur viri consiliis et directione eget; e converso mulier aptior est rebus domesticis, et ideo ejus

[1] S. Thom., *Supplem.*, q. 62; Sanchez, lib. X, disp. 3-18; Rosset, n. 3622-3693 et n. 3850-4062; Wernz-Vidal, 639-649; R. Le Picard, *La communauté de la vie conjugale*, Paris, 1930. — [2] *Gen.*, II, 24.

opera eget vir [1]; id autem præstare non valent, nisi simul vivant.

788. (**B**) *Corollaria :* (**a**) **De cohabitatione.** 1) Cum vir et mulier sint una caro, diutius separari non debent absque gravi causa. Cum autem vir sit caput mulieris, *regulariter* uxor virum sequi tenetur quocumque ierit, etiamsi in exilium mittatur vel in longinquam regionem abeat, nisi sit gravis ratio excusans. Ex alia autem parte, vir ad longum tempus discedens, uxorem secum adducere tenetur, nisi gravis obstet ratio. Si vero vir brevi tempore discessurus est, uxorem non tenetur secum ducere.

Dictum est *regulariter*, quia uxor virum sequi non tenetur, si id fieri nequeat absque gravi damno spirituali aut temporali, v. g., si proximo exponeretur periculo peccati, mortis vel gravis detrimenti. Hinc ipsi non incumbit obligatio sequendi virum ubique vagantem, nisi ante nuptias vitam ejus errabundam cognoverit.

2) Regulariter etiam conjuges de eadem mensa participare debent, ut mutuæ conversationis solatio frui valeant. Vir uxorem alere tenetur, nisi aliter conventum fuerit, etiamsi hæc *dotem* non habeat; uxor autem, rei domesticæ, secundum suam conditionem, attendere.

3) Generatim etiam communio tori adesse debet : si vero conjuges, ob rationabilem causam, distinctum cubiculum et torum habeant, cuique in alterius cubiculum liber accessus pateat.

789. (**b**) **De mutuis relationibus.** 1) Quoad *vitam conjugalem.* Ut conjuges pacifice ac feliciter cohabitent, quasdam virtutes colere debent, præsertim *castum amorem, constantem fidem, mutuum juvamen;* insuper vir *præsidium uxori* præstare debet, et mulier *obedientiam viro.*

Quod sic egregie declarat *Leo XIII*, in Encycl. *Arcanum :* " Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant. Vir est familiæ princeps, et caput mulieris; quæ tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem non ancillæ, sed sociæ; ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui præest, et in hac quæ paret, cum imaginem uterque

[1] **S. Thomas**, *Comment. in Ethic.*, lib. VIII, c. 12.

referant alter Christi, altera Ecclesiæ, divina caritas esto perpetuo moderatrix officii ".

(α) *Castum amorem* colere debent : " Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea... Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit " [1].

Unde amor ille *castus* esse debet : si enim sit libidinosus, brevi fiet adulterinus; voluptas naturaliter inconstans est et circa varia fertur objecta, ita ut qui libidini serviunt, post aliquod temporis alios foveant amores; — *patiens*, mutuas infirmitates alacriter perferendo ac sibi mutuo condonando; secus oritur discordia : vir, potestate sua abutendo, uxorem non ut sociam, sed ut servam male pertractat; uxor maritum contemnit, eique subjici recusat; — *devotione plenus* quatenus quisque non exclusive sua quærat, sed vir quæ placeat uxori, et uxor quæ placeat viro; quatenus pariter quisque seipsum pro alio sacrificare paratus sit, sicut Christus seipsum tradidit pro Ecclesia.

790. (β) *Fidem mutuam* sibi servare tenentur, non solum adulterium vitando, sed etiam quidquid ad tantum crimen ducere ac zelotypiam alterius conjugis merito excitare valet : " Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier " [2]. Revera nil efficacius domesticam felicitatem destruit quam ipsa suspicio conjugalis infidelitatis [3].

Aliunde vero peccat graviter conjux qui, sine legitima causa, sinistras suspiciones nutrit quoad fidelitatem compartis : hoc enim est contra caritatem et justitiam, ac sæpe fit rixarum aliorumque malorum causa. Unde confessarius eum serio moneat ut tam injustam suspicionem deponat, quasi ipsius dæmonis suggestionem.

791. (γ) *Mutuum juvamen* sibi præstare debent; nam Deus mulierem creavit ut viro esset adjutorium : " Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi " [3]. Et sane mulier ipsa viri adjutorio eget.

Quod sic exponit *S. Thomas* [4] : " Statim enim apparet quod opera humana quæ sunt necessaria ad vitam, sunt distincta inter marem et feminam; ita quod quædam conveniunt viro, puto ea quæ sunt exterius agenda, et quædam uxori sicut nere et alia quæ

[1] *Ephes.*, V, 25, 28. — [2] *I Cor.*, VII, 4. — [3] **Pius XI**, encycl. *Casti connubii.*
[4] *Gen.*, II, 18.
[5] *Comment. in lib. Ethic.*, lib. VIII, c. 12, p. 608, t. XXV, ed. Vivès.

sunt domi agenda. Sic igitur sibi invicem sufficiunt, dum uterque propria opera redigit in commune". Inter se igitur vitæ domesticæ opera dividant; et in omnibus non tam sibi ipsi quam alteri comparti placere studeant.

792. 2) *Quoad rem domesticam. Vir præsidium uxori, uxor viro obedientiam* præstare tenetur [1]. Quod ex his *S. Pauli* verbis defluit [2] : "Mulieres viris suis *subditæ sint*, sicut Domino, quoniam vir est *caput mulieris*, sicut Christus caput est Ecclesiæ : ipse salvator corporis ejus".

Siquidem conjuges quamdam efformant societatem, cujus vir est caput, seu præses : ipsi igitur incumbit obligatio præsidis, videlicet totum corpus tueri; strenuum igitur protectorem se præbebit non solum in periculis corporis, sed etiam in periculis animæ, non solum in rebus temporalibus, sed etiam in rebus spiritualibus. Uxor autem viro obedire debet in omnibus quæ legitime ab eo præscribuntur, "in morem non ancillæ, sed sociæ, ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit". Maritus non potest quidem prohibere quominus uxor Dei et Ecclesiæ præcepta adimpleat, v. g., ut Sacro intersit, Pænitentiæ tribunal ac sacram mensam accedat; sed ipsa ita religiosis operibus satisfacere debet, ut simul officia status compleat. — Quæ si rite attendantur, christiani conjuges pie ac feliciter vivent [3].

2° De legitimitate separationis quoad torum et habitationem.

793. *Thesis :* **Separatio quoad torum et habitationem, manente vinculo matrimonii, legitimis de causis permitti potest.**

Certum est contra multos *Protestantes*, qui, duce *Luthero*, negant licitam esse hujusmodi separationem; quia, ut aiunt, mera separatio, manente vinculo, est adulterii occasio, cum conjuges ita sepa-

---

[1] Quæ officia *Cod. civ. gall.* sic exponit : "Les Epoux se doivent mutuellement fidélité, secours, assistance" (a. 212). "Le mari doit protection à sa femme, la femme, obéissance à son mari (a. 213).

[2] *Ephes.*, V, 22-23. — Jura et altiorem mulierum educationem advocare licet, dummodo tamen illa verba S. Pauli præ mente habeantur.

[3] De officiis vitæ conjugalis vide **S. François de Sales**, *Introd. à la vie dévote*, 3e Part., ch. 38-39; **A. de Margerie**, *De la Famille*, Paris, 1869, t. I, pp. 1-53, 151-225; **Devas**, *Studies of family life*, London, 1886, part. II; **P. Janet**, *La Famille*, Paris, 1894, p. 23-106; **Landriot**, *La Femme forte*, 1868; *La Femme pieuse*, 1874; **Baudrillart**, *La Famille et l'Education;* **Meignan**, *Instructions et conseils aux familles;* **Turgeon**, *Le Féminisme français*, Paris, 1902, t. II, p. 80-113.

rati continentiam servare non valeant; unde potius plenum divortium advocant. Nonnulli tamen Protestantes hodierni separationem a toro et mensa tanquam utilem agnoscunt.

(A) Lutheranum errorem damnavit *Tridentinum* [1] : " Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum ob multas causas, separationem inter conjuges, quoad torum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; A. S. "

(B) *Scriptura* declarat hujusmodi separationem, propter vitam perfectiorem, omnino laudabilem esse : " Omnis qui reliquerit domum... aut *uxorem* propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit " [2]; eam permittit propter adulterium alterius conjugis : " Ego autem dico vobis : quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, *excepta fornicationis causa*, facit eam mœchari " [3]; pariter *S. Paulus* supponit uxorem a viro discedere posse propter legitimam causam; nam, postquam præcepit eam non discedere, ita prosequitur : " Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari "; quasi videlicet possit a viro separata manere, dummodo alium non ducat, — vel eidem reconciliari.

(C) *Ratio* ostendit hanc separationem aliquando licitam et utilem esse. Nam conjugum cohabitatio non ad essentiam, sed solum ad *integritatem* matrimonii spectat, proindeque suspendi vel tolli potest, si bona quæ exinde oriuntur multo superantur malis quæ ex ea resultant. Jamvero, quando separatio nonnisi gravissimis de causis conceditur, sæpe plura affert bona quam incommoda; Ecclesia enim curis ac remediis ad conjugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda; aliunde nunquam cessat ad pacem reconciliandam laborare; et revera experientia constat non paucos ex iis, qui ita separati sunt aut etiam plenum divortium obtinuerunt, post aliquod temporis iterum cohabitare velle : cum enim versantur in necessitate vel se continendi vel ad compartem redeundi, cautiores sunt in separatione petenda ac promptiores ad reconciliationem.

[1] Sess. XXIV, can. 8. — [2] *Matt.*, XIX, 29. — [3] *Matt.*, V, 32.

Nec dicatur ita viam aperiri adulteriis : perdurante enim separatione, conjuges a Deo obtinere possunt tum oratione, tum sacramentorum frequentatione, speciales gratias quibus ad servandam continentiam indigent.

3° De causis legitimis separationis.

Quatuor præsertim sunt, quarum prima ad perpetuam, aliæ ad temporaneam separationem sufficiunt, ut ex dicendis patebit.

794. (A) *Adulterium alterutrius conjugis*, ut constat ex verbis Christi superius (n. 753) relatis, et ex ecclesiasticis canonibus[1]. Jamvero sub nomine adulterii probabilius venit quilibet illicitus cum alio concubitus, ut sodomia et bestialitas : his enim criminibus, sicut ipso adulterio, fides conjugalis frangitur; porro fidem frangenti impune fides frangitur eidem.

Adulterium est ex se causa perpetua separationis; hinc conjux innocens ab adultero discedere potest in perpetuum; et, si velit, religionem ingredi aut in sæculo castitatem vovere. (*Codex*, c. 1130.) — Quod tamen non est statim consulendum, cum aliquando caritas *suadeat* ut fiat condonatio.

Ut hoc crimen sit justa separationis causa, quædam *conditiones* requiruntur : (a) adulterium *formale* et *culpabile*[2] : secus non adest *voluntaria* fidei conjugalis violatio. Excusant igitur *bona fides*, v. g., si vir putans uxorem esse mortuam, aliud matrimonium contrahit et consummat; *error*, v. g., si conjux putabat personam cum qua copulam habuit suum esse compartem; *vis*, si mulier invita oppressa fuerit. Dubitatur autem utrum *gravis metus* excuset : quapropter res judicum sententiæ relinquenda est.

(b) Adulterium *consummatum;* ad quod non sufficiunt amplexus, oscula, tactus, sed vera copula. Hujus autem probatio certo non incumbit parti innocenti, cum, ex statim dicendis, sufficiunt validæ præsumptiones.

(c) *Moraliter certum;* nam in dubio nemo privandus est jure suo; proinde non sufficit probabilis suspicio, sed requiruntur illæ

---

[1] *Decretal.* lib. IV, tit. XIX de Divort. cc. 4, 5. 8; *Codex*, c. 1129.

[2] Fornicatio ante nuptias commissa, et deinceps detecta, non est sufficiens causa separationis, nisi injuriam marito inferat, prout contingeret si mulier ab alio gravida foret. Ita Kenrick, n. 114.

saltem *præsumptiones*, quæ *moralem inducant certitudinem*, v. g., confessio rei, vel *si solus cum sola in eodem lecto inveniatur.*

(d) *Non mutuum;* nam paria delicta mutua compensatione tolluntur; neque interest quis prius aut pluries fornicatus fuerit.

(e) *Non permissum nec condonatum;* nam permissione aut condonatione tollitur injustitia. Non datur ergo locus separationi, si alter conjux adulterium mandaverit aut ei consenserit expresse aut tacite, illud non impediens cum facile posset; vel illud condonaverit sive explicite, sive tacite, v. g., usu matrimonii post cognitum crimen, vel si adulterum conjugem infra sex menses non expulerit vel dereliquerit aut legitime non accusaverit. (*Codex*, c. 1129.)

795. In casu adulterii his conditionibus vestiti, conjux innocens non tenetur *per se* dimittere reum, cum separatio in gratiam innocentis, non in ejus pœnam concedatur; aliquando tamen *per accidens* vir teneri potest ad dimittendam uxorem adulteram, ratione correctionis fraternæ vel scandali vitandi; sed raro, quia alia sunt media ad id obtinendum, et aliunde gravia incommoda ex separatione timeri possunt. — Aliunde potest etiam innocens reum ad se revocare, quando propria auctoritate discessit, imo quando judicialis facta est separatio, ex *Cod.* c. 1130, quia in ejus favorem concessa est; porro quisque favori renuntiare potest. — Conjux autem dimissus religionem amplecti aut sacros ordines suscipere nequit, nisi de consensu innocentis, sive expresso, sive tacito, qualis dari censetur quando innocens amplectitur statum cum vita conjugali incompossibilem.

Si vero pars innocens adulterium committat post separationem, alteram revocare non tenetur, ex can. 1130.

796. (B) *Recessus a vera religione*, qui, juxta can. 1131, per triplicem actum manifestari potest : "si conjux sectæ acatholicæ nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat".

" In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitæ consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, conjux innocens ad id non obligatur nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore". (c. 1131, § 2).

797. (C) *Grave damnum* sive *animæ* sive *corporis*, quia lex cohabitationis non obligat cum tanto incommodo : ita

ex can. 1131, § 1 : " si grave seu animæ seu corporis periculum alteri facessat; si sævitiis vitam communem nimis difficilem reddat ".

(a) Adest autem *periculum animæ*, si unus e conjugibus alterum sollicitet ad peccatum, v. g., ad furtum, adulterium, sodomiam;

(b) *periculum corporis*, si unus alterius vitæ insidias paraverit; vel morbo contagioso laboret cum periculo alterum inficiendi, si nulla alia via illi incommodo occurri possit; sed plerumque morbus hujusmodi prohibet condormitionem, sed non cohabitationem : quo casu qui sanus est infirmo ministrare debet; pariter si vir sævitias in uxorem exerceat, et quidem *graves*, habita ratione personarum, indolis et conditionis; aut necessaria alimenta vel medicamina negaverit.

Si periculum tale est ut moram non patiatur, innocens potest propria auctoritate discedere, sed ad tempus; remoto enim periculo, ad redeundum judicialiter cogi potest. Si vero tempus adsit, regulariter ad judicem ecclesiasticum recurratur, qui separationem temporaneam vel perpetuam pro circumstantiis præscribet.

798. (D) *Mutuus consensus*, cum unusquisque libere suo juri renuntiare valeat, ex honesto fine, v. g., ad vacandum orationi vel perfectiorem vitam ducendam. Caute tamen id permittendum est, propter incontinentiæ periculum.

Unde *in praxi :* (a) si agitur solum de separatione *quoad torum*, ad *breve* tempus, facile concedi potest [1]; si ad *longum* tempus, vel voto perpetuo sancienda, nonnisi præmissa matura deliberatione et diuturna experientia permittatur, propter humani cordis inconstantiam.

(b) Si quæstio sit de separatione non solum *quoad torum*, sed etiam *quoad habitationem*, difficilius permittenda est, nec sine Ordinarii interventu, cum fini secundario matrimonii obstet, videlicet mutuo juvamini, et aliunde facile scandalum aliis præbere valeat. Licita tamen est dummodo gravis adsit ratio, absit incontinentiæ periculum, ac prolis educationi sufficienter provideatur.

[1] " Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram " (*I Cor.*, VII, 5).

(c) Si de ingredienda religione agitur, vel de ascensu ad ordines, vix locus esse potest separationi sub nova disciplina. Dispensationes tamen ab auctoritate suprema Ecclesiæ concedi possunt. Cfr. can. 132, § 3; can. 572, § 1, 3°; can. 987, 2°.

4° De modo in separatione servando.

799. (A) Ex can. 1130, 1131 hæc statui possunt :

Separatio *ob adulterium* privata auctoritate fieri potest, sed requiritur ut delictum sit *certum* et in *foro externo* probari possit; nam agitur de separatione in foro externo. Si certum sit tantum, separatio solum quoad torum fieri potest.

Ob alias rationes, generatim auctoritate Ordinarii fieri debet, sed propria auctoritate potest, si de eis certo constet et periculum sit in mora. — Expedit tamen non semper urgere obligationem Ordinarium adeundi, et relinquere conjuges in bona fide, si prævideatur monitionem *inutilem* fore.

Absolutione *per se* indigni sunt qui, absque canonica ratione, ob mutuam aversionem aut aliam hujusmodi rationem, *proprio consilio* separati sunt; si vero sint in bona fide, et scandalum absit, ac prævideatur monitionem non profuturam esse, in bona fide relinqui possunt et absolvi.

800. (B) Stricte loquendo, ad *solos judices ecclesiasticos* recurri debet ad separationem obtinendam : hæc est enim causa vere matrimonialis, in qua agitur de relaxandis juribus ex ipso sacramento orientibus, ideoque ad forum ecclesiasticum spectat. Attamen, attentis gravissimis rerum adjunctis, tolerari potest ut in regionibus in quibus matrimonium civile existit, separatio quæratur a civili tribunali : secus enim coram lege conjuges ad cohabitandum obligati manent. Id tamen regulariter fieri nequit inconsulta auctoritate ecclesiastica [1]. Si tamen conjuges in bona fide civili auctoritate

[1] "Iis omnibus qui matrimonio conjuncti sunt, præcipimus ne, inconsulta auctoritate ecclesiastica, tribunalia civilia adeant ad obtinendam separationem a toro et mensa. Quod si quis attentaverit, sciat se gravem reatum incurrere et pro Episcopi judicio puniendum esse". Ita *Concil. Plen. Baltim. III*, n. 126. — Non requiritur tamen judicialis processus, sed sufficit licentia ab Ordinario concessa, ubi ita permittit consuetudo : ita **Smith** *Marriage Process*, New York, 1893, n. 80.

separati sunt, absque recursu ad Ordinarium, non sunt generatim inquietandi, cum vix ullus fructus ex monitione sperari possit.

801. (**C**) Separatione facta, hæc de prole statuenda sunt : " Instituta separatione, filii educandi sunt penes conjugem innocentem, et si alter conjugum sit acatholicus, penes conjugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorum catholica educatione, aliud decreverit " (can. 1132). Expensæ aut totaliter aut ex parte a *reo* solvendæ sunt, præsertim si hic est pater. — Attamen quoad expensas, leges *civiles* in variis regionibus non idem statuunt : quas proinde legere et exsequi oportet, nisi manifesto sint injustæ [1].

802. (**D**) Cum separatio conjugum periculis plena sit, et, ubi civile divortium viget, pleno divortio viam facile paret [2], sacerdotes opportunis remediis monitisque eam avertere conentur, et conjuges separatos reconciliare prudenter studeant, nisi majora ex cohabitatione mala timeantur.

Media autem separationes et divortia præcavendi, sunt fideles sedulo instruere de mutuis officiis et de virtutibus a conjugibus colendis (supra, n. 789), præsertim vero de praxi religionis christianæ, " quæ efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitæ labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur " [3].

[1] In Codice civili *gallico* hæc statuuntur quoad expensas, a. 303 : " Quelle que soit la personne à laquelle les enfants seront confiés, les père et mère conserveront respectivement le droit de surveiller l'entretien et l'éducation de leurs enfants, et seront tenus d'y contribuer à proportion de leurs facultés ".

[2] Ita, in *Gallia*, separatio quoad torum et habitationem, post triennium, in sententiam pleni divortii converti potest, id postulante uno ex conjugibus (a. 310).

[3] **Leo XIII**, Encycl. *Arcanum*, circa finem.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO UT SACRAMENTO.

803. Matrimonii contractus, apud multos populos, aliquid sacri et religiosi præ se ferebat, et sæpe sacris ritibus celebrabatur [1]. Christus vero eumdem ad dignitatem sacramenti evexit, ita ut, apud Christianos, sit signum non solum *sacrum*, sed etiam *gratiæ* productivum.

Sacramentum matrimonii definiri solet : *sacramentum Novæ Legis, quo per consensum contrahentium legitime præstitum, gratia conjugibus confertur ad matrimonii officia rite adimplenda.* Quibus verbis designantur : 1) *materia* et *forma* sacramenti, nempe consensus contrahentium; 2) *ministri*, nempe ipsi contrahentes; 3) *effectus*, seu gratia conjugibus collata, ut ex dicendis patebit.

In quinque articulis doctrinam declarabimus :

ART. I. *De existentia hujus sacramenti;*
ART. II. *De nexu inter sacramentum et contractum,*
ART. III. *De ministro sacramenti;*
ART. IV. *De materia et forma;*
ART. V. *De effectibus.*

Art. I. De existentia sacramenti Matrimonii [2].

§ I. THESIS EXPONITUR AC PROBATUR.

804. (A) *Errores.* Olim *Gnostici* et *Manichæi* nuptias ut malas damnarunt, utpote concupiscentiæ incentivum et medium quo propagatur originale peccatum. *Protestantes* longe sunt quidem ab errore *prohibentium* nubere, cum nuptias supra virginitatem extollant, sed communiter negant, *Ritualistis* exceptis, matrimonium esse sacramentum. *Lutherus* siquidem ait [3] : " Matrimonium novæ

---

[1] **P. Sauzet,** *Réflexions sur le Mariage civil et le Mariage religieux*, Lyon, 1853, p. 11 sq.; **Glasson,** *Le Mariage civil et le Divorce dans l'antiquité*, Paris, 1880, p. 139 sq.; **R. Lemaire,** *Le Mariage civil*, Paris, 1904, p. 4-15.

[2] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 42, a. 1-3; **Bellarminus,** *de sacr. Matrimonii*, c. 1-5; **Sanchez,** l. II, disp. 10; **Drouin,** l. X, *de sacr. Matrim.*, q. I; **Liebermann,** cap. II, a. 1; **Perrone,** *de Matrim. christ.*, l. I, sect. I, c. 1; **Carrière,** *De Matrimonio*, p. I, sect. 2, c. 1; **Palmieri,** c. II, th. 7-9; **Billot,** th. 36.

[3] *De Capt. Babyl.*, § de Matrim.

Legis sacramentum non est, cum ipsi desit divina promissio"; *Calvinus*[1] autem affirmat non magis nuptiis rationem sacramenti convenire quam agriculturæ vel arti sutoriæ, neque ut sacramentum habitas fuisse ante Gregorii I tempora[2].

805. (B) *Doctrina Ecclesiæ.* 1) *Ante Christum*, matrimonium *non* fuit quidem *sacramentum* gratiæ productivum, imo nec inter sacramenta veteris Legis recensebatur; sacramentum tamen vocatum est a nonnullis Patribus, sed *latiori sensu*, quatenus erat *signum rei sacræ*, videlicet futuræ conjunctionis Christum inter et Ecclesiam; nam, juxta Patrum doctrinam, Adam sopore correptus[3] Christum in cruce morientem repræsentabat, Eva Ecclesiam ex ejus latere manantem; sicut relinquit homo patrem et matrem et adhæret uxori suæ, ita Verbum quodammodo reliquit Patrem ut Ecclesiæ adhæreret; sicut conjuges duo sunt in carne una, sic Verbum caro factum est, ita ut ex unione ejus cum carne unica exsurgeret persona; sicut ex Adamo et Eva nati sunt homines, ita ex Christo et Ecclesia quotidie nascuntur spirituales filii.

2) *Christus* autem matrimonialem contractum evexit ad dignitatem sacramenti proprie dicti, ut modo probaturi sumus.

806. *Thesis :* **Matrimonium inter baptizatos legitime celebratum, est proprie dictum sacramentum.**

---

[1] *Instit.*, l. IV, c. 19, n. 34.

[2] *Moderni Protestantes* libenter agnoscunt Matrimonium religiosam esse institutionem : "Matrimonium non est sacramentum eo sensu quo Baptismus et Cœna, neque in sensu Ecclesiæ Romanæ, licet sanctum institutum habendum sit. Ejus celebratio est actus religionis tantum. Hunc ergo statum debita solemnitate ac in Dei timore inire debemus. Cœremonia fiat per Christi ministrum, qui unus in legem Dei sibi auctoritatem vindicare; unus, quæ contrahentium vota Deo nuncupentur, recipere ac in actu referre potest". (**Hodge***, *Systematic theology*, t. III, p. 377). — *Ritualistæ* autem illud agnoscunt tanquam unum e *minoribus sacramentis :* "Idem de sancto Matrimonii instituto dicendum. Quod ad hunc sacrum ritum attinet, libenti animo demonstrare valemus titulum hunc sacramentalem ipsi authentice applicari posse; *Liber Homiliarum* de ipso tamquam de sacramento loquitur, quod virum et mulierem æterni amoris ligamine vincit. Ex eodem libro eruitur, matrimonium quoddam esse vitæ genus a Deo, cum adhuc homo innocentia fruebatur, institutum; mysticam Jesu Christi et Ecclesiæ unionem exprimere; ad Canæ nuptias in Galilæa, Christi præsentia, primoque ejus tunc peracto miraculo cohonestatum. Jure igitur ac merito inter nos matrimonii sacramentum dicitur". (**Morgan-Dix***, *Sacramental System*, p. 87-88). — [3] *Gen.*, II, 18-25.

De fide est ex Trident.[1] : " Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, A. S. "

1° **Scriptura** non probatur quidem, sed *innuitur.* (**A**) In *Evangelio* non invenitur quidem explicita Christi declaratio de institutione sacramenti matrimonii, sed ex iis quæ protulit de *unitate* et *indissolubilitate* vinculi matrimonialis mens ejus *probabiliter inferri* potest[2].

Interrogatus enim a Pharisæis num liceret uxorem dimittere quacumque ex causa, in memoriam eorum revocat verba Genesis de unitate et indissolubilitate matrimonii. His autem objicientibus divortium a Moyse fuisse permissum, ait : " Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ; ab initio autem non fuit sic ". Quapropter novam legem promulgat de indissolubilitate matrimonii : " Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit mœchatur ". Hanc legem ipsi discipuli nimis arduam esse putant : " Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere ".

Unde sic arguere licet : divortium aut saltem privilegium pro viro uxorem repudiandi apud omnes fere populos vigebat, et, ob naturalem cordis humani inconstantiam, tanquam naturale et necessarium habebatur : ex communiter enim contingentibus, tanquam *moraliter impossibile* censebatur uni uxori per totam vitam adhærere. Atqui Christus hanc absolutam fidelitatem non a paucis sed *ab omnibus* exigit. Aliunde id sapienter postulare nequit, nisi *gratiam* infundat necessariam ad præstandum id quod vires humanas communiter superat : Deus enim impossibilia non jubet. Ergo Christus *sibi debet* gratiam conjugibus conferre. — Data vero Legis novæ œconomia, gratia, quæ necessaria est pro permanenti vitæ statu, per *sacramentum* conferri solet. — Illatio ex doctrina Apostoli confirmatur.

807. (**B**) *S. Paulus*, de mutuis conjugum officiis agens, ut conjuges efficacius ad eadem implenda inducat, exemplum affert unionis Christi cum Ecclesia : " Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. Quoniam vir caput est

[1] Sess. XXIV, can. 1, D. B., 971. — [2] *Matth.*, XIX, 1-10.

mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ : ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. *Sacramentum* hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia"[1]. Jamvero, ex his Apostoli verbis, Matrimonium christianum : est (**a**) *signum sacrum*, (**b**) *signum gratiæ;* (**c**) *gratiamque valde probabiliter ex se producit*, et ita est vere et proprie sacramentum.

(**a**) Matrimonium christianum *aliquid sacri significat*, videlicet *unionem Christi cum Ecclesia.*

Etenim Apostolus christianos conjuges hortatur ut *uxores sint viris subditæ, sicut Ecclesia Christo* (*Ephes.*, V, 22-24), et ut *viri uxores diligant sicut Christus Ecclesiam* (25-28), quia eodem modo ac *vir* est *caput uxoris* et *uxor viri corpus*, sic *Christus est caput Ecclesiæ* et Ecclesia Christi corpus (23). Hoc est *sacramentum*, id est, juxta vim græcæ vocis, μυστηρίον, *mysticum signum*, et magnum quidem, tum quia magnam rem significat, nempe sponsum Christum et sponsam Ecclesiam; tum quia miro modo hanc sacratissimam rem significat (32). Ergo *matrimonium Christianorum aliquid sacri significat.*

808. (**b**) Est *signum gratiæ sanctificantis;* nam significat unionem Christi cum Ecclesia; atqui hæc unio per *gratiam sanctificantem* perficitur, juxta illud Apostoli : "Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam *sanctificaret*" (25-26); et revera unio Christi cum Ecclesia fructus sanctitatis profert; ergo matrimonium christianum *significat gratiam sanctificantem.*

(**c**) Tandem matrimonium christianum *producit gratiam sanctificantem quam significat.* Quod tertium punctum

[1] *Ephes.*, V, 22-32.

S. Paulus *non aperte docet; innuit* tamen, quatenus ea tradit quæ, licet ex se non sufficiant, ratione tamen œconomiæ christianæ, quam ipse merito dicendus est supponere, rem probabiliter suadent. Nam matrimonium christianum exhibetur ut unio *supernaturalis* et *permanens* : 1) *supernaturalis*, quia mutua conjugum officia, qualia ab Apostolo describuntur, *supernaturalia sunt* duplici titulo, ex *exemplari* quod proponitur, videlicet dilectione Christi pro Ecclesia atque Ecclesiæ devota subjectione erga Christum, — necnon ex *motivo* quod assignatur, ex eo scilicet quod vir est caput mulieris sicut Christus est caput Ecclesiæ; 2) *permanens*, nam dilectio et obedientia, quas Apostolus præcepit christianis conjugibus, imitari debent dilectionem Christi ac Ecclesiæ subjectionem, quæ sunt aliquid *constans* et *permanens*.

Atqui unio conjugum non potest esse supernaturalis sine *gratia*, neque permanenter supernaturalis sine *gratia habituali*, cui gratiæ actuales adnectantur, præsertim cum talis unio permanens specialem difficultatem præ se ferat, ob inconstantiam humanæ naturæ, ut supra notatum est, n. 806. Ergo matrimonium christianum requirit *gratiam habitualem*, simul cum jure ad gratias actuales.

Porro, attenta Legis novæ œconomia, gratia sanctificans, cum jure ad gratias actuales, conferri solet per *specialem ritum sacramentalem*, qui gratiam non solum significet, sed *ex se producat* : si enim non *ex se* hanc conferret gratiam, finis a Christo intentus non obtineretur, cum natura humana impar sit ad hunc finem attingendum.

Ergo matrimonium christianum valde probabiliter non solum significat gratiam sanctificantem, sed et ipsam *ex se* producit; ergo est vere sacramentum N. Legis.

809. *Objici* potest : Jam ab Adami tempore, matrimonium fuit signum unionis Christi cum Ecclesia; ergo ab Adami tempore contulit gratiam. Atqui falsum consequens, ergo et antecedens.

Resp. Ab initio matrimonium fuit solummodo signum *futuræ* unionis Christi cum Ecclesia, dum christianum matrimonium signum est *unionis jam peractæ*. Porro mera adumbratio rei futuræ non tantam requirit perfectionem quantam rei peractæ quasi reproductio et extensio. Unde ante Christum, signum ipsius futuræ

unionis erat solus matrimonialis status, absque gratia sacramentali, dum matrimonium christianum, ut digna sit imago tum physicæ tum moralis unionis Christi cum Ecclesia, debet, juxta S. Paulum, *caritate speciali et virtutibus quas gignit caritas*, insigniri.

Imo ipsemet status matrimonialis ante Christum sensim prærogativas amisit unitatis et indissolubilitatis, quibus præcipue unionem Christi cum Ecclesia repræsentat. E contra matrimonium christianum necessario unum et indissolubile factum est. Gratia specialis non requirebatur quidem ut status matrimonialis, polygamia, divortio, necnon et tyrannide viri in uxorem deturpatus, remaneret quoddam valde imperfectum signum unionis Christi cum Ecclesia; sed *specialis gratia* omnino adesse debet in matrimonio christiano, *quale ab Apostolo describitur*, nempe *unitate*, *indissolubilitate* firmum et *constanti dilectione* inter conjuges ornatum ita ut non solum unionem Christi cum genere humano ad mentem revocare possit, sed ad vivum exprimere ipsius devotissimam erga Ecclesiam caritatem et Ecclesiæ fidelissimam erga Christum.

Neque addere juvat in textu allato agi tantum de matrimonio Adæ cum Eva; nam Adamus non tam de semetipso quam de posteris loquebatur, dum diceret : " Relinquet homo patrem suum et matrem suam "...; ipse enim non habebat parentes quos relinqueret; prophetice igitur de unione matrimoniali posterorum locutus est, et quidem de illa quæ perfectius unionem Christi cum Ecclesia figurat, de ea scilicet quæ inter Christianos existit.

810. 2° **Traditione.** In historico hujus dogmatis progressu, tria præcipue stadia distingui possunt.

(**A**) *Quatuor prioribus sæculis*, nonnisi implicite et obscure Patres docent matrimonium esse sacramentum gratiæ productivum. Toti sunt enim in propugnandis *honestate* et *sanctitate* connubii contra Gnosticos et Manichæos, ejusque *indissolubilitate* contra jurisperitos. Attamen, dum asserunt matrimonium esse signum *sacrum* et *religiosum*, quædam enuntiant principia, quæ *supponunt* eodem *quamdam conferri gratiam.*

Ita *S. Ignatius* declarat nuptias esse rem sacram, secundum Dominum, de sententia episcopi celebrandas [1] : " Decet vero ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ secundum Dominum sint, non secundum cupiditatem ". *Tertullianus* dignitatem christiani matrimonii sic extollit [2] : " Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod

[1] *Ad Polycarpum*, c. 5, p. 293 ed. *Funk.*
[2] *Lib. II ad Uxorem*, c. 9, *P. L.*, I, 1302.

Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet? " Jamvero tam præclara descriptio, attento etiam contextu ubi depingitur pia et sancta conjugum conversatio, supponit gratiam christiano connubio esse adnexam. — Quod clarius infertur ex hoc *Origenis* testimonio [1] : " Ac Deus quidem is est, qui duo in unum compegit, ut, ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint, et, quoniam conjunctionis est auctor Deus, propterea *iis inest gratia*, qui a Deo conjuncti sunt ". Non ibi quidem declaratur hanc gratiam ipsi connubio alligatam esse, sed nil prohibet hæc verba ita intelligi. Hanc gratiam pariter commemorat *Ambrosius;* postquam de gratia baptismatis egit, de christiano connubio scribit [2] : " Cognoscimus velut præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, *gratiam solvat.* Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium ". Alibi asserit [3] " ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione *sanctificari* " : quibus verbis innuitur saltem gratiam esse conjugio adnexam. — Nonnulli Patres docent Christum, nuptiis Canæ assistendo, suam mentem ostendisse matrimonio gratiam alligandi. Ita *S. Epiphanius* [4] : " Duabus mihi de causis videtur invitatus esse Christus. Primum ut aquæ similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem nuptiarum castimonia et honestate constringeret; tum ut, quod deerat, emendaret ac jucundissimi vini suavitate mulceret et gratia ".

811. (B) A tempore *Augustini* ad sæculum XII, *diserte* asseritur matrimonium esse *sacramentum gratiæ productivum*, non quidem expressis verbis, sed *æquivalenter.*

(a) Tria bona S. Doctor in nuptiis distinguit, quæ copulam excusant a peccato, *prolem*, *fidem* et *sacramentum* : prolem, quæ ideo nascitur ut renascatur per gratiam; *fidem*, qua conjuges perenni vinculo junguntur; *sacramentum*, " quod nec separati nec adulterati amittunt, conjuges concorditer casteque custodiant " [5]. Hoc autem sacramentum non esse signum vacuum, sed vere efficax seu gratiæ productivum, ex his verbis patet : " Hujus procul dubio *sacramenti res* est ut mas et femina connubio copulati quamdiu

[1] *Comment. in Matth.*, 14, n. 16, *P. G.*, XIII, 1230.
[2] *De Abraham*, lib. I, c. 7, *P. L.*, XIV, 442.
[3] *Ep.* 19 ad Vigil., n. 7, *P. L.*, XVI, 984.
[4] *Hæres.* 51, n. 30, *P. L.*, XLI, 942.
[5] **S. August.**, *De nuptiis et concup.*, l. I, c. 17, *P. L.*, XLIV, 424.

vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi" [1]. Jamvero, juxta modum loquendi Augustini, *res sacramenti* nihil aliud est nisi gratia; significat igitur per gratiam sacramenti ita conjuges juvari ut, non obstante naturali eorum inconstantia, inseparabiliter uniti perseverent. Et ita confirmatur quod in argumento biblico dicebamus, videlicet indissolubilitatem vinculi supponere gratiæ collationem.

Alibi loquitur de *sanctitate* hujus sacramenti, quæ pariter consistit in ejus indissolubilitate, et sub hoc respectu matrimonium comparat cum baptismo et ordine, quibus indelebilis imprimitur character : "Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in *sanctitate sacramenti*, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsa causa pariendi... Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis" [2]. Exinde concludit matrimonium esse indissolubile, etiamsi filii non procreati fuerint; in hoc consistit *sanctitas*, seu gratia sacramenti.

812. (b) Eodem fere tempore, *S. Cyrillus Alex.*, de nuptiis Cana scribens, docebat Christum ibi adfuisse ut generationis humanæ principium sanctificaret : "Cum nuptiæ celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem mater Salvatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit; non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret ac propterea *generationis humanæ principium sanctificaret*, quod ad carnem nimirum attinet". Ibi quidem non asseritur matrimonium esse sacramentum, sed solum Christum voluisse generationis humanæ principium sanctificare; quod sane melius fieri nequibat nisi connubium evehendo ad dignitatem sacramenti.

(c) Circa an. 458, *S. Leo magnus*, doctrinæ Pauli innixus, declarat matrimonium esse sacramentum, seu signum unionis Christi et Ecclesiæ : "Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut, præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum (*Ephes.*, v, 32), dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium" [3]. Ibi quidem nil explicite dicitur

---

[1] *Ibid.*, c. 10, p. 420.
[2] *De bono conjugali*, c. 24, *P. L.*, XL, 394.
[3] S. Leo, *ep.* 167 ad Rusticum, n. 4, *P. L.*, LIV, 1204-1205.

de gratia, sed redit argumentum superius propositum de textu S. Pauli.

813. Ex *liturgiis* thesis confirmatur. In antiquissimis enim *Sacramentariis* et *Ordinibus* seu *Ritualibus*, sive latinis sive græcis, invenire est ceremonias et preces pro nuptiis, ex quibus infertur matrimonium esse rem divine institutam, cum sanctificatione et gratia conjunctam.

Ita, v. g., declaratur " Deum esse qui legitima societate conjuges connectit, et supra conjuges opem suæ benedictionis infundit, ut in conjugali consortio *sanctitate mutua* copulentur, mulierisque rudimenta sanctificentur "; sic, v. g., in liturgia armena legitur : " Benedic, Domine, et *sanctifica* servorum tuorum conjugium... Non enim prohibuisti nuptias, sed *sanctificasti* eas et sacerdotaliter benedixisti "[1]. — Confirmatur ex antiquis *monumentis*[2], in quibus depicta reperitur nuptiarum celebratio; ibi enim exhibentur vir et mulier dextras jungentes, et inter eos exstat monogramma Christi, vel aliquando Christus ipse sponsos coronans, ut exinde appareat matrimonium esse *rem sacram;* imo in numismate græco ad sæc. V vel VI spectante, Christus exhibetur ut conjuges jungens, eisque gratiam impertiens, nam hæc legitur inscriptio Θεοῦ χάρις (gratia Dei). Jamvero hæc omnia, etsi *per se sola* non sufficerent quidem ad thesim demonstrandam, sunt tamen veluti vestigia, quæ ostendunt doctrinam catholicam de elevatione matrimonii ad dignitatem sacramenti fuisse antiquitus implicite traditam, ita ut Ecclesia nihil aliud fecerit, in sequioris ævi definitionibus, nisi explicite et diserte exponere quod obscure et implicite antea tenebatur.

814. (**C**) *A sæculo XII*, matrimonium inter septem sacramenta recensetur, etsi inter theologos usque ad sæc. XIV disputetur num et quomodo gratiam producat. Ita, an. 1181, *Lucius III* contra Albigenses decrevit anathemate plectendos esse eos qui de sacramentis aliter sentiunt et docent ac Ecclesia Romana; jamvero inter sacramenta recenset matrimonium[3]. Pariter, in Concil. *Lugdunensi II*, 1274, lecta est, nomine Græcorum, confessio fidei Michaelis Palæologi,

---

[1] **Gallanus**, *De Conciliat. eccles. armenæ cum roman.*, t. II, q. 3, § 5. Cfr. **Martene**, *De Ant. Eccl. Ritibus*, l. I, c. 9, a. 5 sq.; **Goar**, *Eucholog. Græcorum*, De officio coronationis (i. e. nuptiarum, in quibus sponsa coronabatur) aliique auctores superius allegati; **Duchesne**, *Origines du culte chrétien*, ch. 14.

[2] **Garucci**, *Vetri*, tab. 26-30; **Martigny**, *Dict. des Antiquités*, verbo *Mariage; Perpétuité de la Foi*, ed. *Migne*, t. III, p. 965.

[3] *Decretal.*, lib. V, t. 7, c. 9; **D. B.**, 402.

qua declarabatur septem esse sacramenta, inter quæ *matrimonium* connumerabatur [1].

Theologi, jam a sæc. XII, fere unanimiter docent septem esse sacramenta, et inter ea matrimonium computant. Sed, quia sacramentorum efficacia nondum fuerat clare definita, quidam dubitarunt num gratiam conferret. *Tres* vigebant sententiæ, teste *Alberto Magno* [2]. 1) Alii dicebant, cum Præpositivo et Gulielmo Altissiodorensi, matrimonium esse quidem signum gratiæ, sed eam non producere; et hæc fuisse videtur opinio P. Lombardi. 2) Alii tenebant per connubium gratiam conferri, sed solum ad vitandum malum. 3) Alii tandem docebant gratiam conferri etiam in ordine ad bonum; quibus adhæret Albertus. — Hanc pariter sententiam ut *probabiliorem* amplexus est *S. Thomas*, quando *librum Sententiarum* exposuit [3], et tanquam *certam* in *Summa theologica* [4]. *Scotus* pariter tenuit matrimonio conferri gratiam, etsi fateatur quosdam aliter sentire : "Quia communiter tenet Ecclesia sacramentum matrimonii esse septimum inter ecclesiastica sacramenta... ideo dici potest quod contractui matrimoniali annexit Deus sacramentum proprie dictum" [5]. Nihilominus postea *Durandus*, etsi fateatur modernos theologos communiter docere matrimonio conferri gratiam, asserit aliter opinari quosdam canonistas, ideoque concludit rem nondum ab Ecclesia esse definitam [6].

A tempore Durandi, non solum theologi, sed *canonistæ* docuerunt christiano matrimonio conferri gratiam, et quidem tanquam aliquid certum.

Mox *Florentinum*, in *Decreto pro Armenis* (1445), declarabat matrimonium esse unum e septem sacramentis, ideoque gratiæ productivum. Itaque, quando Protestantes id negarunt, jam Ecclesia catholica, non solum Occidentalis sed Orientalis, hanc veritatem publice profitebatur; *Tridentinum* igitur merito eam tanquam de fide catholica definivit, et in decreto *Lamentabili*, damnata est sequens modernistarum *propositio* (n. 51) : "Matrimonium non potuit evadere sacramentum Novæ Legis nisi serius in Ecclesia : siquidem ut Matrimonium pro sacramento haberetur necesse erat ut præcederet plena doctrina de gratia et sacramenti theologica explicatio".

---

[1] **D. B.**, 465. — [2] *In Sentent.*, IV, 26, 14.
[3] *In Sentent.*, IV, d. 26, q. 2, a. 3; cfr. *Supplem.*, q. 42, a. 3.
[4] **S. Thom.**, 2ª 2ᵃᵉ, q. 100, a. 2, ad 6.
[5] *In Sentent.*, IV, 26, q. 1, n. 13.
[6] *In Sentent.*, IV, 26, q. 3, n. 5-6.

Hoc argumentum potest etiam proponi per modum *præscriptionis*, ut notavimus in *tr. De Sacramentis*.

815. 3° **Ratio** ostendit quantum *deceat* matrimonium esse vere sacramentum, gratiæ productivum. 1) Per hoc enim conjuges deputantur ad *opus nobilissimum* et societati tum civili tum spirituali utilissimum, videlicet procreationem et educationem prolis; 2) *vinculo indissolubili* connectuntur, nec ad alias nuptias, nisi mortuo altero conjuge, convolare possunt; 3) *obligationes* autem hujusmodi adeo sunt *graves* ut haud raro non communem sed *heroicam* requirant *virtutem*. Porro sacramenta eo fine instituta sunt ut gratiam conferant in illis vitæ stadiis quæ maximi sunt momenti, et ex quibus animarum salus maxime pendet, præsertim cum ex eisdem oriuntur officia onerosa, quæ vix sine speciali auxilio adimpleri valent. Ergo conveniebat ut Matrimonio sacramentalis gratia adnecteretur, vi cujus filiorum procreatio et educatio sanctificaretur, conjugesque christiani onera sibi imposita facilius ferre valerent.

§ II. Corollaria.

816. 1° *Matrimonium sive ratum sive consummatum est in se opus honestum et laudabile.* Certum est contra *Gnosticos*, *Manichæos* aliosque supra citatos [1].

(**A**) *Script.* Illud enim bonum et laudabile est quod Deus ipse instituit, Christus confirmavit et Apostoli commendarunt. Atqui ita de Matrimonio. (**a**) *Deus* siquidem illud *instituit*, tum protoparentes sexu diversos creando, tum eos arcto fœdere sociando ut prolem procrearent: " Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis et ait: Crescite et multiplicamini " [2]. Imo aliquando idem præcepit, jubendo fratrem accipere uxorem fratris sui defuncti, ut suscitet semen fratris sui [3].

(**b**) Id *Christus confirmavit* nuptiis Canæ assistendo, contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti evehendo, eumdem ad pristinam indissolubilitatem revocando [4].

---

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 41; **Drouin**, l. IX, q. II; **Carrière**, p. II, c. II; **Billuart**, disp. I, a. 2; **Palmieri**, th. 2; **Billot**, th. 39.

[2] *Gen.*, I, 27-28; cf. II, 21-24. — [3] *Deut.*, XXV, 5.

[4] *Joan.*, II, 1 sq.; *Matth.*, XIX, 4 sq.

(c) Idem *commendarunt Apostoli;* ita S. Paulus matrimonium vocat *honorabile* [1]; ait eum qui matrimonio jungit virginem, bene facere et conjugibus præcipit ut debitum reddant [2]; juniores viduas admonet ut nubant, et doctrinam prohibentium nubere reprobat [3].

Ergo matrimonium sive in se, sive in suo usu est quid laudabile.

(B) Speciale *traditionis* argumentum non instituimus, cum ab omnibus agnoscatur Patres non solum obiter, sed diserte, in suis operibus, honestatem matrimonii propugnavisse. Adeantur, si tempus adsit, *Tertullianus* contra Marcionitas; *Clemens Alex.*, l. III Stromat.; *S. Hieronymus* in libris contra Jovinianum; *S. Augustinus* de Bono conjugali, de Nuptiis, etc.

817. (C) *Rat. theol.* Id profecto bonum et laudabile est quod *necessarium* est ad humanæ speciei propagationem, est in se *opus nobile*, et aliunde *bono fine* cohonestari potest. Atqui matrimonium (a) in præsenti rerum ordine, quatenus ab ipso Deo constitutum est, ad humanæ speciei conservationem et propagationem *necessarium* est; (b) est in se *opus nobile*, cum conjuges, rei maritali operam dando, simul cum Deo corpus humanum procreent, in quod infunditur anima rationalis : quod opus ipsi creationi affine est; (c) tandem *bono fine* honestari potest, v. g., *religionis* virtute, ut proles ad Dei cultum procreetur, *patriæ* amore, ut cives generentur qui Statui præsidio sint, *justitiæ* motivo, ut debitum reddatur, vel etiam intendi potest tanquam concupiscentiæ remedium.

Verum est quidem matrimonii usum sæpe sine aliqua libidine non esse; sed hoc est *per accidens*, et aliunde talis voluptas non est mala nisi ita dominetur ut ceteros fines honestos excludat : quod quidem vitio vertendum est non ipsi matrimonio sed iis qui eo abutuntur [4].

---

[1] *Hebr.*, XIII, 4. — [2] *I Cor.*, VII, 38; VII, 3. — [3] *I Tim.*, V, 1-3, 14.

[4] Sanctitatem et felicitatem christianorum conjugum sic præclare describit **Tertullianus** (*ad Uxorem*, II, 9, *P. L.*, I, 1302) : "Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. Atqui vere duo in carne una; ubi una caro, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesia

818. 2° *Status virginitatis vel cælibatus, pro Deo susceptus, præstantior est statu matrimoniali.* De fide est ex *Trident.*[1] : "Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio, A. S."

Quæ propositio dirigitur contra *Jovinianum* (IV sæc.), et *Novatores* qui contenderunt nuptias virginitati vel æquiparandas vel etiam anteponendas esse. Ut propositio recte intelligatur, notandum est comparationem institui inter *statum virginitatis* et *statum conjugalem*, non inter personas qui in utroque statu versantur : possunt enim dari conjugati qui nonnullis virginibus perfectiores sint. Præterea cælibatus de quo agitur, non est solum carentia vinculi conjugalis, quæ nonnunquam cum vita flagitiosa componitur, sed cælibatus *pro Deo* susceptus, quo vita ducitur a voluptatibus carnis exempta.

(**A**) *Script.* (**a**) Cum Christus Apostolis exposuisset varia matrimonii onera ex ejus indissolubilitate orientia, hi exclamarunt : "Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere"; hanc autem occasionem arripiens Salvator, asserit quosdam virginitatem colere, propter Deum, nec tamen omnes hujusmodi verbum capere, propter ejus sublimitatem : "Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum : qui potest capere, capiat"[2]. Porro hæc important statum virginitatis excellentiorem esse conjugali statu : sic enim, juxta *Hieronymum*[3] intelligi possunt verba Christi : "Mihi illi eunuchi placent, quos castravit non necessitas, sed voluntas : libenter illos in meos sinus recipio, qui a nuptiis abstinuerunt propter regnum cælorum, et ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt... Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum,

---

Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est; libere æger visitatur, indigens sustentatur; eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento; non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant quis melius Deo suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet, his pacem suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est".

[1] Sess. XXIV, can. 10, **D. B.**, 981.

[2] *Matth.*, XIX, 9-12.

[3] *Contra Jovin.*, l. I, c. 7, n. 12, *P. L.*, XXIII, 228.

totum se holocaustum offerre Domino, et, juxta Apostolum, esse sanctum corpore et spiritu".

(**b**) Idem magis diserte Apostolus docet [1]; licet enim ibi honorifice de matrimonio scribat, virginitatem tanquam aliquid melius, per modum consilii proponit : "Bonum est homini mulierem non tangere (1)... volo enim omnes vos esse sicut meipsum (7)... dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego (i. e., sine uxore) (8)... Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est (32)... Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit *melius facit*" (38).

Hæc adeo clara sunt ut Protestantes ea detorquere nitantur, asserentes Apostolum ibi loqui solum *hypothetice*, putantem scilicet secundum Domini adventum jam prope esse (29); sed frustra, nam ratio allata, videlicet eum *qui sine uxore est sollicitum esse eorum quæ Domini sunt*, in omnibus locis et temporibus vera manet, et luculenter demonstrat virginitatis statum Dei servitio magis aptum esse.

Hæc est etiam aperta Patrum doctrina, ut ex eorum operibus videre est : cfr. *S. Cyprianus*, de habitu Virginum; *S. Ambrosius*, de Virginibus; *S. Hieronymus*, contra Jovinianum; *S. Augustinus*, de sancta virginitate, etc.

819. (**B**) *Rat. theol.* Ille enim status excellentior est statu conjugali, in quo *bonum divinum* præfertur bono *humano*, et bonum *animæ* bono *corporis*. Atqui virginitas ordinatur ad bonum Dei, propter cujus amorem carnis voluptates etiam licitæ libere despiciuntur; et ad bonum animæ, cum eam disponat ad vitam contemplativam, ad orationem et considerationem eorum quæ sunt Dei [2]; dum conjugium ordinatur ad bonum corporis, quod est multiplicatio generis humani, et pertinet ad vitam activam, qua vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quæ sunt mundi.

Hinc Christus virginem matrem elegit, virginitatem ipse perpetuo coluit, virginem discipulum præ ceteris dilexit, eique soli

[1] *I Cor.*, VII, 1-40.

[2] Hinc **S. Thom.** (*Opusc. de perfect. vitæ spiritualis*), docet eos præsertim a matrimonio abstinere debere qui ad perfectionem tendunt, "quia per hoc homo maxime curis sæcularibus implicatur" et maxime conjugali affectu irretitur.

virginem matrem in cruce moriens commendavit, exemplo suo manifeste ostendens majoris pretii esse statum virginalem quam conjugalem [1].

820. *Solvuntur difficultates.* (a) Objicitur matrimonium esse *sacramentum*, proindeque virginitate præstantius, quæ sacramenti rationem non habet. — Nam 1) hic comparamus *statum* virginitatis cum *statu* conjugali, non cum sacramento Matrimonii; aliunde quamvis Matrimonii sacramentum gratias *ex opere operato* conferat, non exinde sequitur illud esse virginitate melius : hujusmodi enim gratiæ dantur propter *pericula* et *onera* conjugii, quæ in virginali statu desunt. 2) Præterea, loco gratiarum, quas conjuges sacramento Matrimonii accipiunt, virgines multo majores obtinere valent propter ferventes actus amoris et devotionis quos, teste Apostolo, longe facilius eliciunt quam nupti.

(b) Neque dici potest cælibatum intra fines *boni privati* sese continere, proindeque minus utilem esse quam statum matrimonialem. Multum enim ad commune societatis bonum confert tum per modum exempli, docendo quomodo refrænentur indomitæ passiones, ex quibus sanctitas matrimonii periclitatur; tum hominem continentem efficiendo aptissimum ad opera caritatis exercenda, videlicet pauperum, orphanorum ac infirmorum curam, aut parvulorum educationem, etc.; tum etiam in memoriam revocando patriam illam cælestem, ubi neque nubent neque nubentur.

(c) Nec dicatur, cum Protestantibus multis, continentiam esse *moraliter impossibilem*, ideoque eos qui virginitatem vovent, in laqueum diaboli incidere. — Continentiam diu servare valde difficile est quidem, imo moraliter impossibile iis qui media a Christo proposita respuunt, non autem iis qui periculosas occasiones fugiunt, carnis mortificationi, studio vel labori operam dant, simulque orationi assidue vacant, ac sacramenta, præsertim Eucharistiam, frequenter recipiunt; his enim mediis concupiscentia efficaciter frænatur. Quod candide agnoscebat protestans *Leibnitz* [2] : "Clerici et religiosi firmiter habeant persuasum, quod, ad continentiam servandam, vix opus est alia re, quam devitare otiositatem et periculosas occasiones, et habere voluntatem firmam, cujus gratiam Deus non denegat postulanti eam ferventi studio". Revera, inter ipsos Protestantes, nonne sunt vidui et viduæ innuptæque virgines, quibus obligatio diu continentiam servandi incumbit? Numquid præsumere licet hos omnes vitio deditos esse? Si non

[1] S. Thom., 2ª 2ᵃᵉ, q. 152, a. 4.

[2] *Systema theolog.*, n. 66. Quod jam animadverterant S. Gregor. Naz., *Orat.* 31; SS. Chrysost. et Hieronymus in cap. XIX *Matt.*; S. August., l. VI *Confess.*, cap. XI; cfr. M. Rosset, *op. cit.*, t. I, n. 398 sq.

liceat, cur catholici sacerdotes vel alii qui propter Deum virginitatem vovent, tanquam incontinentiæ rei insimulantur?

Art. II. De nexu inter sacramentum et contractum [1].

821. *Status quæstionis.* Duplici modo Christus sacramentum matrimonii instituere potuit : 1) vel addendo contractui naturali aliquod signum externum gratiæ productivum, v. g., sacerdotalem benedictionem, 2) vel evehendo ipsum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti.

1) Jamvero, sæc. XVII, *Marcus Ant. de Dominis* [2], Spalatensis Episcopus, postea hæreticus, et *J. Launoy* [3], necnon nostris temporibus *J. Nuytz*, professor Taurinensis, docuerunt sacramentum ita supervenire matrimonii contractui jam constituto, ut ab eo separari possit, proindeque impedimenta dirimentia a principibus statui posse, cum contractus matrimonii sit ex natura sua civilis. Quam doctrinam libenter amplexi sunt *Politici*, ut sic facilius circa matrimonium leges ferre valerent.

2) Quidam catholici, ut *M. Canus* [4], putarunt contractum esse quidem materiam sacramenti, sed benedictionem sacerdotalem esse formam, ita ut si benedictio omittitur, existat matrimonium ut contractus, non autem ut sacramentum.

3) Pauci alii, post *Vasquez* [5], agnoverunt quidem contractum esse totum et integrum sacramentum, sed tenuerunt contrahentes posse *sua intentione* efficere ut contractus naturalis sine sacramento existat.

Doctrina autem catholica est ipsum contractum matrimonialem fuisse ad sacramenti dignitatem evectum, ita ut inter *baptizatos* dari non possit matrimonii contractus quin uno eodemque tempore sit sacramentum.

822. *Thesis :* "**Inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum**" (Can. 1012, § 2.) Certum est.

---

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, 42, a. 1, ad 1; a. 3, ad 2; **Bellarminus**, *de Matrim.* c. 7-8; **Billuart**, diss. I, a. 5; **Carrière**, p. I, sect. 3, c. I, a. 1; **Perrone**, sect. I, c. 6; **Palmieri**, th. 10; **Pesch**, n. 718 sq.; **Billot**, th. 37.

[2] *De Republ. christiana*, l. III et V, c. 2.

[3] *De regia in matrim. potestate*, t. I, p. 2, c. 4.

[4] *De Locis theol.*, l. VIII, c. 5.

[5] *De Sacram.*, disp. 138, c. 5, n. 63-64. — Ita etiam **Billuart**, **Salmantic.**

Dicitur *inter baptizatos;* nam Infideles possunt valida matrimonia contrahere, quæ rationem habent contractus, non autem sacramenti.

(**A**) *Scriptura* non demonstratur quidem sed innuitur; etenim ex verbis S. Pauli ad *Ephesios* supra laudatis, Patrum addita interpretatione, *illud ipsum matrimonium* ad *dignitatem sacramenti* evectum est *quod Deus ab initio instituerat;* atqui quod Deus ab initio instituerat nihil aliud est nisi contractus ipse matrimonialis; ergo contractus ipse, non autem alter ritus accessorius, vere fuit ad dignitatem sacramenti evectus. — Revera nullus ritus, nulla oratio, nulla materia aut forma in Scriptura determinatur, præter ipsum matrimonialem contractum; ergo omne matrimonium inter Christianos legitime celebratum, est sacramentum; et vice versa, si non adsit sacramentum, nec erit vere contractus matrimonialis.

823. (**B**) *Tradit.* (**a**) *Patres* non directe quidem hanc quæstionem expenderunt, sed ita de matrimonio christiano locuti sunt, ut exinde erui possit contractum ipsum fuisse ad dignitatem sacramenti evectum. *Scholastici* omnes qui ante sæc. XVI floruerunt id apertius declararunt, docentes, post *S. Thomam* [1], verba quibus consensus seu contractus matrimonialis exprimitur, esse formam sacramenti, vel post *S. Bonaventuram* [2], sacramentum Matrimonii pro materia habere personas legitimas, et pro *forma consensum :* quod quidem importat consensum, seu contractum matrimonialem ad essentiam sacramenti pertinere, nec ab eo divelli posse.

(**b**) Id etiam infertur ex variis *Ecclesiæ documentis.* 1) Imprimis *Decretum pro Armenis* hæc habet [3] : "Causa efficiens matrimonii regulariter est *mutuus consensus* per verba de præsenti expressus". Unde sic : hic certo agitur de Matrimonio ut *sacramento,* cum Decretum sit instructio de sacramentis; atqui declaratur causam efficientem, proindeque essentiam hujus sacramenti esse mutuum consensum, seu matrimonialem contractum; ergo contractus a sacra-

[1] *Suppl.*, q. 42, a. 1, ad 1.
[2] *In IV Sent.*, dist. 28, a. 1, q. 5. — [3] **D. B.**, 702.

mento separari nequit. 2) Idem ex *Tridentino* erui potest : docet enim[1] matrimonia clandestina *rata* et *vera* fuisse matrimonia, quamdiu Ecclesia eadem irrita non fecerit; quod quidem importat ea fuisse verum sacramentum, nam, juxta *Innocentium III*[2], matrimonium "*verum* et *ratum* existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum* efficit conjugii sacramentum". (Cf. n. 826, **C**). Atqui in matrimoniis clandestinis nihil invenitur nisi contractus matrimonialis; ergo talis contractus vere constituit sacramentum, nec ab eo separari potest.

(**c**) Tandem res extra omne dubium posita est ex disertis declarationibus *Pii IX* et *Leonis XIII*, necnon ex *Codice*.

1) *Leo XIII*, in Encycl. *Arcanum* (10 Febr. 1880), hæc habet : "Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis prædicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungunt... Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem;* atque ideo *non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.* Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure... Itaque apparet omne inter Christianos justum conjugium *in se* et *per se* esse sacramentum : *nihilque magis abhorrere a veritate*, quam esse sacramentum decus *quoddam adjunctum*, aut proprietatem *allapsam extrinsecus*, quæ *a contractu disjungi* ac disparari hominum arbitratu queat".

2) Quam doctrinam sic contrahit *Codex*, can. 1012 : "Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum".

824. Corollarium. Hinc, etiamsi *baptizati* contrahentes omnino *nesciant* contractum matrimonialem esse sacramentum, *conficiunt* tamen *sacramentum eo ipso quod intendunt maritaliter contrahere.* Si autem bene edocti, nollent, propter suam impietatem, facere sacramentum, distinguendum est : 1) si eorum intentio prædominans sit *conjugium inire*, contractum simul et sacramentum conficiunt; 2) si autem eorum intentio tam prava sit, ut *concubina-*

[1] Sess. XXIV, de Reformat., c. 1.
[2] *Decretal.*, l. IV, tit. 19, c. 7, **D. B.**, 406.

tum seligere malint quam Matrimonii sacramentum, horum unio concubinaria, non autem maritalis est.

Art. III. De ministro Matrimonii [1].

825. *Melchior Canus* primus esse videtur qui docuerit non ipsos contrahentes, sed Sacerdotem qui eos in matrimonio jungit, ministros esse sacramenti [2]; cujus opinionem amplexi sunt multi theologi, inter quos *Sylvius*, *Drouin*, *Tournely* aliique : hodie vero antiqua sententia, quæ tot sæculis viguerat, ex Ecclesiæ praxi declarationibusque certa omnino est.

826. *Thesis :* **Ministri sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes, non autem Sacerdos nuptiis benedicens.** Certum est.

(A) *Ex antiquis Ritualibus.* Ut recte enim animadvertit *Martene* [3], vir in antiquis ritibus optime versatus, ita matrimonium olim celebrabatur : sponsi sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiæ; deinde, datis sibi mutuo dextris, præstabant consensum, "in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud illos erant illa verba parochi *Ego vos conjungo*, in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam hujus sacramenti constituunt" Revera hæc verba desiderantur in plerisque Ritualibus antiquis. Jamvero si essentia sacramenti matrimonii in solo consensu conjugum, non in benedictione sacerdotis, consistit, ipsi contrahentes qui consensum præbent sibi administrant sacramentum.

(B) *Ecclesiæ praxi et declarationibus.* (a) *Tridentinum* declaravit *rata* et *vera* fuisse matrimonia clandestina, absque præsentia Sacerdotis contracta, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit [4]. Atqui ex usu loquendi ecclesiastico matrimo-

---

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 45, a. 5; q. 46, a. 2; **Bellarminus**, c. 6; **Drouin**, lib. X, q. II; **Billuart**, diss. I, a. 6; **Carrière**, pars I, sect. 2, c. 2; **Perrone**, sect. I, c. 2; **Palmieri**, th. XI; **Villien**, *R. C. F.*, t. 76, p. 20; **A. de Smet**, n. 182-185.

[2] *De Loc. theolog.*, l. VIII, c. 5. — Melchior Canus suam sententiam tribuit *Gulielmo Parisiensi*, *Petro Paludano*, imo *S. Thomæ*, sed immerito, ut late ostendit **Perrone**, l. c., p. 48 sq.

[3] *De Antiquis Eccl. Rit.*, p. II, c. 9, a. 1.

[4] "Tametsi dubitandum [illegible] est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, *rata et* [illegible] esse matrimonia, quamdiu Ecclesia [illegible] irrita

nium *ratum* idem est ac *sacramentum* matrimonii; ait enim *Innocentius III* (l. c.) : "Etsi matrimonium verum inter infideles existat, *non* tamen est *ratum;* inter fideles autem *verum et ratum* existit : quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum efficit conjugii sacramentum*, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret". Ergo, juxta *Tridentinum*, matrimonia sine sacerdotis præsentia et benedictione celebrata, possunt esse *rata*, id est verum sacramentum. Ergo sacerdotes non sunt ministri hujus sacramenti, sed contrahentes.

(**b**) Aliunde, proposito dubio utrum matrimonia tempore gallicæ perturbationis peracta, absque Sacerdotis præsentia, revalidanda essent benedictione Sacerdotis, Congregatio pro negotiis Ecclesiæ gallicanæ deputata, respondit (22 Apr. 1792) "fideles hortandos esse ut cum Sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit hujusmodi *benedictionem ad validitatem minime pertinere*".

(**c**) Thesis omnino firmatur ex can. 1098, juxta quem in aliquibus casibus contrahere licet absque præsentia sacerdotis : "In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prævideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam".

(**C**) *Rat. theol.* Ex dictis in præcedente thesi, contractus matrimonialis inseparabilis est ab ipso sacramento, proindeque illi vere conficiunt sacramentum qui simul contractum perficiunt; atqui ipsi contrahentes, non autem Sacerdos, contractum matrimonialem perficiunt, ut patet; ergo ipsi contrahentes sacramentum conficiunt, seu aliis verbis sacramenti sunt ministri.

827. (**D**) *Principia ad solvendas difficultates.* Cum nimis tædiosum sit varia argumenta ab adversariis allata singulatim confutare, sufficiat nonnulla exponere *principia*, ex quibus solvi valeant.

---

non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant"... (Sess. XXIV, de Ref. Matrimonii, c. 1.)

(a) Argumenta *a pari* ex aliis sacramentis desumpta, parum aut nihil valent, cum unumquodque sacramentum suam propriam materiam, suos quoque ministros habeat. Frustra igitur dicunt adversarii regulariter solos Sacerdotes sacramentorum esse ministros, proindeque matrimonii. — Negatur enim paritas, cum matrimonium sit contractus, legesque contractus sequatur; sed insuper nonne baptismus, a laico ministratus, validus est? cur ergo matrimonium, a laicis ministratum, invalidum esset?

(b) Alius est *minister sacramenti* et alius *minister solemnitatis;* proinde, si in documentis ecclesiasticis agatur de Sacerdote ut ministro matrimonii, ex contextu determinandum est utrum quæstio fiat de ministro *conficiente*, an solum *sanciente* sacramentum benedictione speciali.

(c) Matrimonia, sine præsentia Sacerdotis celebrata, *illicita*, aut aliquando *illegitima* dicebantur, quia *contra leges Ecclesiæ* contrahebantur, sed ex hoc minime sequitur eadem invalida fuisse. Iterum quidam benedictioni sacerdotali tribuunt virtutem *sacramentalem*, sed, inspecto contextu, sensus est hujusmodi benedictionem esse *quoddam sacramentale*. Nonnunquam asseritur matrimonium, absque illa benedictione, non esse veri nominis sacramentum, quia contrahentes, legem Ecclesiæ violantes, *gratiam sacramenti* non recipiebant.

Horum principiorum ope, præcipuæ difficultates solvi queunt: si quæ autem supersint auctoritates contra nostram thesim, vim decisionum Ecclesiæ infringere non possunt.

Art. IV. De materia et forma[1].

828. Materiam sacramenti Matrimonii esse *ipsum contractum* omnes theologi tenent. Nonnulli autem, cum *Melchiore Cano*, putarunt formam in benedictione Sacerdotis reponendam esse: quæ quidem opinio ex jam dictis confutata manet. Doctrina igitur communis et certa est *materiam et formam sacramenti in ipso matrimoniali contractu sitam esse.* Hoc autem diverso modo explicatur.

(A) Quidam, cum *Navarro*, dixerunt consensum internum esse materiam, formam autem consistere in signis externis quæ consen-

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 45, a. 5; **Bellarminus**, c. 6; **Drouin**, l. X, q. 3; **Billuart**, diss. I, a. 7; **Carrière**, p. I, sect. 2, c. 3; **Billot**, th. 37, Corol. I, p. 344; **A. de Smet**, n. 181.

sum exprimunt. Quod admitti nequit, nam materia debet esse aliquo modo sensibilis, independenter a forma; atqui consensus mere internus nullo modo sensibilis est.

(B) Alii tenuerunt, cum *Vasquez*, corpora contrahentium seu dominium in ea esse materiam, formam autem verbis consensum significantibus constitui. Admittimus quidem dominium in corpora esse materiam *remotam*, circa quam versatur sacramentum, sed negamus illud esse materiam *proximam;* nam tale dominium nullomodo gratiam significat, jamvero materia proxima sacramenti aliquo modo gratiam ab eo productam significare debet.

(C) *Communis* igitur *sententia* est *materiam remotam* esse jus in corpora in ordine ad actus conjugales, materiam *proximam* esse *verba* aut nutus quatenus reciprocam corporum traditionem exprimunt, formam autem esse *verba* aut nutus, quatenus mutuam eorum acceptationem significant. (a) Quod imprimis declaravit *Benedictus XIV*[1] : " Legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti Matrimonii; mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma ".

(b) *Ratione* confirmatur : illud enim per modum materiæ se habet quod est determinabile, et per modum formæ quod est determinans; atqui corporum mutua traditio est quid *determinabile* tantum, cum sit solum inchoatio contractus, et in suspenso maneat, donec accedat acceptatio; corporum autem acceptatio est quid *determinans*, cum contractum compleat eumque efficacem reddat; ergo.

Objicitur quidem contractum matrimonialem non esse materiam et formam hujus sacramenti, quia gratiam minime significat.

Sed immerito; 1) nam hujusmodi contractus significat unionem Christi cum Ecclesia, quæ est veluti fons ac causa gratiæ huic sacramento propriæ, proindeque ipsam gratiam quibus conjuges ipsi sanctificantur; 2) sed insuper consensus ille directe etiam repræsentat spiritualem illam animorum unionem quæ est una e præcipuis gratiis huic sacramento annexis.

Corollaria.

829. Ex tribus thesibus supra expositis, jam erui possunt quædam corollaria.

[1] *Breve ad Archiep. Goanum*, 19 mart. 1758.

(A) *Matrimonium est contractus sui generis*, speciales characteres præ se ferens; siquidem est : (a) *naturalis*, quatenus naturali hominum inclinatione fundatur, et ad bonum naturæ ordinatur, scil. humani generis propagationem et educationem; sed aliis contractibus multum præstat, tum quia a Deo fuit institutus, tum quia versatur non circa res materiales, sed circa ipsas personas contrahentes, earumque affectus, tum quia non potest dissolvi contrahentium consensu sed ex natura sua est indissolubilis, ut supra ostensum est; (b) *sacer* et *sacramentalis*, cum significet unionem Christi cum Ecclesia et ad dignitatem sacramenti evectus fuerit; (c) *ecclesiasticus*, quatenus ad bonum Ecclesiæ ordinatur, et multis legibus Ecclesiæ regitur; (d) *civilis*, utpote tendens ad bonum reipublicæ, et in quibusdam accessoriis potestati civili obnoxius.

830. (B) *Matrimonium inter Infideles non est sacramentum*, cum Baptismus sit janua omnium sacramentorum, ita ut nullum a non baptizatis valide recipi valeat. Attamen eorum connubia *valida* sunt ut *contractus naturalis* : " Etsi matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est ratum ", ait *Innocentius III* (l. c.).

Hæretici autem, qui valide baptizati sunt, et legitime contrahunt, sacramentum Matrimonii valide accipiunt, etiamsi ignorent vel negent hujus sacramenti existentiam. Dummodo enim generalem intentionem nubendi habeant juxta leges a Christo institutas, contractum naturalem Matrimonii valide conficiunt, et, cum inter baptizatos hic a sacramento sejungi nequeat, vere etiam recipiunt sacramentum.

831. (C) **Controversia.** Hujus rei occasione duæ quæstiones inter theologos agitantur : (a) *Prior* est num *matrimonium a non baptizatis contractum fiat sacramentum*, si *uterque* conjux postea *baptizatus fuerit*.

Quidam negant, inter quos *Vasquez*, *Salmanticenses*, *Carrière* [1], etc., quia consensus matrimonialis jam valide datus, non potest renovari : res enim semel donata non potest de novo valide donari, cum non sit amplius sub potestate donatoris.

[1] **Salmantic.**, c. 3, n. 82; **Collet**, c. II, n. 278; **Carrière**, n. 150.

Alii autem *communius* et *probabilius* affirmant cum *Sanchez*, *Bellarmino*, *Perrone* aliisque [1]. 1) Licet enim novus non ponatur contractus, sufficit prior consensus in infidelitate datus. Nam sola ratio cur hic contractus non fuerit simul sacramentum, est quia contrahentibus christianus character deerat; statim igitur ac Baptismi characterem recipiunt, *obex* removetur, ac nil impedit quin contractus sit simul sacramentum. 2) Quod aliunde Apostoli auctoritate firmatur; nam in epistola ubi de Matrimonii sacramento agit, Ephesios alloquitur recenter conversos, quorum plerique ante susceptum Baptisma matrimonium contraxerant, et supponit tamen eosdem esse sacramento Matrimonii sanctificatos.

832. (b) *Posterior* est num *matrimonium fidelis cum infideli* sit sacramentum, quando tale matrimonium fuit ab Ecclesia permissum. 1) Multi negant, ut *Sanchez*, *Billuart*, *Theologi Wirceburgenses* [2], quia matrimonium est contractus, et sicut ad unum contractum requiruntur essentialiter duo habiles ad contrahendum, ita ad sacramentum requiruntur duo habiles ad consensum sacramentalem præstandum; atqui in casu de quo agitur unus tantum contrahentium habilis est ad sacramentum.

2) Alii autem, et quidem nostro judicio *probabilius*, affirmant matrimonium hujusmodi esse sacramentum in parte fideli; ita *Salmanticenses*, *Tournely*, *Perrone* [3], etc. Etenim fidelis qui, ex dispensatione Ecclesiæ, cum infideli matrimonium init, verum contractum matrimonialem conficit, et aliunde ipse capax est gratiæ; atqui omnis matrimonialis contractus a baptizato confectus ad dignitatem sacramenti fuit evectus; ergo in casu præsenti contractus est vere sacramentum.

Nec dicatur sacramentum non posse *claudicare*, seu esse validum in uno, in altero autem invalidum; hoc enim gratis prorsus asseritur, et, quamvis fateamur rem a Dei voluntate pendere, *ex se* tamen nil prohibet quin unum idemque sacramentum sit validum in uno, qui nullo impedimento laborat, invalidum autem in altero qui sacramenti est incapax; revera absolutio duobus simul data valida esse potest pro eo qui est recte dispositus, invalida autem pro eo qui contritione caret. Addi etiam potest durissimum fuisse Christianis mulieribus, quæ prioribus sæculis ethnicos in matrimonium ducere debebant, privari gratia sacramentali ipsis tam necessaria.

---

[1] **Sanchez**, l. II, disp. IX, n. 5; **Wirceburgenses**, n. 285; **Benedictus XIV**, *de Synodo diœces.*, l. VIII, 13, n. 8; *de Augustinis*, a. 5.

[2] **Sanchez**, l. II, disp. VIII, n. 2; **Billuart**, d. I, a. 5, pet. 7; **Wirceburg.**, n. 288. — [3] **Salmantic.**, cap. III, n. 82; **Tournely**, q. II, a. 2.

Art. V. De effectibus sacramenti [1].

833. I. Ex canone 1110 duplex est matrimonii effectus : *vinculum* inter conjuges et *gratia* : " Ex valido matrimonio enascitur inter conjuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum ; matrimonium præterea christianum conjugibus non ponentibus obicem gratiam confert ".

Prior effectus, seu *vinculum conjugale*, semper consequitur *validam sacramenti susceptionem* seu contractum matrimonialem valide inter baptizatos initum ; de eo jam satis dictum est ubi de *indissolubilitate* matrimonii, n. 739.

Exinde sequitur utrique conjugi *ab ipso matrimonii initio* æquum jus et officium esse quoad actus proprios vitæ conjugalis (can. 1111).

Alter effectus seu *gratia habitualis* producitur quoties non ponitur *obex*, nempe *status peccati mortalis certo cognitus.*

Si quis in statu peccati mortalis versatur, sed *bona fide* putat se esse in statu gratiæ, et aliunde est attritus, justificatur secundum communem sententiam in *Tr. de Sacramentis* expositam.

Sacramentum *valide* sed *infructuose* receptum probabilius reviviscit quoad *gratiam* remoto obice, dummodo vinculum matrimoniale non sit dissolutum.

Quibus præhabitis, paulo fusius declarandus est posterior effectus seu *gratia.*

834. II. Cum Matrimonium sit unum ex sacramentis N. Legis, gratiam habitualem producit *ex opere operato*, ut diserte definitum est a *Tridentino* [2] : " Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum... *neque gratiam conferre*, A. S. "

Gratia autem, quam confert, non est prima sed *secunda*, id est, gratiæ habitualis augmentum, cum, teste *Tridentino*, institutum fuerit non ad peccata remittenda, sed ad *sanctificandos* conjuges. Iterum gratia huic sacramento propria

[1] **Drouin**, l. X, q. 4; **L. Habert**, *Theol. dogm. et moralis*, de matrim. c. 5; **Carrière**, n. 58 sq.; **A. de Smet**, 186-187.

[2] Sess., XXIV, can. 1.

consistit in *jure ad accipiendas*, tempore opportuno, *gratias actuales* christianis conjugibus ad sua officia rite adimplenda necessarias : 1° ad christianam prolis procreationem et educationem; 2° ad mutuum amorem et vitæ consortium; 3° ad concupiscentiam coercendam.

835. 1° *Ad christianam prolis procreationem et educationem.* Hic est enim præcipuus matrimonii finis : 1) Sicut Christus non alio fine Ecclesiæ conjunctus est, quam ut ex divino hujusmodi connubio nascerentur filii Dei adoptivi, ita sponsi uniri debent ut filios generent sancteque educent, qui non solum terrestri patriæ utiles esse valeant, sed etiam optimi Ecclesiæ cives, regnique cælestis candidati. Porro ad hoc requiritur gratia specialis, quæ per matrimonii sacramentum confertur; homines enim, peccato originali vitiati, suam voluptatem potiusquam prolis bonum naturaliter quærunt; sed, gratiæ sacramentalis ope, mentes suas altius erigunt, et cum pio Tobia dicere valent : " Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum " [1].

2) Nec minor requiritur gratia *ad filios sancte educandos;* nam, ut ait *Leo XIII* (*Encycl. Arcanum*) : " In liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est : *Patres, educate illos in disciplina et correptione Domini* [2]. Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia; ea tamen conjugibus bonis, *ob virtutem quæ sacramento percipitur*, non modo tolerabilia fiunt, *verum etiam jucunda* ".

836. 2° *Ad castum amorem fovendum.* Sæpius enim nuptias perturbat conjugum discordia, quando unusquisque proprias sequitur inclinationes : vir, potestate sua abutendo, uxorem non ut adjutorium simile sibi respicit, sed potius ut famulam quam male pertractat; uxor vice sua maritum contemnit, eique subjici recusat; inde innumerabiles nascuntur rixæ, quæ familiæ pacem evertunt, vitamque miserabilem utrique conjugi reddunt. Huic autem malo occur-

[1] *Tob.*, VIII, 9. — [2] *Ephes.*, VI, 4.

rit Matrimonii sacramentum, vi cujus vir uxorem suam diligit sicut Christus Ecclesiam, et uxor viro subdita est sicut Ecclesia Christo, amboque alacrius mutuas infirmitates perferunt et sibi mutuo condonant.

Porro sacramentalis gratia hæc omnia operatur in iis qui sunt recte dispositi. "Eos scilicet ipsos, ait *Leo XIII* (l. cit.), necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant. Vir est familiæ princeps, et caput mulieris; quæ tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem non ancillæ, sed sociæ; ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui præest, et in hac quæ paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiæ, divina caritas esto perpetuo moderatrix officii".

837. 3° *Ad concupiscentiam moderandam;* qui enim corruptæ naturæ propensionibus habenas laxant, nuptiale torum omni immunditia deturpant, nec una uxore contenti, ad multas inclinantur, et, si polygamia prohibeatur, ad divortium recurrunt, omnique libidinis generi indulgent, prout de paganis refertur. Huic autem vitio medetur gratia sacramenti, qua adjuti christiani conjuges præcipites libidinis impetus cohibere valent, et caste juribus suis utuntur, non tam voluptatis quam prolis desiderio; eadem gratia fit ut sibi invicem ita perpetuo adhæreant ut neuter adulterinos foveat amores: sicut enim "Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret"[1], ita vir christianus casto amore uxorem prosequitur, et uxor virum, ita ut ex illa mutua dilectione sanctiores evadant.

Attamen ut Matrimonii sacramentum præfatos operetur effectus, recipi debet cum recta intentione et statu gratiæ. Pastores igitur tum privatim tum publice adolescentes hortentur ut non sine consentaneis dispositionibus accedant ad sacramentum, ex quo tantos fructus percipere valeant pro toto vitæ cursu tam necessarios.

[1] *Ephes.*, V, 25-26.

CAPUT III.

DE MATRIMONIO QUATENUS CANONICIS LEGIBUS REGITUR.

838. Matrimonium, ut ex jam dictis constat, est contractus *naturalis* et *sacer* : quatenus *naturalis*, legi *naturali* subditur; ut *sacer*, ad dignitatem *sacramenti* evectus, a jure *divino* pendet, sed insuper *canonicis* regitur legibus, quæ jus tum naturale tum divinum interpretantur et perficiunt : bonum enim sociale postulat ut jus naturale et divinum legibus *positivis* compleatur. De quibus positivis legibus in hoc capite agemus, præcipue vero *canonicis*, quia, cum matrimonium sit *sacramentum*, principalem omnino partem Ecclesia merito sibi vindicat in legibus hoc de contractu ferendis.

Quinque erunt articuli :

ART. I. *De potestate leges ferendi circa matrimonium.*
ART. II. *De præviis ad matrimonium.*
ART. III. *De celebratione matrimonii.*
ART. IV. *De impedimentis matrimonii.*
ART. V. *De dispensationibus.*

Art. I. De potestate leges ferendi circa matrimonium [1].

839. Cum matrimonii contractus ad dignitatem sacramenti fuerit evectus, eo ipso Ecclesiæ potestati subjicitur.

Hanc tamen Ecclesiæ auctoritatem negarunt 1) *Protestantes*, qui matrimonium tenebant *sacramentum non esse;* 2) *M. A. de Dominis*, *Launoy*, *Regalistæ* non pauci, necnon *Jansenistæ* qui Synodo Pistoriensi (1786) adfuerunt : isti siquidem docere non

[1] **S. Thom.**, *Quodlibet.* V, a. 15; **Bellarminus**, c. 32; **Sanchez**, l. VII, disp. III; **Drouin**, l. IX, q. VI, c. 1; **Billuart**, diss. VI, a. 2-3; **Carrière**, p. III, sect. II, c. 2, n. 520 sq. cum emendationibus in 6ª ed. Compendii insertis, n. 130 sq.; **Perrone**, l. II; **Palmieri**, th. 28 sq.; **de Angelis**, *Prælect. juris can.*, tom. III, p. I, p. 24 sq.; **Cavagnis**, *Institut. juris publ.*, 3ª ed., l. V, n. 184 sq.; **Billot**, th. 47-48; **R. Lemaire**, *Le Mariage civil*, 2ᵉ éd., Paris, 1904; **A. de Smet**, n. 409-448.

erubuerunt potestatem leges ferendi circa christianum matrimonium, præsertim ad dirimenda matrimonia, pertinere ad *solos* principes sæculares, non vero ad Ecclesiam, nisi forte ex principum indulgentia. 3) Præterea catholici auctores non pauci, præsertim in Gallia, putarunt potestatem impedimenta dirimentia statuendi non solum Ecclesiæ, sed *etiam principibus competere*, quia matrimonium est contractus tum civilis tum ecclesiasticus. Quæ tamen opinio hodie, post repetitas S. Sedis declarationes, admitti nequit. Quid *Ecclesia*, quid *potestas civilis* de matrimonio possit decernere sequentes propositiones declarabunt.

840. *Thesis 1ª* : **Ecclesia potestatem habet statuendi jure proprio pro baptizatis impedimenta matrimonii, et judicandi causas matrimoniales quæ vinculum respiciunt.**

De fide est ex *Tridentino* [1] quoad impedimenta *dirimentia* et *causas proprie matrimoniales* : " Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, A. S. — Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, A. S. " (sess. XXIV, can. 4, 12). Jamvero hujusmodi canones *dogmatici* sunt, quidquid in contrarium pauci dixerint; hic enim agitur de re non disciplinari, sed ad fidem spectante, scilicet de ipsa potestate Ecclesiæ et de ejus infallibilitate in exercitio hujus juris. Præterea hanc potestatem Ecclesiæ inesse *jure proprio*, non autem ex concessione Principum, colligitur ex damnatione propositionis Synodi Pistoriensis, in qua oppositus error propugnabatur : talis enim propositio, ut *Tridentino contraria* et ex *hæreticali principio* profecta, reprobata fuit [2].

Certum est quoad impedimenta *prohibentia* aliaque ad sacramentum matrimonii spectantia ex can. 1016 : " Baptizatorum matrimonium regitur non solum jure divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa *mere civiles* ejusdem matrimonii effectus ". Cf. can. 1038.

841. (A) *Praxi Ecclesiæ.* Christus ipse legem indissolubilitatis, legi romanæ contrariam, statuerat; Paulus *privilegium fidei*, supra, n. 758, promulgaverat. Horum vestigiis

[1] *Trident.*, sess. XXIV, can. 4, 12, **D. B.**, 974, 982.
[2] **D. B.**, 1559-1560.

inhærens, *Ecclesia varia de matrimonio condidit statuta;* præsertim proprio jure impedimenta dirimentia, et, data occasione, de causis matrimonialibus quoad ipsum vinculum judicavit.

(a) Imprimis antiquissima est Ecclesiæ lex, vi cujus matrimonia virginum quæ solemniter suam virginitatem Deo voverant, non solum illicita sed etiam invalida habita sunt; ita, v. g., *Gelasius I* scribit:[1] "Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum *incesta fœdera* et sacrilega miscere"; jamvero incesta fœdera sane validum connubium vocari nequeunt. Porro hujusmodi lex ex nullo civili Codice desumpta est; ergo ab ipsa Ecclesia jure proprio lata fuit.

(b) Item Concil. *Neocæsariense* (314), can. 2, statuit[2]: "Femina, si duobus fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit quod, ubi convaluerit, *solvet matrimonium*, habebit pænitentiam"; quibus verbis supponitur matrimonium de quo agitur tanquam nullum habitum fuisse. Jamvero hoc impedimentum a lege civili non fuit mutuatum, cum hæc nonnisi an. 355 idem statuerit[3].

(c) Synodus *Matisconensis* (585), can. 16, declaravit irrita esse matrimonia a viduis clericorum contracta: "uxor subdiaconi, exorcistæ vel acolythi, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio"; quod in nulla civili lege reperitur.

(d) Tandem in *Tridentino*, Oratores Regis Galliarum petierunt ut matrimonia clandestina, et connubia sine parentum consensu contracta, irrita declararentur: prius fuit concessum, posterius autem negatum; quod quidem luculenter probat auctoritatem Ecclesiæ in condiendis impedimentis fuisse penitus agnitam, et quidem a jure principum independentem.

Quod argumentum sic breviter contrahit *Leo XIII* (*Arcanum*): "Quæ (Ecclesia) potestatem in conjugia Christianorum, omni cum tempore tum loco, exercuit, atque ita exercuit, ut illam *propriam* ejus esse appareret, nec hominum concessu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam... Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicæ honestatis in conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II[4] aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe

---

[1] *Ep. ad Episcopos Lucaniæ*, c. 20, *P. L.*, LIX, 54.

[2] Ap. **Bruns**, t. I, p. 71.

[3] *Cod. Theod.*, l. III, tit. 12, *Etsi licitum.*

[4] **D'Aguirre**, *Conc. Hisp.*, tom. I, can. 13, 15-17; **Harduin**, *Act. Concil.*, tom. I, can. 11, 16-17.

distarent. Quin tantum abfuit ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Justinianus (*Novel.* 137) fateri non dubitarunt, in iis rebus, quæ nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi licere".

842. (B) *Rat. Theol.* Contractum quemlibet a propria auctoritate regi oportet; tum *ante* actum, ubi legislator determinare debet in quibus conditionibus valide et licite iniri possit; tum *post* factum, ita ut auctoritas quædam judicialis esse debeat quæ de contractu inito pronuntiet. Atqui matrimonium, cum sit sacramentum, id est res omnino sacra, Ecclesiæ potestati subjacet. Ergo contractus ille, sub utroque respectu, ab Ecclesiæ potestate tum legislativa tum judiciaria pendere debet.

843. *Thesis 2ª :* **Potestas civilis non potest leges statuere nec causas judicare matrimonia baptizatorum respicientes, nisi circa effectus mere civiles contractus.** *Certum est*, ex can. 1016 jam allegato; ex can. 1038 : " Supremæ tantum auctoritatis ecclesiasticæ est authentice declarare quandonam jus divinum matrimonium impediat vel dirimat. — Eidem supremæ auctoritati privative jus est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis "; ex can. 1960 : " Causæ matrimoniales inter baptizatos jure proprio et exclusivo ad judicem ecclesiasticum spectant ". Cfr. can. 1961.

Ad quod intelligendum, notare juvat effectus matrimonii temporales duplicis esse generis, alios ab ipso contractu inseparabiles, v. g., mutua jura et officia conjugum quoad torum et habitationem, prolis legitimitatem; alios autem ab ipsa substantia contractus separabiles, v. g., dotem, dona tiones propter nuptias, hæreditariam successionem, etc., quos *Codex* vocat *mere civiles.*

(A) *Prius* probatur : (a) *Ecclesiæ praxi;* Ecclesia enim nunquam hanc potestatem in principibus agnovit, sed e contra nullam vim habere censuit leges civiles circa matrimonii vinculum; ita *Gregorius M.* conjugia consobrinorum

a principibus permissa reprobavit; *Benedictus XIV*[1], loquendo de lege qua Theodosius prohibuerat matrimonia Judæorum cum Christianis, ait : " Hæc lex, utpote a laico principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet "; item *Urbanus VIII* ac *Pius VII*[2] declararunt legem civilem, irritantem matrimonia sine consensu parentum inita, in foro conscientiæ vim non habere.

(**b**) *Auctoritate RR. Pontificum;* sufficiat verba referre *Pii VI*[3] : " Dogma est fidei ut matrimonium quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud, post Christi adventum, evaserit unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis... Hinc fit ut ad *solam Ecclesiam*, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre ". Ibidem illos confutat qui dicunt canonem Tridentinum (*supra*, n. 840) non dicere *solos* judices ecclesiasticos, aut *omnes* causas matrimoniales : " Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat ".

(**c**) *Rat. theol.* Matrimonium enim, ut recte ait *Pius VI*, l. cit., non est contractus mere civilis aut naturalis, sed unum ex septem sacramentis; atqui sola Ecclesia, vi potestatis ipsi divinitus concreditæ, de sacramentis leges ferre valet.

Nec dicant adversarii matrimonium esse contractum naturalem, et qua talem civili auctoritati obnoxium; Christus enim, hunc contractum ad dignitatem sacramenti elevando, eum sacrum reddidit et ab auctoritate civili subtraxit.

Imo non desunt auctores, ut *Gasparri*, *Billot*, qui matrimonium ab auctoritate civili abjudicant, eo solo quod ille contractus, etiam independenter a sua sacramentali condi-

[1] *Litt.* 9 febr. 1749 ad Card. Eboracensem.
[2] *Litt.* 27 jun. 1805 ad Napoleonem.
[3] *Brev.* ad Episc. Motulensem 16 Sept. 1788.

tione, est quid omnino sacrum. " Igitur, cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium " (*Leo XIII*, l. c.)

844. (B) *Posterius* probatur, videlicet potestas civilis potest leges statuere circa *effectus temporales ac separabiles matrimonii*, v. g., dotes, hæreditates ac generatim possessiones bonorum temporalium quæ e maritali contractu sequuntur. Nam ex una parte hæc non afficiunt substantiam contractus, sed sunt ipsi accessoria, et ex altera potestas civilis determinare potest circa res hujusmodi quidquid bonum publicum requirit; minime enim negari potest ea omnia quæ enumeravimus ad bonum societatis conferre posse.

845. Corollaria. 1° Princeps civilis circa vinculum nihil potest. Reprobanda igitur institutio *matrimonii civilis*, hæreticalis et periculorum plena.

2° Agnoscere debet matrimonia inita juxta leges Ecclesiæ. Nec dicatur in societatibus hodiernis, quæ sunt mixtæ religionis, potestatem civilem leges condere debere circa ipsam essentiam matrimonii, ut sic pro omnibus civibus uniformitas servetur. Nam, ad hanc uniformitatem servandam, sufficit ut Status *conditiones et effectus civiles*, ex contractu matrimoniali orientes, determinet, nec requiritur ut ipsum matrimoniale vinculum attingat. Imo ipsa conscientiæ libertas postulat, ut in societatibus mixtis nulla lex feratur de ipso vinculo matrimoniali : cum enim non eadem sint hac de re variarum spiritualium societatum statuta, ex quacumque civili lege circa vinculum fieret ut nonnulli cives tanquam invalidum tenerentur habere matrimonium quod secundum suam conscientiam validum est, vel vice versa. Unum igitur remanet, videlicet ut Status solummodo civiles contractus matrimonialis effectus respiciat.

3° Jus habet matrimonia *registrandi* et ideo exigere potest ut ei matrimonia notificentur.

4° Potest etiam conditiones præscribere iis qui matrimonium inire volunt, quæ non ex natura ipsius matrimonii petuntur sed ex extrinsecis adjunctis, ita ut nunquam impe-

dimenta etiam mere prohibentia constituere valeat (can 1038, § 2). Sic sæpe prohibentur milites ne uxorem ducant sine venia auctoritatis militaris.

5° Connubiis a se legitime vetitis potest denegare recognitionem nonnullorum effectuum civilium, v. g., recognitionem dotis, juris succedendi in privilegiis patris, ubi talia agnoscuntur privilegia, etc.

Disputatur tamen inter theologos utrum Status denegare possit filiis genitis ex matrimoniis in se validis, sed lege civili prohibitis, civilem legitimitatem et jus successionis in paternam hereditatem intestatam. Ratio dubitandi est quia hæc duo jura sunt partim a natura, partim a jure civili. Omnes tamen agnoscunt denegationem horum jurium insipientem et crudelem esse, cum sint aliæ pœnæ magis efficaces ad ea conjugia impedienda, nec expediat punire in filiis delicta parentum [1].

Corollarium de jure auctoritatis civilis in matrimonium infidelium.

846. Nonnulli theologi putant Statum non habere potestatem leges ferendi de matrimoniis infidelium, quia hæc, licet sint merus contractus, aliquid religiosi præ se ferunt, et aliunde valde timendum est ne Status, si ipsi concedatur hujusmodi potestas, justos limites transgrediatur atque familiæ religionisque sanctuarium invadat [2].

Communis tamen sententia tenet hanc potestatem principi sæculari competere, ita ut possit ad bonum commune impedimenta dirimentia statuere. (a) Hoc enim aperte declaratum est a *S. C. de Propaganda Fide* in Instructione quæ anno 1821 edita fuit [3]: "Licet inter infideles verum sit matrimonium, illud tamen ad naturæ et communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a jure naturali et civili plane est moderandum. *Sequitur hinc principes sæculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet appositis impedimentis, quæ juri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quoad civiles effectus, sed etiam quoad conjugale vinculum penitus rescindant*". Quod etiam confirmatum est a pluribus decisionibus *S. C. P. F.* et *S. Officii.*

---

[1] Cf. **de Angelis**, *op. cit.*, p. 43 sq.; **Palmieri**, th. 31.

[2] Ita **Perrone**, De Matrim., II, 439 sq.; **Feije**, *De Impedimentis*, n. 67.

[3] *Collectanea*, n. 1447, cum nota. Cfr. **Resemans**, *De competentia civili in vinculum conjugale infidelium*, Romæ, 1887; **Cavagnis**, l. c., n. 185; **Gasparri**, *op. cit.*, n. 287 sq.; **Wernz-Vidal**, n. 67-73.

(b) Ea enim omnia determinare possunt principes quæ ad commune bonum civilis societatis pertinent, dummodo res de qua agitur, utpote sacra, ab eorum auctoritate subtracta non fuerit. Atqui maxime interest societatem civilem ut certa existat norma auctoritate publica constituta, secundum quam matrimonia rite contrahantur; lege enim naturæ hoc satis non fuit determinatum in certis adjunctis. Aliunde matrimonium paganorum, licet in quibusdam regionibus aliquo ritu religioso accidentaliter consecretur, non est tamen sacramentum, neque a Christo auctoritati Ecclesiæ fuit subjectum, cum Ecclesia nullum jus sibi vindicet directum in hujusmodi matrimonia. Ergo potestas civilis hac de re leges ferre valet. Nec sane jus principum denegari potest, quia eo abuti possunt; secus enim, quot jura intacta manerent? Nec sapientiores esse debemus quam ipsæ Romanæ Congregationes.

Art. II. De præviis ad celebrationem matrimonii.

847. Hic agemus de iis quæ ad licitam et dignam receptionem sacramenti præmittuntur : 1° de *sponsalibus*, quæ aliquando, quamvis non necessario, nuptiis præmittuntur; 2° de *examine sponsorum*, quo pastor inquirit num sint ad matrimonium habiles; 3° de *bannorum proclamatione*, quæ regulariter matrimonium præcedere debet; 4° de *dispositionibus* ad dignam receptionem sacramenti necessariis.

§ I. De Sponsalibus et promissione matrimonii [1].

Divisio
- De natura sponsalium.
- De effectibus sponsalium.
- De dissolutione sponsalium.
- De agendi ratione pastorum circa sponsalia.

I. De natura sponsalium.

848. 1° **Notio.** (A) Ante promulgationem *Codicis* agnoscebatur tantum in jure ecclesiastico promissio *bilateralis*

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 43; **Sanchez**, lib. I; **Reiffenstuel**, lib. IV, tit. I; **Schmalzgrueber**, lib. IV, tit. I; **S. Alphons.**, n. 831-878; **Carrière**, n. 360-374; **De Angelis**, lib. IV, tit. I; **Santi**, lib. IV, tit. I; **Bangen**, tit. I; **Baller. P.**, n. 1-386; **Gasparri**, I, n. 1-120; **Lehmk.**, n. 838-860; **Genicot**, n. 440-447; **Noldin**, n. 503-527; **Wernz-Vidal**, n. 76-110; **Esmein**, *Le Mariage en Droit can.*, Paris, 1891, t. I, p. 139-187; **A. de Smet**, n. 1-39; **H. A. Ayrinhac**, *Marriage Legislation*, 1919, n. 20-27.

seu *sponsalitia.* Ex *Codice*[1] autem agnoscitur promissio sive *unilateralis* sive *bilateralis*, et utrique idem valor canonicus tribuitur, dummodo eædem formalitates in utroque casu impleantur.

Promissio matrimonii est *promissio interna, libera et exterius manifestata, qua una pars erga alteram vel utraque pars erga se invicem se obligant ex justitia ad matrimonium futurum inter se contrahendum.*

849. (B) Utilitas. Sponsalia matrimonio præmittuntur non necessario quidem, sed convenienter : (a) quo maturius ineatur contractus matrimonii, nempe cum mutua cognitione indolis et morum utriusque sponsi; et quo perfectius partes ad gratiam sacramenti recipiendam sese disponant; (b) tutius impedimenta detegantur, si quæ adsint; (c) facilius honestæ relationes inter sponsos foveantur, et ita arceantur vagi ac periculosi amores.

Sponsalium usus, qui apud Hebræos, Græcos Romanosque vigebat, antiquissimus est in Ecclesia, ut constat ex Concilio *Illiberitano* (305) qui pœnis canonicis plectit frangentes sponsalia[2].

850. 2° Conditiones necessariæ ad validitatem sponsalium.

Principium generale est eas conditiones requiri quæ ad validum contractum necessariæ sunt; videlicet promissio futuri matrimonii debet esse : **vera, libera, exterius manifestata, inter personas determinatas et de jure habiles.**

(A) **Vera,** id est cum intentione graviter sese obligandi ex justitia, proindeque cum ea advertentia et deliberatione quæ ad peccatum mortale requiritur.

Hinc si promissio fit sine sufficienti advertentia (quod raro hodie contingit, cum fiat in scriptis) aut sine interna intentione, consensum simulando, vel jocando, non valet, quia deficit verus consensus. Attamen ficte promittens reparare tenetur damnum alteri illatum.

851. (B) **Libera,** ideoque immunis tum a *gravi metu*, tum ab *errore substantiali*, i. e., circa personam, vel qualitatem personæ quæ posita fuit ut conditio sine qua non, ut

[1] Imo "matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est *pro utroque foro*, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus". *Codex*, c. 1017.

[2] *Illiberit.*, can. 54, ap. **Bruns**, t. II, p. 9.

supra, n. 719. Alii sunt errores qui, etsi sponsalia ab initio non irritent, postea jus discedendi conferunt (infra, n. 868). Ratio est quia, cum gravis obligatio per sponsalia inducatur, sine libero voluntatis assensu contrahi nequit. Quidquid igitur libertatem destruit relate ad matrimonium, eam tollit relate ad sponsalia.

852. (C) **Exterius manifestata,** et quidem, si de baptizatis agitur, ad normam *Codicis*, "*per scripturam*[1] *subsignatam a partibus, et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.* § 2. *Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, ad validitatem id in ipsa scriptura annotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus* in § 1, *scripturam subsignet*". (Can. 1017).

Hæc forma ita ad validitatem necessaria est ut, ea deficiente, statim, sine ulla judicis declaratione, sponsalia merito tamquam irrita in utroque foro[2] habeantur.

Forma requisita est: (a) *Scriptura a partibus subsignata;* sufficit autem quævis scriptura, etiam prius et seorsim exarata, a quolibet redacta, imo formula typis impressa, dummodo ibi clare exprimatur mutua nuptiarum promissio inter determinatas personas, sive absoluta sive conditionata. Ad valorem non requiritur ut designetur locus, sed certo necessaria est indicatio diei, mensis et anni, ex resp. C. Concilii 27 jul. 1908, vi cc. 6 et 23. — Scriptura vero debet a *partibus*, id est, ab ipsis contrahentibus subsignari, si scribere valent; si vero utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura annotetur, et alius testis, præter eos de quibus infra, addatur, qui scripturam subsignet.

(b) Scriptura insuper *subsignata* a *parocho* loci, aut a loci *Ordinario*[3], vel saltem a *duobus testibus.* — Jamvero competens est

---

[1] Hæc aut similis formula adhiberi potest:

Die 15ª Maii 1913, coram me, parocho ecclesiæ N... in diœcesi X, sese sisterunt A. C. Boileau, filius N. et N., et D. R. Lenoir, filia N. et N., qui declararunt se inire velle vera sponsalia inter se; videlicet A. C. Boileau promisit se in uxorem ducturum D. R. Lenoir; et hæc promisit se in virum accepturam A. C. Boileau.

Cujus promissionis testes fuere, præter infrascriptum pastorem: J. B. M. (cujus domicilium inscribitur) et F. R. S.

Ibi indicantur locus, dies, mensis et annus, posteaque parochus, sponsi et testes scriptum signant.

Aliam formulam *gallicam* invenies in *Ami du Clergé*, 1er mai 1913, p. 880.

[2] *Codex*, c. 1017, § 1.

[3] *S. Cong. Concil.*, 28 martii 1908.

parochus loci ubi fit actus, etiamsi non sit proprius sponsorum parochus, aut, ubi parœciæ non sunt canonice erectæ, sacerdos cui cura animarum commissa est. *Ordinarius* autem *loci* est quicumque jurisdictionem *ordinariam* aut *ordinariæ æquivalentem* in foro externo habens; ita S. Pontifex pro toto orbe, Episcopus in sua diœcesi, Abbas nullius vel Prælatus, Vicarius apostolicus, Præfectus apostolicus, Vicarius capitularis, sede vacante, legitimus administrator diœcesis aut Vicariatus apostolici, Vicarius generalis Episcopi; — non autem Cardinales in suis titulis, nec nuntii aut delegati apostolici, nisi hi speciales consecuti sint facultates (can. 198). — Ordinarius autem et parochus non possunt *valide* alium sacerdotem etiam vicarium delegatum ad universalitatem causarum matrimonialium [1], delegare ad sponsalia, ut constat ex responso V° *S. C. C.*, 28 mart. 1908. (c) *Testes* autem idonei esse possunt quicumque habiles sunt ad testificandum et subscribere valent. (d) Juxta *S. Cong. Conc. decisionem*, 27 jul. 1908, ad I, ad valida ineunda sponsalia, partes tenentur subsignare scripturam *unico contextu cum parocho seu Ordinario, aut cum duobus testibus :* ideoque testes *præsentes* esse debent *dum* partes subsignant, ut sint testes ipsius contractus, prout fieri solet in scriptis quibus inest vis publici documenti, nec sufficit ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quæ vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.

853. **Corollarium :** *de sponsalibus inter absentes.* Ex dictis sequitur sponsalia non posse inter absentes fieri *per epistolam*, seu per scripturam *diverso tempore* a partibus subsignatam, ut olim; et merito, ne via fraudibus aperiatur. Sed contrahi possunt per *procuratorem* specialiter designatum ad contrahendum sponsalia cum tali determinata persona : hic coram requisitis testibus scripturam simul cum altera parte subscribet.

854. (D) **Inter personas determinatas;** si quis igitur matrimonium promittit duabus vel tribus sororibus, dicens *spondeo me ducturum unam ex vobis*, sponsalia valida non sunt, quia persona non est sufficienter determinata.

855. (E) **Inter personas de jure habiles,** id est quæ tum valide tum licite matrimonium contrahere valeant. Nam valere nequit promissio de re quæ non est in potestate promittentis, vel ab eo sine peccato præstari nequit; v. g., nulla sunt sponsalia ab eo contracta qui jam valide promi-

[1] **Fourneret,** *Le Mariage chrétien* [3], p. 53.

serat aliam personam nubere, etiamsi secunda sponsalia juramento firmarentur.

(a) De ætate qua personæ habiles fiunt silet *Codex*. Sed, cum ad validitatem sponsalium requiratur *discretio mentis* ac *deliberatio*, si multo ante pubertatem[1] contrahantur, sæpe invalida erunt. — Et sane rarissime expedit ut in tenera ætate ineantur, aut etiam statim post adeptam pubertatem; decet enim ut longum non intercedat tempus inter sponsalia et matrimonium, cum secus nimiæ familiaritati indulgere sponsi exponantur.

(b) Insuper habiles non sunt qui impedimento dirimente vel prohibente ligantur, nisi dispensationem petierint; dubie autem habiles sunt ante obtentam dispensationem. (Vide infra, n° 857.)

856. 3° **De sponsalibus sub conditione initis.** Modo generali hic valent principia superius (n. 707 sq.) exposita de consensu conditionato. Quædam tamen speciales difficultates hic solvendæ sunt.

(A) *De sponsalibus conditionate contractis inter personas aliquo impedimento laborantes.* (a) Certo non valent sponsalia inita cum impedimento *indispensabili*, i. e., in quo non potest aut non solet superior dispensare, aut etiam quando deest in casu justa dispensandi causa : tunc enim conditio est impossibilis aut irrationabilis : porro ad impossibile nulla est obligatio.

(b) Certo valida sunt sponsalia inita cum intentione matrimonii contrahendi tempore quo impedimentum cessaverit, vel ex seipso, vel ex ipsa contrahentium voluntate, absque dispensatione; v. g., promitto te ducere statim ac castitatis votum, pro duobus annis emissum, expiraverit, — vel statim ac catholicam religionem amplexus fueris.

(c) Certum est valere sponsalia si, post obtentam dispensationem, consensus sponsalitius renovetur sive explicite, sive implicite, v. g., consentiendo bannorum publicationi : tunc enim fit inter personas de jure habiles.

857. (d) Si vero consensus datus sub hac conditione "*si superior dispensaverit*", post obtentam dispensationem renovatus non fuerit, controvertitur utrum sponsalia valida sint an non, eo instanti quo conceditur dispensatio. Probabilior videtur sententia affirmans, dummodo amborum consensus adhuc perseveret; nam hic agitur de conditione honesta et possibili; jamvero principium generale est contractus sub tali conditione initos validos esse sta-

[1] Pubertatem *juridice* attingunt masculi anno decimo quarto completo, feminæ anno duodecimo completo.

tim ac verificatur conditio, absque ulla consensus renovatione. Aliunde ex *sensu honoris* teneri debet promissio data.

858. (B) Si promissiones ineantur sub *conditione turpi*, v. g., copulæ habendæ, non sunt quidem valida ante commissum peccatum, cum nemo ad peccandum sese obligare possit; sed, habita copula, jam habetur obligatio contrahendi matrimonium, non ex promissione quidem, quæ certo invalida est utpote non in scriptis data (can. 1017, § 1), sed vi contractus innominati *facio ut facias :* mulier enim sui corporis copiam non fecit, nisi ea conditione ut matrimonium celebraretur. Si vero, propter varia adjuncta, nuptiæ moraliter impossibiles sunt, mulieri quædam compensatio debetur [1].

859. (C) Si sponsalia contrahantur *sub pœna*, id est ea conditione ut pecuniæ summa solvatur si matrimonium non initur, *controvertitur* utrum hæc conditio valida sit. — Jamvero omnes admittunt pœnam solvendam non esse ab eo qui *juste* resilit contractum : pœna enim supponit delictum. Si vero quis *injuste* resilit, quidam affirmant eum pecuniam solvere teneri; nam res ita se habet, quando traduntur *arrhæ;* porro inter arrhas et pecuniam solvendam nullum est substantiale discrimen; — multi tamen negant, quia stipulata pœna minuit libertatem matrimonii : quod bono publico nocet. Hæc ultima opinio *in praxi* tenenda est; nam, ante *Codicem*, communiter accipiebatur; Codex autem hac de re nil habet.

860. (D) Aliquando sponsalia ineuntur *sub arrhis;* arrhæ sunt veluti pignus quod sibi invicem tradunt sponsi ea lege ut, si matrimonium non sequatur, injuste resiliens amittat quod dedit et reddere teneatur quod accepit. Conditio hujusmodi satis justa videtur, et cautiores reddit juvenes in promittendo matrimonio; unde licita est et obligationem parit.

Ab arrhis aliquomodo differunt *munera* quæ sponsi sibi invicem tradunt, et præsertim sponsus sponsæ. Quando non magni valent, spectata contrahentium fortuna, absolute donata videntur, nec proinde restituenda si sponsalia solvuntur. Si vero sint magni pretii, ac intuitu futuri matrimonii data, regulariter reddenda sunt quando matrimonium non sequitur, quia sub conditione data sunt; probabiliter tamen servari possunt a parte fideli, si altera pars injuste resiliat, tanquam compensatio pro fide non servata.

---

[1] Lex civilis hac de re eadem non est omnibus regionibus; in quibusdam pars læsa jus habet ad matrimonium exigendum, ut in pluribus Americæ Statibus; in aliis solummodo ad compensationem, ut in Gallia, non quidem ex lege speciali, sed ex jurisprudentia.

II. De effectibus sponsalium.

Duo numerantur.

861. 1° *Obligatio nubendi tempore opportuno, nempe vel statuto* vel *rationabiliter præsumpto.* (**A**) *Promissio matrimonii sive unilateralis, sive bilateralis (sponsalia) certo valida obligat sub gravi, ad promissum matrimonium ineundum, nisi justa adsit dissolutionis causa.* Cum enim sit contractus, ex justitia aut saltem ex fidelitate (quando promissio est unilateralis) utramque partem obligat; et quidem *sub gravi*, imprimis si sit bilateralis, cum objectum contractus, nempe matrimonium, sit res gravis. — Hinc resiliens absque justa causa non solum peccat, sed etiam ex justitia tenetur resarcire damnum alteri illatum.

Dictum est *certo valida;* quia si dubia sunt dubio facti vel juris, obligatio non est urgenda, juxta omnes, cum obligationes imponi non debeant, nisi prius probentur.

Si una pars tamen injuste renueret matrimonium inire, "ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla justa causa ab eadem implenda excuset, non datur *actio* ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur", quæ actio est mixti fori [1].

862. (**B**) Quoad *tempus* quo hæc obligatio adimpleri debet, (**a**) si in ipso contractu præfixum fuerit, huic standum est, nisi justa intercedat dilationis causa; si vero determinatum non fuerit, promissio impleri debet pro more regionis, arbitrio sapientis viri, vel quando altera pars rationabiliter postulaverit [2].

(**b**) Quando sponsalia inita sunt sub conditione *honesta* et *possibili*, partes tenentur exspectare conditionis eventum; statim ac conditio impletur, transeunt in absoluta, dummodo neutra pars consensum revocaverit, excepto forsan casu quo conditio erat "*si superior dispensaverit*", ut supra dictum est, n. 857.

863. 2° *Obligatio non reddendi nuptias minus appetibiles*, præsertim vero commercium carnale cum tertia persona;

---

[1] *Codex*, c. 1017, § 3, juncta decisione *Commiss. Pontificiæ* (3 jun. 1918). Si movetur querela de sponsalibus observandis, actio reparationis damnorum suspendere non debet matrimonium cum tertia persona contrahendum *(ib.)*.

[2] "Curent Episcopi et parochi ne matrimonia *diutius quam ad annum* post inita sponsalia protrahantur". *S. C. Prop. Fid.*, 13 ap. 1807, ap. **Gasparri**, n. 68.

nam sponsalia dant jus *initiale* ad corpus alterius (jus ad rem, non in re), quod violatur per copulam cum alia persona.

Hinc *probabiliter* fornicatio in sponsis specialem malitiam induit, præsertim si committitur a sponsa, quæ multo deterior exinde redditur [1]. Attamen onus confitendi hujusmodi peccatum alteri sponso non est urgendum, nisi sponsa conceperit et alienam prolem in familiam futuri mariti introducat.

864. Usque ad Pentecosten 1918 promissiones *sponsalitiæ* inducebant duplex impedimentum : *prohibens* scilicet cum qualibet alia persona, et *dirimens* honestatis publicæ. Utrumque autem aboletum est [2].

III. De sponsalium dissolutione.

Sponsalia dissolvuntur non solum per mortem, sicut matrimonium, sed etiam per varias causas, inter quas recensentur : —

865. 1° **Mutuus sponsorum consensus;** nam in contractibus, qui a sola voluntate pendent, applicatur regula juris : *per quascumque causas res nascitur, per easdem etiam dissolvitur.* Quod verum est etiam de sponsalibus juramento firmatis; nam juramentum quod eis annectitur, sub hac tacita conditione emittitur : *nisi ab alia parte remittatur.* Consensus tamen liber esse debet, sicut ipse consensus sponsalitius, ideoque nec dolo, nec vi, neque metu extortus.

866. 2° **Violatio fidei sponsalitiæ** per subsequentem fornicationem, vel actum impudicum gravem quo vilior factus est alteruter sponsus in communi æstimatione, dat parti innocenti jus resiliendi contractum. Ratio est quia *frangenti fidem fides frangitur eidem.*

Hinc si sponsa cum alio viro fornicatur, sponsus non amplius ligatur, propter duplicem rationem, quia sponsa fregit fidem, et notabiliter vilior facta est. Idem dic, si hæc libere passa est se ab alio viro turpiter tangi, saltem frequenter. — Si sponsus fornicatur, sponsa libera est ad alia vota transire; si vero tactus impudicos cum tertia persona commiserit, raro tantum et occasionaliter, non solvuntur sponsalia, quia ex hoc in communi æstimatione non

[1] Cfr. **Lugo**, *de Pœnit.*, disp. XVI, n. 178; **S. Alphons.**, n. 847; **D'Annibale**, n. 512, not. 46.

[2] *Codex*, can. 1017, § 3.

multo vilior factus est; secus, si frequenter, ita ut merito timeri possit ne fidem conjugalem violaturus sit. — Si uterque fornicatur, juxta quosdam, remanet obligatio sponsalitia, quia mutua habetur delicti compensatio; juxta alios, sponsalia pro utraque parte solvuntur; tandem juxta paucos, sponsus liberatur ab obligatione, non autem sponsa, quia turpius est peccatum sponsæ quam sponsi, et vilior facta est ejus conditio. — Ad praxim igitur quod spectat, in his variis casibus, urgeri non potest obligatio sponsalitia. (v. n. 868).

Peccato carnali æquiparatur etiam spiritualis fornicatio, nempe apostasia et hæresis, quæ sufficiunt ad liberandum innocentem ab obligatione suscepta.

867. 3° **Vocatio ad statum perfectiorem** dat jus resiliendi contractum; **ingressus** autem **in religionem** sponsalia ipsa dissolvit. Nam sponsalia ineuntur sub tacita conditione "*nisi perfectiorem statum elegerim*". Excipitur tamen casus quo sponsus copulam habuerit cum sponsa sub formali nuptiarum promissione, vel ei damnum intulerit quod solo matrimonio reparari potest.

Statim ac una pars manifestavit propositum ingrediendi religionem, vel sacros ordines, vel seminarium ut ad sacros ordines se præparet, altera pars ad alia vota transire potest. Si prior mentem suam mutat et non ingreditur religionem aut ordines, *probabilius* ejus obligatio, quæ solum suspendebatur, jam reviviscit, dummodo posterior nova sponsalia non contraxerit [1]; *probabiliter* tamen hæc obligatio non urget, quia extincta est sincera intentione statum perfectiorem eligendi; unde si dolose hanc intentionem affectasset, ab obligatione non liberaretur. — Certo tamen liberatur qui, suscepto perfectiori statu, ab eo legitime dispensatus est [2].

868. 4° **Notabilis mutatio superveniens, vel antecedens, sed non cognita, dat jus resiliendi.**

(**A**) Principium generale est illa mutatione solvi sponsalia quæ, *si ab initio cognita, ea prohibuisset; aut quæ infaustum redderet conjugium.* Cujus ratio est quia sponsalia ineuntes contrahere censentur sub clausula : *rebus in eodem statu manentibus;* secus conjugium displicentiam pareret, et infelices sortiretur effectus [3].

---

[1] Ita **Salmant.**, cap. II, n. 21; **S. Alphons.**, n. 870; **Gasparri**, n. 92, etc.
[2] Ita **Bonacina**, quæst. I, punct. 5, n. 2; **Ball. P.**, n. 186 ed. 3.
[3] **S. Thom.**, Sentent. IV, dist. 27, q. 2, a. 3 ad 3.

(B) Hæc autem notabilis mutatio occurrere potest in bonis *corporis*, *fortunæ*, *animi*, aut in *externis circumstantiis*.

(a) *In bonis corporis*, v. g., si alterutri superveniat chronicus morbus permanens, ut siphilis, paralysis, cæcitas; vel gravis mutilatio sive deformitas (præsertim in sponsa); aut si sponsa, etiam nolens, copulam passa fuerit, quia exinde vilior facta est.

(b) *In bonis fortunæ :* si uterque pauperior factus est, ita ut matrimonii onera sustinere nequeat; si unus tantum multo pauperior evasit, sive quia bonorum partem amisit vel serio timetur exhæredatio, potest altera pars resilire. Si vero uterque ditior evenit, non solvuntur sponsalia. Si unus multo ditior insperate factus est, *per se* subsistit contractus; attamen si propterea aliæ nuptiæ multo opulentiores sese offerunt, probabile est partem ditiorem factam non teneri stare sponsalibus cum amissione magni lucri; proinde in praxi urgenda non est obligatio.

(c) *In bonis animi*, si alteruter propensus fiat ad ebrietatem, ludum, voluptatem, impietatem; vel crimen infamans commiserit, ut homicidium, grave furtum, etc.

(d) *In externis circumstantiis*, si inimicitiæ inter familias exortæ fuerint; vel parentes obstinate matrimonio obstent; aut animorum discordia inter partes existat; vel una pars in longinquam regionem transferat domicilium, inscia vel invita altera parte, quin spes habeatur illam brevi reversuram esse.

869. 5° **Impossibilitas matrimonium ineundi** *solvit sponsalia ipso facto*, quando scilicet supervenit impedimentum sive dirimens, sive impediens : ad impossibile enim nemo tenetur.

(a) Matrimonium cum tertia persona valide, quamvis illicite contractum, certo liberat ab omni obligatione partem innocentem. Sed controvertitur utrum quoad aliam partem solvantur vel solum suspendantur sponsalia. *S. Alphonsus* (n. 875) ut probabilius tenet sponsalia solum suspendi; qui enim contrahit matrimonium non fit absolute inhabilis ad promissum implendum, sed solum pro tempore; unde, mortuo conjuge, obligatio reviviscit, si pars innocens adhuc sit libera. Non pauci tamen probabiliter censent obligationem omnino extingui, cum matrimonium initum sit *ex se* permanens impedimentum ne prima promissio adimpleatur. — Unde in praxi confessarius non potest viduum cogere ad standum promissis, nec aliam partem prohibere quin coram judice ecclesiastico aut etiam civili jus prosequatur reparationem obtinendi.

(b) Quando impedimentum supervenit absque alterutrius culpa, sponsalia pro utraque parte solvuntur, nisi sponsus comparti dam-

num intulisset quod reparari non potest nisi per matrimonium : tunc enim dispensationem ab impedimento petere teneretur. — Si impedimentum culpabile sit ex utraque parte, solvuntur sponsalia, et neuter tenetur dispensationem postulare vel acceptare. — Si vero impedimentum ex culpa unius tantum oriatur, pars innocens liberatur quidem ab obligatione, non autem altera, ne commodum ex sua iniquitate reportet; unde hæc ad dispensationem petendam tenetur, si alia juri suo insistat.

870. **Corollarium.** *De obligatione manifestandi defectus qui matrimonio obstare possunt.* (a) Defectus qui *matrimonium invalidum* redderent, *manifestari debent alteri parti*, nisi tales sint ut ante nuptias corrigi possint; secus injuria fieret tum sacramento, tum comparti. Ita est si quis laborat impedimento dirimente indispensabili, aut defectu cujus absentiam altera pars exigit tanquam *conditionem sine qua non*, v. g., si sponsus expresse dixit : *tecum contraho, si tu es virgo, aut primogenita Petri.*

(b) Pariter manifestari debet *defectus occultus*, si talis sit ut *matrimonium reddat noxium vel probrosum;* v. g., morbus contagiosus incurabilis; prægnantia sponsæ; diffamatio, quæ licet nunc occulta, brevi publica evadet. Idem dic valde probabiliter, si prudenter timeatur ne, detecto defectu, graves inimicitiæ ac perpetua jurgia oriantur, v. g., si sponsa *paulo ante* cum alio copulam habuerit, quamvis non sit gravida. Ratio est quia contra justitiam peccat qui voluntaria deceptione grave damnum alteri infert.

(c) Si vero defectus non reddat nuptias noxias, sed tantum *minus appetibiles* (v. g., si sponsa falso existimatur dives, nobilis) necesse non est eum manifestare, quia nemo tenetur seipsum infamare et spe nubendi privare, quando silentio grave damnum alii non infert.

871. 6° **Dispensatio a S. Pontifice concessa** *sponsalia solvit.* Si sponsalia valida sunt, nec per ullam e causis supradictis dissoluta, R. Pontifex dispensare potest ab obligatione matrimonii contrahendi ex justa causa, nempe si, omnibus sedulo perpensis, *majora bona ex dispensatione quam ex adimpletione promissi expectantur.* Quod facere potest tanquam divini juris interpres, quatenus bonum publicum postulat ut non urgeatur obligatio, quæ infelices exitus sortiretur; id tamen facere non solet, nisi post monita et minas ut obligatio sponsalitia adimpleatur, et gravi urgente causa, v. g., quando matrimonium civile cum tertia persona contractum est et prima sponsa juri suo renuntiare non vult.

Ordinarius autem hac facultate non gaudet, sed solum *judicare* potest utrum sponsalia sint valida vel non, num adsit justa causa ea dissolvendi an non.

IV. De agendi ratione confessariorum circa sponsalia.

872. 1° **Quoad sponsalium dissolutionem.** (**A**) Si causa dissolutionis sit *certa* et *evidens*, declarabit confessarius partem læsam posse nova sponsalia vel matrimonium inire cum tertia persona, sine recursu ad ecclesiasticum judicem.

873. (**B**) Si vero aliquod sit *dubium* et ex alterutra parte fiat reclamatio, distinguendum est :

(**a**) Si utraque pars admittit sponsalia fuisse nulla, vel saltem soluta, quamvis contradicant parentes, sponsi ab omni obligatione liberi sunt, quia in re hujusmodi eis magis quam parentibus credendum est.

(**b**) Si utraque pars fatetur sponsalia valida fuisse, nec esse soluta, sed una pars promissis stare non vult, hæc hortanda est, sed non urgenda, ut nuptias ineat. Si vero, post exhortationem, reluctetur, studeatur ut altera pars juri suo renuntiet, oblata quadam compensatione. Tandem si lis amice componi nequeat, ad S. Sedem recurratur pro obligationis relaxatione.

874. 2° **Quoad sponsorum visitationes** [1]. Pastores et confessarii curare debent ne visitationes sponsorum et adamantium fiant proxima occasio peccati. Hujusmodi visitationes *non sunt per se illicitæ;* nam nemo tenetur ducere personam ignotam, sed potest ac generatim debet per aliquod tempus experiri qua indole, quibus moribus ac dotibus prædita sit : secus, matrimonio semel inito, dissensiones, rixæ et divortia oriri possent. Cum vero frequentes illæ visitationes ac conversationes facile sint occasio pec-

[1] **Sanchez**, lib. IX, disp. 46; **S. Alphons.**, n. 452, et *Praxis*, n. 65; **Konings**, n. 1454; **Aertnys**, l. VI, n. 340-344; **Ciolli**, I. n. 95; **Berardi**, *De occasionariis*, n. 244-261; **S. Fr. de Sales**, *Introduction*, IIIe Partie, ch. 17-22; **Wood-Allen**, *What a Young Woman ought to know*, Philadelphia, 1898, p. 247-257.

catorum, sive internorum sive externorum, ob innatam hominis fragilitatem, quædam cautiones pænitentibus sunt suggerendæ.

(a) Hujusmodi visitationes, præsertim frequentes, non licent nisi iis qui *possunt* et *volunt* matrimonium inire intra *rationabile tempus*, nempe intra annum; cum enim intuitu matrimonii fiant, et periculo non careant, permitti nequeunt nisi adsit fundata spes brevi nuptias celebrandi.

Hinc generatim non licent, quando fiunt inter personas omnino dispares, cum non sit spes matrimonii; aut inter eas quæ nonnisi post longum tempus nubere valent; vel quando jam ab initio juvenis puellam ad peccatum sollicitat, quia libidine potiusquam spe honesti matrimonii impelli videtur.

(b) Visitationes *nimis frequentes* aut *nimis protractæ* non sint; præsertim ne *solus cum sola* per *longum tempus* maneant, in locis *a conspectu aliorum remotis*, tempore nocturno : talis enim agendi ratio, ut experientia constat, sæpe libidinem excitat, nimias familiaritates inducit, pravos carnis motus stimulat, necnon turpes cogitationes ac desideria. — Hinc, si quandoque solus cum sola versantur, non plura exhibeantur benevolentiæ signa quam præstari solent coram parentibus.

Quapropter parentes ipsi moneantur ne sponsos per longum tempus relinquant; ac merito hac de re ait *Ballerini*[1] : "Cum parentibus itaque et præsertim cum matribus severissime agendum est, gravisque obligatio urgenda hujus vigilis custodiæ et cautelæ; ad quam impellere debet non modo conscientia, sed etiam timor ne filiæ semel corruptæ in paterna domo dehonestatæ consenescant".

(c) Amplexus et oscula habita in signum benevolentiæ, modo honesto, juxta patriæ morem, ad conciliandum fovendumque mutuum amorem in ordine ad matrimonium, sunt per se licita; finis enim est honestus, et aliunde hæc sunt honesta amoris signa. Sed oscula data ad voluptatem quærendam manent illicita, et ideo pressa sæpiusque repetita periculo non carent; tactus vero impudici non magis licent sponsis quam solutis. De hoc igitur caute moneantur juniores, puellæ præsertim, quæ propter innatum modestiæ sensum, facilius ab his familiaritatibus abhorrent, ut sedulo arceant quidquid decentiæ limites prætergreditur; eo magis quia brevi a sponsis despiciuntur, si nimis faciles hac in re se præbeant.

(d) Quo efficacius hæc pericula amoveantur, sponsi suaviter inducantur ad frequentem sacramentorum receptionem : gratia enim sacramentali et confessarii monitis roborati, facilius periculum pec-

[1] **Gury-Ballerini**, n. 413, not. circa finem.

candi effugient; et si, propter humanam fragilitatem peccaverint, statim surgent, et, mediis utendo quæ sapiens confessarius suggeret, pejora vitabunt delicta.

§ II. De examine sponsorum [1].

Antequam matrimonium celebretur, banna nuptialia proclamari debent, et bannis ipsis præire debet *examen sponsorum*, quo parochus cognoscere valeat utrum aliquid validæ aut licitæ matrimonii celebrationi obstet.

875. 1° **Obligatio** hujus investigationis constat : (**a**) ex ipso *Rituali* [2], ubi declaratur parochum inquirere debere "qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt; an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum; utrum sponte, libere et secundum honestatem sacramenti velint contrahere, etc."; (**b**) auctoritate *Bened. XIV*, qui in Constitutione *Nimiam licentiam*, n. 10, hæc habet : "Onus pariter proprio parocho injunctum est, ut antequam denuntiationes de ineundo matrimonio publice in ecclesia ... fiant, ipse tum sponsum, tum sponsam seorsim, caute, et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat an ex voluntate, sponte ac libenter, et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur"; (**c**) ex can. 1020, § 1 : "Parochus cui jus est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquod obstet"; (**d**) *ex ipso officio pastoris*, cujus est curare ut sacramentum Matrimonii non solum valide, sed etiam licite ac digne administretur; atqui id præstare non potest nisi ipsos sponsos interroget : notitia enim quæ ex aliis obtinetur sæpe insufficiens est, præsertim quando agitur de occultis impedimentis, vel subjectivis partium dispositionibus.

876. 2° **Objectum** hujus investigationis triplex est : de *impedimentis* quæ eorum matrimonio obstare possunt et de consensu libere præstando; de *baptismo* et de *statu libero;*

---

[1] **Benedict. XIV**, Constit. *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743; **Bangen**, tit. II, p. 1-26; **Scavini**, III, n. 937-938; **Gasparri**. n. 126-148; **Id.**, *Des Procès d'état libre*, in *Canoniste*, 1890, pp. 62; 155; 296 sq.; **Lesêtre**, *La Confession des futurs mariés*, in *Revue du Clergé français*, t. XXX, mars 1902, p. 5-22; **Fourneret**, *Le Mariage chrétien* [3], p. 64-88.

[2] De Sacram. Matrimonii, n. 1.

de *doctrina christiana*, qua instrui debent. Ita ex c. 1020, § 2 : " Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, præsertim mulier, præstent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem hæc ultima interrogatio inutilis appareat ". Cui canoni addendi sunt cc. 1021, 1029, 1032 infra allegati.

877. (**A**) *De impedimentis.* Debet pastor prudenter investigare utrum inter contrahentes canonicum impedimentum, prohibens aut dirimens, intercedat necne.

Quare sponsum et sponsam *seorsim* et *caute* interrogabit : (**a**) an ex voluntate, *sponte* ac *libere* cum *vero animi consensu* in matrimonium jungi velint; quæ investigatio de libero consensu præsertim erga mulierem opportune fiet; (**b**) num conscii sint alicujus impedimenti consanguinitatis, affinitatis, etc.; (**c**) num parentum consensum debito modo exquisierint; (**d**) utrum iis, quæ a lege civili requiruntur, satisfecerint vel satisfacere parati sint [1]. — Modus hanc interrogationem instituendi prudentiæ pastoris remittitur et diversus esse debet pro diversa conditione et indole personarum.

Jus sponsos interrogandi ad *parochum* spectat cui jus est assistendi matrimonio.

Si ex hac investigatione aliquod impedimentum *publicum* detegitur, ad publicationes procedi nequit nisi post obtentam dispensationem [2]. — Si vero impedimentum est *occultum*, parochus non suspendet publicationes, ne forte ex hoc publicum evadat, sed statim dispensationem petet a competenti auctoritate [3].

(**B**) Insuper, ex can. 1021 : " Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus *exigat baptismi testimonium* ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus ".

Inquirat etiam meliori quo fieri potest modo de *statu libero* sponsorum, præsertim *extraneorum*, a quibus exigentur litteræ a parocho domicilii aut quasi-domicilii signatæ, et *vagorum*, pro quibus ad Ordinarium recurretur : ut ita detegi possit impedimentum ligaminis [4].

---

[1] Cf. *Codex*, can. 1019, 1020, 1029, 1030, 1034.

[2] *Codex*, c. 1031, § 2, n. 2. — [3] *Codex*, c. 1031, § 2, n. 1.

[4] *Codex*, can. 1029, 1032. — Juxta instructionem *S. C. de Sacram.*, 4 jul. 1921, *A. A. S.*, XIII, 348, testimonium baptismi et status liberi per curiam episcopalem peti et transmitti debet.

878. (C) *De doctrina christiana.* Siquidem, juxta *Rituale* (l. c.), pastor inquirere debet utrum "uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant". Hinc *S. Officium* decrevit [1], an. 1697, "non esse a parochis matrimonium in ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos". Quod pariter sancivit *Benedictus XIV*, l. c.

Addit tamen *Codex* quod interrogatio de doctrina christiana omitti potest si, ob qualitatem personarum, inutilis appareat. Et *Commissio Pontificia* ad Codicem interpretandum (die 2 jun. 1918): "Si sponsus et sponsa inveniantur ignari, sedulo edoceantur de primis saltem doctrinæ christianæ elementis; quod si renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam can. 1066".

Parochus igitur curabit ut sponsi sufficienter sciant: (a) *veritates necessarias necessitate medii ac præcepti*, videlicet Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi et Ecclesiæ, orationem dominicam et salutationem angelicam, actus fidei, spei, caritatis et contritionis, et ea quæ sacramenta respiciunt; hæc enim cognoscere tenentur tum ad propriam salutem consequendam, tum ad filios hac de re instruendos.

Si vero inveniantur qui hebetis sint ingenii et exilis memoriæ, ita ut hæc omnia retinere non valeant, sufficit ut præcipua fidei mysteria sciant et credant; alia autem, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, imperfecto modo percipiant, dummodo parati sint concionibus frequenter assistere, ne hujusmodi veritates ab eorum mente penitus elabantur [2].

(b) *Officia propria status*, videlicet matrimonialis vinculi indissolubilitatem, mutua conjugum officia, eorumdem erga filios procreandos officia, necessitatem christiane prolem educandi, etc. [3]. Quam occasionem arripere potest pastor ad sponsos monendos de quibusdam vitiis vitandis, de periculis quæ in secretis societatibus inveniuntur, de malis ex ebrietate vel cauponarum frequentatione sequi solitis, etc. — Id tamen *prudenter* fieri debet, pro diversa conditione nupturientium; quod præsertim verum est de mutuis officiis conjugum; nihil siquidem dicendum est quod scandalum præbere possit, attentis non solum cujuslibet regionis moribus, sed

[1] Ap. **Bened. XIV**, *De Syn. diœces.*, lib. VIII, cap. 14, n. 3. — Hinc merito ait *C. Baltimorense III*, n. 125: "Fidelium matrimoniis præmitti etiam deberet opportunum examen, quo contrahentes de religione examinentur et instruantur".

[2] Ita **Bened. XIV**, l. c., n. 6. — [3] *Codex*, can. 1033.

etiam ætate ac auctoritate pastoris. Unde si sponsa inquirit quid liceat conjugatis, respondere satis erit ea omnia licere quæ ad generationem prolis requiruntur; et si plura desiderat, ad matrem vel aliam personam virtutis probatæ remittatur, addendo tamen dubia, quæ circa liceitatem quorumdam actuum oriuntur, exponenda esse confessario [1].

Cæteroquin omnes moneantur ut *prævia confessione* ad matrimonium sese præparent, nec eam differant ad ipsam diem nuptiarum; ita enim occulta impedimenta, si quæ sint, tempore opportuno detegi possunt, et uberiores fructus ex sacramento percipiuntur.

§ III. De Bannis, seu proclamationibus Matrimonii [2].

Divisio
- De notione et obligatione bannorum.
- De circumstantiis publicationis.
- De dispensatione a lege bannorum.
- De revelatione impedimentorum ex bannis oriente.

I. De notione et obligatione bannorum.

879. 1° **Notio.** Banna matrimonialia (a germana voce *bann*, publica promulgatio) sunt publicæ notificationes, quæ futuro matrimonio præmittuntur, eo præsertim fine ut impedimenta, si quæ sint, detegantur.

Antiquitus jam usus vigebat pastorem ante nuptias adendi, ut hic inquirere posset utrum aliquod esset impedimentum necne. Ita *Carolus Magnus*, an. 802, jussit ne nuptiæ celebrarentur, antequam presbyteri, cum senioribus populi, consanguinitatem conjungentium diligenter exquirerent. Pariter multis in locis sponsalia publice contrahebantur, ut omnibus notum fieret futurum matrimonium : quod bannis æquivalebat.

---

[1] Aliquando consuli potest lectio quorumdam librorum, in quibus caste describuntur conjugum officia; v. g., **Monsabré**, *Conf. sur le Mariage*, anglice redditum cura *Hopper*, New-York, 1890; **F.-A. Vuillermet**, *La Vocation au Mariage*, 1913; **Ch. Grimaud**, *Futurs époux*, *Futures épouses*, 1923; **Hoppenot**, *Catéchisme du Mariage*, Paris; **Girardey**, *Popular Instructions on Marriage*, New-York, 1896; **Taylor**, *A Sure way to a Happy Marriage*, from the German of *Sickinger;* **P. Coulet**, *La fécondité du foyer*, Paris, 1927.

[2] **Reiffenst.**, lib. IV, t. III, n. 3-51; **Schmalzgr.**, l. IV, t. III, n. 1-88; **Salmant.**, cap. VIII, n. 71-107; **S. Alphons.**, n. 989-1007; **Carrière**, I, n. 375-442; **Ball. P.**, n. 572-599; **Konings**, n. 1533-1540; **Lehmkuhl**, n. 673-677; **Genicot**, n. 448-453; **Noldin**, n. 145-149; **Gasparri**, n. 149-194; **Deshayes**, *Questions pratiques sur le Mariage*, q. 56-90; **H. Ayrinhac**, 42-63; **Fourneret**, p. 95-116.

Modus autem matrimonium publice in ecclesiis denuntiandi initium sumpsit in Gallia [1], deinde in Anglia; postea ad totam Ecclesiam extensus est decreto *S. Lateranensis V* (1216), quod confirmavit et ampliavit *Tridentinum*. Juxta *Lateranense* Concilium, sufficit ut *semel* publicationes fiant; *tres* autem requiruntur juxta *Tridentinum*.

880. 2° *Obligatio bannorum.* (**A**) *Principium :* **Lex proclamationis bannorum regulariter sub gravi obligat tum parochum tum nupturientes.** Nam agitur de lege gravis momenti, ut constat : (**a**) *ex ipso fine legis*, qui est multiplex : quo facilius impedimenta detegantur, si quæ sint, ac matrimonia clandestina vitentur; — ut filii insciis parentibus non-nubant; — ut preces amicorum pro sponsis offerantur.

(**b**) Ex *Codice* (c. 1022-1030), qui, etsi pœnas antea latas contra legis violatores non renovat, ita rem exponit ut ex contextu clare constet obligationem banna proclamandi esse gravem.

881. (**B**) **Declaratur principium.** Quæ lex *sub gravi* obligat etiamsi parochus aliunde sciat nupturientes nullo detineri impedimento; quia lex fertur ad præcavendum periculum generale (can. 21), ideoque non cessat in particulari casu, ubi de facto tale periculum abest; magna enim incommoda generatim sequerentur, si legis applicatio arbitrio parochorum permitteretur.

Certo mortale est tres omittere publicationes, absque dispensatione; unam tantum omittere esset probabilius peccatum veniale tantum; imo quidam putant omissionem duarum non excedere veniale, dummodo periculum latentis impedimenti amoveatur, per plures dies expectando antequam nuptiæ permittantur, ut ita fideles tempus habeant denuntiandi impedimenta, si quæ sint. Probabilius tamen docet *S. Alphonsus* (n. 990) omissionem duarum esse mortale peccatum.

Dictum est *regulariter* banna promulganda esse, quia dantur quædam exceptiones : —

(**a**) *Si matrimonium differri nequit* sine magno incommodo, nec aliunde dispensatio a bannis obtineri valet, v. g., si moribundus

[1] Ita *Odo de Subiaco*, Ep. Parisiensis, initio sæc. XIII, præcepit matrimonia publicari in ecclesia, ut omnes fideles denuntiare possent curiæ episcopali impedimenta quæ noverint.

vult concubinam ducere : quo casu, sufficit affirmatio jurata contrahentium (can. 1019, § 2); (b) in *matrimoniis principum*, ex universali consuetudine, quia adeo noti sunt, ut impedimentum, si quod sit, facile detegi possit; (c) in *matrimoniis mixtis* inter catholicos et hæreticos, vel inter fideles et infideles regulariter non fiunt denuntiationes, ne sic approbari videantur hujusmodi matrimonia, "nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum dixerit, dummodo apostolica dispensatio præcesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicæ" [1]; (d) in matrimoniis *conscientiæ* de quibus infra, n. 931.

II. De circumstantiis bannorum.

882. Modus quo banna publicari debent his verbis a *Codice* [2] describitur : "Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio", id est ab omnibus propriis parochis, si plures sint, utriusque sponsi. "Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de præcepto in ecclesia inter Missarum solemnia, aut inter alia divina officia ad quæ populus frequens accedat". Quatuor ibi declarantur : 1° *persona* publicans; 2° *locus* ubi banna publicari debent; 3° *tempus;* 4° *forma* publicationis.

883. 1° **De persona publicante.** Banna publicari debent a *proprio contrahentium parocho*, qui potest id præstare sive per se, sive per alium sacerdotem aut clericum; non autem per laicum, nisi in casu necessitatis, v. g., quando, absente parocho, solus sacerdos qui præsens sit ad sacrum celebrandum, nullomodo intelligere aut loqui potest linguam parochianorum (quod aliquando accidit in *Statibus Fœderatis Americæ*, propter multiplicitatem idiomatum quæ in variis ecclesiis usurpantur). Jamvero parochus proprius est

[1] *Codex*, c. 1026. — Ita respondit *S. Officium*, 4 jul. 1874, "posse fieri proclamationes in matrimoniis de quibus agitur, quatenus apostolica dispensatione contrahantur, suppressa tamen religione contrahentium". Addit tamen *S. Congregatio* magis expedire a bannis dispensare, si aliunde libertas status contrahentium certior facta est, ad evitandum admirationis vel scandali periculum. (*Collect. P. F.*, n. 1223; *Gasparri*, n. 621.) — Juxta *Statuta diœcesis Baltimorensis*, n. 55, fieri non debent proclamationes nisi quando, ob leges civiles, omitti nequeunt; quo casu post missam faciendæ erunt. Jamvero lex civilis eas requirit quando nupturientes pecuniam solvere nolunt ad *licentiam* (*license*) obtinendam.

[2] Can. 1023, § 1, 1024.

parochus domicilii vel quasi-domicilii; pro vagis autem, qui domicilio carent, et pro illis qui non habent nisi diœcesanum domicilium vel quasi-domicilium, parochus loci ubi [1] commorantur.

884. 2° **De loco.** Locus ubi banna promulgari debent est *ecclesia parochialis, vel alia locum tenens ecclesiæ parochialis*, ut est capella vicarialis seu annexa, cui territorium assignatur; non autem sacellum, sive publicum sive privatum nisi tamen hoc in particulari casu locum teneat ecclesiæ, ibique adsit magnus populi concursus : tunc enim finis legis obtinetur. — Propter eamdem rationem, si occasione concionis, processionis vel piæ peregrinationis populus congregaretur in loco ab ecclesia parochiali distincto, ibi fieri possent denuntiationes, accedente Episcopi licentia (c. 1024).

885. Hic autem quæritur utrum in *pluribus paræciis* banna publicari debeant.

(**A**) *Regulæ generales.* (**a**) Si *uterque* sponsus in *eadem* parochia, et in ea tantum, *domicilium* vel *quasi-domicilium* habet, ibi tantum publicationes fieri debent.

(**b**) Si vero sponsi in *diversa* parochia domicilium aut quasi-domicilium habent, in *utraque* banna promulgari debent.

(**c**) Si unus aut uterque sponsus *plura domicilia* habet, vel domicilium in una parochia et quasi-domicilium in altera, in his *omnibus* paræciis denuntiationes fieri debent, nisi tamen Episcopus dispenset.

(**d**) " Si pars alio in loco (i. e., in parochia) per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu conjecturas super status libertate colligendas præscribat. Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio removeatur " [2].

(**e**) Si contrahentes, post incœptas proclamationes, prius domicilium relinquunt, novumque acquirunt (quod accidere potest præsertim quoad famulos), fini legis magis consentaneum videtur incœptas denuntiationes non interrumpere in

[1] *Codex*, c. 94. — [2] *Codex*, c. 1023. Cf. *Com. Int.*, 2-3 jun. 1918.

priori loco ubi sponsi noti sunt; nec erunt faciendæ in novo domicilio, ubi minime cognoscuntur. Attamen parochus novi domicilii jus habet nuptiis assistendi, ut infra dicitur.

886. (B) *Regulæ speciales.* Ex *Codice* : (a) *minorum*[1] banna proclamari debent tum in loco quasi-domicilii, si quod habent, tum in loco ubi parentes vel tutores degunt[2]; prudentia vero postulat ut non denuntientur absque parentum vel tutorum consensu[3]; præsertim ubi lex civilis hunc consensum requirit.

(b) *Militum* banna promulganda sunt in præsidiis seu locis ubi degunt; et insuper in domicilio parentum vel tutorum, si minores sunt.

(c) *Vagorum* matrimonia celebrari nequeunt nisi parochus Episcopi licentiam obtinuerit, ac diligenter de eorum statu libero inquisierit[4]; quod tamen non est intelligendum de iis qui in eadem civitate vagantur. Episcopus potest etiam statuere quo loco denuntiationes fieri debeant : generatim fiunt in parœcia ubi vagi contrahunt; sed aliquando etiam in loco originis, vel ubi diutius commorati sunt, præsertim si dubitatur de eorum statu libero.

N. B. Si dubia oriuntur de his omnibus, adeatur Episcopus, qui, cum a bannis dispensare valeat, a fortiori statuere potest ubi proclamationes fieri debeant.

887. 3° **De tempore.** Banna publicari debent (a) *tribus diebus dominicis aliisque festis de præcepto;* non autem diebus festis *suppressis*, nisi ex consuetudine, ubi viget, aut de licentia Ordinarii, quæ dari potest, si his diebus magnus adsit populi concursus[5].

(b) Tribus diebus festis *continuis*, i. e., nullo die festivo intermisso; quod tamen sub gravi non obligat, cum necessarium non sit ad finem legis obtinendum, et ab omni culpa vacat, si rationabilis causa accedat. Si vero duo dies festivi immediate sibi succedant (v. g., dies Natalis Domini sabbato occurrens et dominica), melius est denuntiationes interrumpere, quo diutius de impedimentis fideles cogitare possint. Nec tamen vituperari potest parochus qui tribus successivis diebus banna promulgat.

---

[1] Ex *Codice* minores sunt tum masculi tum feminæ ante annum vigesimum primum completum. (Can. 88, § 1).

[2] *Codex*, c. 93, § 1, § 2. — [3] *Codex*, c. 1034. — [4] *Codex*, c. 1032.

[5] Quæ regula inferri potest ex variis decisionibus *S. C. Concilii.*

(c) *Intra missarum solemnia*, id est intra missam parochialem vel conventualem, aut inter alia divina officia ad quæ populus frequenter accedat [1], v. g., in vesperis, aut in alio solemni religionis actu, si adsit magnus populi concursus.

Proclamationibus factis, statim ad matrimonii celebrationem non procedatur; sed tribus diebus expectandum est "nisi rationabilis causa aliud postulet" [2], ut fidelibus detur tempus revelandi impedimenta, si quæ existant.

Si matrimonium non celebratur intra sex menses post denuntiationes factas, juxta *Codicem* [3], hæ iterandæ sunt, nisi aliter Episcopo videatur. Qua de re legere oportet *Statuta* diœcesana, quæ varia sunt pro variis regionibus.

888. 4° De Bannorum forma. Nulla specialis forma a *Tridentino* præscripta fuit; ea igitur servetur quæ in *Rituali* [4] vel in *Statutis diœcesanis* invenitur. Exprimi debent *vulgari sermone* nomen et cognomen sponsorum, necnon parentum, patria et locus domicilii. Si de viduis agatur, exprimantur nomen, dies et annus obitus prioris conjugis; si prævium matrimonium nullum declaratum fuerit, vel S. Sedis auctoritate solutum, id pariter notum fieri debet; idem dicendum, si alicujus impedimenti publice noti dispensatio obtenta fuerit. Tandem moneantur fideles de gravi obligatione parocho manifestandi impedimenta, si quæ norint [5]; si dispensatio ab aliqua publicatione concessa fuit, id manifestetur, ne forte fideles, aliam exspectantes, impedimentum tempore opportuno non revelent.

Sedulo autem prætermittantur circumstantiæ quæ contrahentes infamare possunt; v. g., si unus est illegitimus, parentes non nominentur; si quæ concubina erat, quamvis

---

[1] Ita ex *Codice*, c. 1024. — [2] *Codex*, c. 1030. — [3] *Codex*, c. 1030, § 2.

[4] "Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter missarum solemnia parochus populum admoneat in hanc sententiam *vulgari sermone:* Notum sit omnibus hic præsentibus quod N. vir, et N. mulier, ex tali vel tali familia, et parochia Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus *primo*, si fuerit prima; vel *secundo*, si fuerit secunda; vel *tertio*, si fuerit tertia denuntiatio". Communiter brevior forma in *Statutis* reperitur. — [5] *Codex*, c. 1027.

ut uxor communiter haberetur, designetur sub nomine quo solet appellari.

Alta et intelligibili voce promulgatio fiat; secus finis legis minime obtinetur.

N. B. "Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiæ parœcialis aliusve ecclesiæ, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de præcepto comprehendantur". (*Codex*, c. 1025.)

III. De Bannorum dispensatione.

889. 1° *Principium :* **Non solum S. Pontifex, sed etiam Ordinarius loci potestatem habet a bannis dispensandi justa de causa.** Id enim aperte declarat *Tridentinum* (l. c.) : "Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ et judicio S. Synodus relinquit". Explicitius *Codex :* "Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti judicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena diœcesi faciendis dispensare. Si plures sint Ordinarii proprii, ille jus habet dispensandi, in cujus diœcesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur diœceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest" [1].

Jamvero nomine *Ordinarii* locorum veniunt Episcopus, Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis vel Administrator pro sua diœcesi; Abbas et Prælatus nullius pro suo territorio; Vicarii et Præfecti Apostolici iique qui prædictis deficientibus interim ex juris præscripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine [2]. Parochi autem hac potestate non gaudent, nisi ad id expresse delegati fuerint [3]; ideoque si Episcopus dispensationem denegat, non possunt ejus decisioni contraire. Attamen, "in periculo mortis, si aliæ probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria

[1] *Codex*, c. 1028. — [2] *Codex*, c. 198.

[3] In multis diœcesibus *Statuum Americæ Fœderatorum*, v. g., in *Baltimorensi* (Statut. n. 55) pastores dispensare possunt ab una proclamatione, justa de causa, excepto casu vagorum; a duabus, ubi missa non celebratur singulis dominicis; ab omnibus, in illis comitatibus in quibus nulla est ecclesia.

adsint indicia, affirmatio jurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento"[1].

890. 2° Ad dispensationem concedendam, requiritur *legitima causa*, pro prudenti arbitrio Ordinarii, ut constat ex can. 1028 jam allegato, — major si ab omnibus, levior autem, si dispensatur solum ab una vel duabus. Juxta *S. Alphonsum* (n. 1005), aliæ sunt causæ propter quas Ordinarius *tenetur*, aliæ autem propter quas dispensare *potest*.

(A) *Dispensare tenetur* quoties id necessarium est ad vitandum *grave* damnum, commune vel privatum, spirituale aut temporale; videlicet (a) si adsit fundatus timor ne matrimonium malitiose impediatur, v. g., a tutore vel noverca alias nuptias contemplantibus; (b) si timeatur ne una pars resiliat, præsertim in casu deflorationis vel sponsalium; (c) si una pars statim in longinquam regionem profectura sit, nec matrimonium differri possit; (d) si ex proclamationibus infamia oriretur, vel aliud damnum animæ aut corpori, v. g., si nupturientes jam habeantur a communitate ut veri conjuges, aut si infamia immineat ▪ parte sponsæ defloratæ.

(B) *Dispensare potest* : (a) si nupturientes ludibrio hominum exponerentur, quia v. g., sunt valde senes, aut valde dispares in conditione; (b) si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum; quapropter sæpe magnatibus conceditur dispensatio, quia, cum noti sint, facilius deteguntur impedimenta.

Dispensatio ab una vel a duabus publicationibus facilius conceditur. Si una tantum fiat, parochus monere debet hanc esse ultimam publicationem.

IV. De obligatione revelandi impedimenta.

891. 1° *Principium* : **Quicumque certo sciens aliquod esse impedimentum dirimens aut prohibens inter nupturientes, sub gravi illud revelare parocho vel Ordinario loci tenetur, nisi legitima causa excuset.** Certum est.

Hæc obligatio oritur : (a) *ex ipso præcepto caritatis*, quo debemus grave proximi malum impedire, in quantum fieri potest; nam ex *illicito* matrimonio grave nascitur malum, scilicet sacramenti profanatio; ex *invalido* autem graviora procedunt mala, nempe concubinatus, illegitimitas filiorum, etc.;

[1] *Codex*, c. 1019, § 2.

(b) *ex virtute religionis*, quæ præcipit ut præcaveamus irreverentiam erga sacramentum; (c) *ex lege positiva Ecclesiæ*, quæ, dum jubet denuntiari matrimonia, implicite fidelibus præcipit impedimenta ipsis cognita manifestare; quod aliunde explicite injungitur in forma denuntiationis qualis ap. *Rituale* (l. c.) invenitur [1], et in *Codice*, c. 1027 : "Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare".

892. 2° Declaratur principium. Dicitur (A) *quicumque*, sive sit ex parochia, sive aliunde, cujuscumque sit sexus vel ætatis. Hinc ad id tenentur ipsi contrahentes : si vero agitur de impedimento *occulto*, a quo dispensatio obtineri possit, nulla est obligatio illud manifestandi in foro externo; sufficit ut confessario declaretur, ut dispensationem petat.

(B) *Certo sciens;* si enim adsit mera suspicio orta ex incerto rumore vel e testimonio quod fidem non mereatur, non est obligatio rem manifestandi. Non requiritur tamen ut sit probatio juridica, sed sufficit bene fundata persuasio.

(C) *Nisi legitima causa excuset*, nempe : (a) *grave damnum* aut periculum gravis damni sive *revelantis*, sive *tertiæ* personæ; nam lex non obligat cum tanto incommodo.

Hinc denuntiare non tenentur qui prudenter timent ne ex revelatione impedimenti grave dedecus vel corporalia damna sibi aut suis immineant, aut grave causetur scandalum, vel infamia tertiæ personæ; excusatus autem a denuntiatione debet, si potest, matrimonium impedire ne sine dispensatione contrahatur. — Sed non excusat damnum temporale vel dedecus, *ipsis sponsis* proveniens ex revelatione impedimenti, quia minus est damno spirituali quod secus incurrerent. Aliunde, ut eorum famæ parcatur, ipsi sponsi prius moneri debent *privatim;* si vero monitum spernant, sibimetipsis diffamationem imputare debent.

(b) *Inutilitas denuntiationis*, quando videlicet nullus fructus ex ea speratur, vel quando notum est jam petitam fuisse dispensationem. Quidam dicunt etiam excusari eum qui impedimentum novit tantum ex auditu, et non recordatur a quo audierit; sed consultius est in hoc casu impedi-

[1] Præterea in nonnullis diœcesibus pœnæ contra non denuntiantes statuuntur, v. g., in *Baltimorensi* excommunicatio ferendæ sententiæ. (*Statuta*, n. 57).

mentum revelare, cum hæc manifestatio possit aliis indiciis corroborari aut occasionem præbere seriæ investigationi.

(c) *Secretum sacramentale*, aut illud quod alicui *committitur ratione officii publici*, v. g., parocho, medico, obstetrici, advocato, etc.; nam publicum bonum, quod privato præfertur, postulat ut tale secretum omnino servetur.

Si vero hi aliunde noverint impedimentum, — non exercitio muneris sui, — id revelare tenentur, nisi ita agendo in suspicionem venirent violandi secretum commissum. Præterea hi omnes *privatim* monere debent ipsos nupturientes de existentia impedimenti, eosque hortari ad illud manifestandum; imo parochus potest, absque violatione sigilli, et generatim debet *secreto* dispensationem petere.

Confessarius autem, qui ex confessione pænitentis *publicum* detegit impedimentum, eum urgere debet ut idem parocho manifestet, aut sibi veniam concedat dispensationem petendi; si vero *occultum* sit impedimentum, cum licentia pænitentis, ipse secreto dispensationem postulet.

Secretum vero *naturale*, promissum vel commissum, (non tamen ex officio, ut supra) non dispensat ab obligatione denuntiandi; nam ex servato secreto sequeretur damnum tertii innocentis, quatenus injuria infertur uni e sponsis, et etiam damnum juris publici, quatenus injuria infertur sacramento; jamvero secretum naturale non obligat cum tanto incommodo.

(D) Ceterum denuntiatio fieri debet *tempore opportuno*, id est, ante matrimonium; imo expedit ut fiat quamprimum moraliter post primam bannorum promulgationem, ut statim vel nuptiæ prohibeantur vel dispensatio obtineatur.

893. 3° De ratione agendi pastoris in recipiendis revelationibus. Parochus, denuntiationem recipiens, (A) *testimonii valorem expendere debet :* (a) inquirendo qualis sit denuntiator, qua auctoritate gaudeat, utrum invidia moveatur vel solum veritatis amore; (b) quales probationes afferat, utrum plenas an semi-plenas; (c) alios testes, si fieri potest, interrogando; ipsos nupturientes eorumque parentes adeundo, ut videat utrum impedimenti conscii sint necne.

(B) Quibus absolutis : (a) " Si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat " (Can. 1031, § 3).

(b) In casu impedimenti *certi* et *indispensabilis*, sponsos monere debet de impossibilitate nuptias celebrandi; in casu impédimenti certi et *dispensabilis*, " si impedimentum sit *occultum*, publicationes peraget vel absolvat, et rem referat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad *Sacram Pœnitentiariam;* si sit *publicum* et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius non procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiæ tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficit, et rem ad Ordinarium deferat ". (*Codex*, c. 1031, § 2).

(c) Si adest *dubium* de existentia alicujus impedimenti, parochus rem accurate investiget, interrogando sub juramento duos saltem testes fide dignos dummodo ne agatur de impedimento ex cujus notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes; publicationes tamen peragat vel perficiat. Si dubium supersit, matrimonio ne assistat inconsulto Ordinario [1].

(C) Si solus parochus vel Ordinarius noverit impedimentum, quin possit illud probare, controvertitur num possit et debeat matrimonio obsistere; communior ac tutior opinio affirmat, nisi possit dispensatio obtineri; hic enim agitur non de pœna infligenda, sed de gravissimis malis avertendis.

§ IV. De dispositionibus subjecti ad licitam sacramenti receptionem.

894. Prænotamus nullum *valide* sacramentum matrimonii recipere posse, nisi sit *baptizatus*, cum, ex *tr. de Sacram.* baptismus sit janua sacramentorum (*Codex*, can. 1021, § 1). Insuper, si nupturientes non sint confirmati, sacramentum confirmationis recipiant, si id possint sine gravi incommodo [2]; imo, ex usu vel lege particulari, in quibusdam diœcesibus, ad licitam Matrimonii receptionem sponsi probare debent se non solum baptizatos, sed etiam confirmatos fuisse.

Quibus breviter expositis, dicendum manet de dispositionibus nupturientium.

Præter *scientiam competentem*, de qua jam egimus, n. 878, quatuor præsertim sunt : 1° *recta intentio;* 2° *prudentia in conjuge seligendo;* 3° parentibus *rationabilis submissio;* 4° *status gratiæ.*

[1] *Codex*, c. 1031, § 1. — [2] *Codex*, c. 1021, § 2.

895. 1° Recta intentio. Sponsi eam intentionem in contrahendo sibi proponere debent quam Deus ipse habuit matrimonium instituendo.

Jamvero finis primarius est *procreatio et educatio prolis;* fines autem secundarii sunt *vitæ communis solatium et adjutorium*, necnon *concupiscentiæ moderatio*, ut supra ostendimus, n. 675-679 : possunt igitur sponsi hos fines intendere, etiam principaliter, dummodo finis primarius non excludatur. Præterea alii sunt fines *extrinseci*, quales sunt concordia inter familias concilianda, honor familiæ servandus, divitiarum acquisitio, etc., quos appetere licet dummodo sint honesti in se, et non excludatur finis primarius : si vero finis non sit honestus, ut inordinata voluptas aut immoderata divitiarum cupiditas, adest peccatum plus minusve grave secundum deordinationis gravitatem.

896. 2° Prudentia in conjuge seligendo. Cum matrimonium sit indissolubile, error hac in re commissus vix reparari potest, et sæpe efficitur perennis causa jurgiorum, domesticæ infelicitatis, viamque parat adulteriis ac divortio. Quapropter : —

(**A**) Ad caute procedendum, (**a**) nupturiens frequenter ac ferventer *orabit*, ut a Deo fidissimum conjugem impetret : "Domus et divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens"[1]. (**b**) Indolem, qualitates ac defectus illius cui nubere intendit, sedulo expendet; nam, si dotes ac vitia rerum comparandarum attente inspiciuntur, quanto magis dotes ac vitia sponsi perpendi debent, cum felicitas temporalis et aliquo modo æterna sæpe ab hoc delectu pendeat; uxor enim est perpetuum solatium aut perenne tormentum; suasione et exemplo virum ad virtutis religionisque praxim ducere potest, vel e contra ad peccatum aut infidelitatem : "Mulieris bonæ beatus vir; numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit[2]... Omnis plaga tristitia cordis est, et omnis malitia nequitia mulieris[3]... Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam"[4]... Jamvero vitia et virtutes detegere non est opus unius diei, sed diuturnam et attentam exigit considerationem. (**c**) Præterea, cum difficile sit junioribus, præsertim amore captis, rectum formare judicium de qualitatibus alterius sponsi, consilia exquirant parentum et amicorum, qui non tam facile circa dotes vel defectus compartis decipiuntur.

---

[1] *Prov.*, XIX, 14.
[2] *Eccli.*, XXVI, 1-2. — [3] *Eccli.*, XXV, 17. — [4] *Eccli.*, XXV, 23.

897. (B) In conjuge seligendo, (a) non attendantur exclusive aut præcipue exteriores qualitates, pulchritudo, vanus ornatus, divitiæ, dignitates aut aliquid hujusmodi; sed potius *intellectuales, morales ac religiosæ dotes*, quæ ad mutuam sponsorum felicitatem plus conferre valent quam vana pulchritudo aliaque fugacia dona. — Nec tamen prætermittenda est corporis sanitas, cum ad vitam conjugalem requiratur mens sana in corpore sano; hinc potius a matrimonio arcendi sunt qui patris aut matris munere et officio fungi nequeunt, saltem usquedum satis robusti efficiantur.

(b) Attendendum est etiam ad *stirpem*, seu progeniem et familiam consortis : soboles enim haud raro vitia aut qualitates parentum hereditate consequuntur, in ordine non solum physico, sed etiam morali.

(c) Quædam *æqualitas* aut saltem *proportio* inter sponsos desideratur : ratione *ætatis*[1] : vir potest esse muliere senior (quinque vel decem circiter annis), sed non vice versa, cum mulier ocius senescat quam vir. Non decet autem ut junior puella senem ducat : cito enim eum exosum habebit, et forsan adulterinos fovebit amores. — Ratione *educationis*, quatenus quædam paritas necessaria est ad verum mentis consortium. — Ratione *conditionis;* si enim vir nobilis plebeiam accipit, cito tum ipse, tum præsertim ejus familia eam ut rusticam despiciet; si pauper diviti nubit, ipse brevi contemnetur tum ab uxore, tum ab ejus familia. — Ratione *indolis*, non quidem eo sensu quod ambo iisdem virtutibus aut defectibus præditi esse debent, sed quatenus unus alterum complere ac perficere debet; v. g., si unus sit ad iracundiam pronus, expedit ut alter sit mitis, ne forte perpetuo rixentur.

(d) Tandem ambo *mutua dilectione* conjungi debent, non quidem vesano ac libidinoso amore sed honesto et supernaturali, quo quisque non tam propriam voluptatem quam alterius felicitatem quærat. Hinc matrimonia, propter divitias vel honores inita, absque mutuo amore, vel cum amore voluptuario, solis exterioribus dotibus fundato, plerumque infelices sortiuntur exitus.

898. 3° De rationabili submissione parentibus[2]. (A) Certum est consensum parentum non requiri ad validi-

[1] De ætate qua juvenes nubere deceat nihil absolutum dici potest; generatim inter vigesimum et trigesimum annum matrimonium inire expedit, nec diutius differre convenit nisi propter speciales rationes. Cfr. **H. Joly**, *La Crise du Mariage* in *Le Correspondant*, 10 jan. 1902, p. 108-138; **Turgeon**, *Le Féminisme*, t. II, p. 67-80.

[2] **Sanchez**, lib. IV, c. 23; **S. Alphons.**, n. 849-850; **Gasparri**, n. 485-488; **Genicot**, n. 514-516; **Vantroys**, *Etude historique et juridique sur le consentement des parents au mariage de leurs enfants*, Paris, 1899; **A. de Smet**, II, 518-519.

tatem sacramenti Matrimonii; id enim declaravit *Tridentinum*, contra Protestantes, anathemate plectens eos qui "falso affirmant matrimonium a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse" [1]. Etenim filiifamilias, etiam minores, dummodo sint puberes et rationis usu gaudeant, potestatem habent in proprium corpus in ordine ad matrimonium, ideoque valide possunt, etiam invitis parentibus, hanc potestatem aliis tradere per matrimonium.

(B) Quæstio est igitur de *liceitate* matrimonium contrahendi, inconsultis aut invitis parentibus, necnon de mutuis officiis ac juribus parentum ac filiorum hac de re. Jamvero hæc habet *Codex*, c. 1034 : "Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario".

899. (C) Ad mentem hujus canonis, sequentes tradimus regulas :

(a) *Per se graviter peccant filii minores qui sponsalia vel matrimonium contrahunt omnino inconsultis parentibus.*

Talis enim agendi ratio opponitur *reverentiæ* parentibus debitæ, cum importet quemdam contemptum in re gravi; necnon *prudentiæ*, quæ postulat ut genitorum consilium quæratur in re quæ, propter contractam affinitatem, ad temporale bonum, pacem, felicitatem ac honorem totius familiæ confert.

Dicitur *per se*, quia *per accidens* hæc omissio vel omni, vel saltem mortali culpa vacat, secundum varias circumstantias :

1) Nulla est culpa, si gravis ac justa sit causa, v. g., si filius longe absit, nec facile possit parentum consilium exquirere, aut si prudenter timeatur ne isti *injuste* nuptias impediant; quo tamen casu ab illusionibus cavendum est.

2) Nulla pariter culpa est si contrahantur *sponsalia* sub conditione quod parentes consentiant, vel cum intentione ac spe, opportuniori tempore, eorum consensum in nuptias obtinendi.

3) Levis tantum erit culpa si *prudenter* existimatur parentes *parum de hoc curare*, quia parum solliciti sunt de iis quæ ad filios

[1] Sess. XXIV, de Reformat. Matr., cap. I.

spectant, dummodo propria tranquillitas non disturbetur. — Unde in praxi attendendum est ad *locorum consuetudines*, et relationes inter parentes ac filios existentes.

Quare "parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quodsi abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci ordinario." (c. 1034).

900. (b) *Per se filii non tenentur stricte loquendo parentibus obedire in ordine ad matrimonium.* Nam in omnibus quæ *ad electionem status* pertinent, jam a parentibus non pendent, sed sunt *vere sui juris;* dummodo igitur reverenter consilium parentum exquisierint, non tenentur, jussu parentum, matrimonialem statum amplecti potius quam cælibem vel religiosam vitam, nec hanc potius quam illam personam ducere; parentes possunt quidem in hoc suasione uti, non autem præcepto [1].

Per accidens tamen præcipere possent parentes ut filius vel filia matrimonium iniret, si hoc esset unicum medium ad gravem eorum inopiam sublevandam; vel vetare ne filia nuberet juveni perdito moribus aut impio; nam in his et similibus casibus, jam filii id præstare tenentur, cum parentes nil faciant nisi præcepti naturalis adimpletionem urgere.

901. (c) *Parentes per se graviter peccant quando absolute consensum negant filiis congruum matrimonium inire cupientibus.* Sic enim eos gravi mœrore injuste afficiunt, eorumque felicitati obsistunt; discordiarum semina spargunt, et filios periculo turpiter peccandi exponunt.

Dicitur *per se;* quia, si ex matrimonio contrahendo gravissima provideantur scandala vel odia, quia, v. g., nimia est sponsorum disparitas, vel unio in damnum honestæ familiæ vergit, justam habent dissentiendi causam. Non sufficit tamen, ad consensum negandum, ut unus e sponsis mediocris sit conditionis, cum hæc aliis dotibus compensari possit.

Neque *per se* a culpa excusantur parentes propter legem civilem, quæ in nonnullis regionibus facultatem ipsis tribuit negandi consensum [2]; nam lex humana privilegia conferre nequit divinæ legi

---

[1] Cfr. *S. Thom.*, 2, 2., q. 104, a. 5; Supplem., q. 47, a. 6.

[2] In *Gallia* filius et filia, donec compleverint annum 21, consensu parentum indigent: si hi dissentiant, sufficit patris consensus; si unus e parentibus mortuus est, vel incapax consensum dandi, consensus alterius sufficit; mortuis patre et matre, avi et aviæ eorum juribus hac de re succedunt; si ambæ lineæ dissentiant, ille dissensus consensui æquivalet. Cfr. *Cod. civ.*, art. 148-160, lois du 21 Juin 1907 et du 28 Avril 1922. (**Dalloz**, *Mariage*, 9 sq.).

In plerisque *Statibus Amer. Fœderatis*, minores valide quidem contrahunt, dummodo sint puberes, sed illicite, nisi accedat parentum consensus scriptis vel

contraria. Attamen quidam, ob legem civilem, in bona fide versantur, et in ea relinqui possunt, si prudenter timeatur ne monenti sacerdoti resistant.

902. 4° **Status gratiæ.** Nam matrimonium est sacramentum vivorum, ita ut ad illud accedens scienter et volenter in statu peccati mortalis, sacrilegii reus evadat. Non præcipitur quidem lege divina aut ecclesiastica generali ut nupturientes confiteantur ante matrimonium; stricte loquendo sufficit ut, si gravis peccati rei sunt, actum contritionis perfectæ eliciant. Sed *Tridentinum* [1] " conjuges hortatur ut, antequam contrahant, (vel saltem triduo ante matrimonii consummationem), sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum pie accedant ". Imo, cum novum vitæ statum ingressuri sint, *decet* eos generalem confessionem instituere, quo uberiores gratias accipiant, et vitam conjugalem ferventius incipiant [2].

In quibusdam diœcesibus præscribitur *confessio* ante nuptias, proindeque nuptialis benedictio *regulariter* concedi nequit nisi exhibita confessionis schedula. Dicitur *regulariter;* stricte enim exigenda non est, quando serio timetur grave incommodum, v. g., ne sponsi, qui jam civile contraxerunt matrimonium, in concubinatu vivant. Aliunde *Statuta diœcesana* confessionem per modum *impedimenti* præcipere non possunt [3]... " Ne omittat parochus, secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem Sacramenti Matrimonii, mutuas conjugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant " [4]. — De peccatoribus publicis cfr. n. 903.

---

ore datus; et in nonnullis Statibus variis pœnis mulctantur non solum delinquentes, sed etiam ministri coram quibus nuptiæ ineuntur. Cfr. *Bishop*, op. cit., § 551-559. — Hic operæ pretium est notare cum *Kenrick* (n. 44) filiosfamilias, quorum matrimonio parentes injuste consentire nolunt, licite posse leges civiles evadere in alium Statum se conferendo; sed eis non licere falso juramento vel falsis testibus declarare se majoritatis annos attigisse.

[1] Sess. XXIV, de Reformat. Matrim., cap. I. — Verba intra parenthesim non amplius obligant.

[2] Ex can. 900, " cum sponsi peragunt confessionem, matrimonii ineundi causa, quævis reservatio omni vi caret ".

[3] **Card. Gasparri,** *De Matrimonio*, n. 230. — [4] *Codex*, c. 1033.

903. Corollarium. Ex hoc inferre licet quid agendum sit cum *indignis* et *censura innodatis*, qui nubere volunt.

(**a**) Sponsus vel sponsa matrimonium iniens cum consorte quem certo novit in statu peccati mortalis, multo probabilius non peccat, dummodo nuptiæ relinqui non possint absque gravi incommodo, quod vix unquam deerit; est siquidem minister sacramenti, sed *non vi cujusdam consecrationis*, et ejus cooperatio ad peccatum alterius est materialis tantum; aliunde supponitur esse ratio sufficiens; ergo cooperatio in casu licita est.

(**b**) Quoad *assistentiam parochi :* 1) Parochus potest, ac rogatus generatim debet, matrimonio assistere eorum qui *occulte* rei sunt peccati vel censura innodati : hic enim non est minister sacramenti, sed solum testis *authorizabilis*, proindeque ejus cooperatio non est tam immediata; aliunde sacramenta denegari nequeunt occultis peccatoribus publice petentibus. 2) "Si *publicus* peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus ejus matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium"[1]. 3) Quoad matrimonium partis catholicæ cum parte quæ notorie fidem abjecit quin falsæ religioni sese adscripserit, aut Societatibus ab Ecclesia damnatis adscripta est, ab eo absterreatur pars catholica, et, si persistat, recurratur ad Ordinarium[2].

Art. III. De celebratione matrimonii.

904. Omnibus ad matrimonium sedulo paratis, ad ipsam celebrationem accedere licet. Duo autem requiruntur ad hanc celebrationem : 1° *forma solemnis*, et quidem ad *validitatem;* 2° *ritus liturgici* ad *liceitatem* tantum.

§ I. De forma solemni celebrationis.

905. Notio. Ex lege Tridentina, nempe decreto *Tametsi*, ut matrimonium sit validum, quædam solemnitas requiritur quæ consistit in *præsentia parochi et duorum saltem testium.* Unde *solemne* dicitur matrimonium quod ad formam juris contrahitur; e contra-

[1] *Codex*, c. 1066. — [2] *Codex*, c. 1065 (citat. infra, n. 958, N. B.).

rio, *clandestinum*, quod præter formam juris. Cum autem forma Tridentina fuerit notabiliter immutata decreto *Ne temere*[1] et *Codice*, loquemur : 1° de forma *Tridentina;* 2° de forma *novi juris.*

I. De forma Tridentina.

906. *Tridentinum* hanc statuerat legem : "Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit : et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat".

Ne tamen illud decretum (quod *Tametsi* vocatur, quia hoc verbo incipit) afficeret hæreticos, Concilium voluit ut decretum vim legis non haberet nisi post *triginta dies* a prima publicatione in *unaquaque parœcia*, ut lex non vigeret in parœciis ubi omitteretur decreti publicatio.

De illa disciplina jam antiquata, pauca tantum trademus, scitu tamen necessaria ad judicandum de validitate matrimoniorum ante diem 19 april. 1908 initorum.

907. 1° De locis in quibus hoc decretum vigebat.

(A) Ex dictis, decretum non vigebat *nisi ubi promulgatum fuerat*, saltem *implicite* per immemorialem observantiam.

Unde *valida* erant matrimonia inita absque forma Tridentina : in *Anglia*, *Scotia*, *Helvetiæ* pluribus pagis, *Dania*, *Suecia*, *Norvegia*, regionibus Europæ et Asiæ sub ditione *Turcica* et *Persica*, Vicariatu *Sutchuensi*, *Abyssinia*, insula *Madagascar*. — Res dubia manebat pro *Valachia* fere tota, *Bulgaria*, *Syria*, insula *Cypro*, *Malabaria*, Promontorio *Bonæ Spei*, et *Canada superiore*,

(B) Ex constanti Rom. Congregationum interpretatione, lex præfata ligabat etiam *acatholicos baptizatos*, ubicumque promulgata fuerat. Attamen excipienda erant loca pro quibus data est vel ad quæ extensa fuit *Benedictina declaratio*[2]. Quæ declaratio primum pro Hollandia data, postea extensa est ad loca quæ sequuntur :

Fœderati Ordines Belgii, universum *Imperium Germaniæ* a die 15ª aprilis 1906, *Constantinop.* ejusque suburbia, *Pondicherium*, *Coromandel*, *Malabaria*, *Bombay*, *Canada*, *Insula SS. Trinitatis*, diœceses *Statuum Amer. Fœderat.*, excepta provincia *Sanctæ Fidei.*

(C) Insuper *valida* erant matrimonia *mixta* non solum in præfa-

[1] Quod vigere incœpit die 19ª Aprilis 1908 pro toto orbe terrarum, excepto Sinarum imperio in quo viget a die 11ª Aprilis 1909. — Unde matrimonia inita ante hoc tempus æstimari debent juxta disciplinam decreti *Tametsi.*

[2] Constit. *Matrimonia*, 4 nov. 1741.

tis regionibus, sed etiam ubi derogatum est decreto Tridentino relate ad matrimonia *mixta;* hæ sunt : *Hungaria*, *Hibernia*, *Russiacum Imperium* et pars *Poloniæ* eidem subjecta, *Georgia.*

908. 2° **De subjecto legis Tridentinæ.** Principium : *Lex clandestinitatis erat simul localis et personalis.*

(A) Quatenus *localis*, directe afficiebat *territorium* in quo promulgata erat, et indirecte omnes qui ibi versabantur, vel per territorium iter faciebant, etiamsi ibidem nullum domicilium aut quasi-domicilium haberent.

(B) Quatenus *personalis*, directe ligabat subjectos, ita ut non possent valide contrahere in territorio *exempto* (ubi lex non vigebat), si hoc territorium adirent *in fraudem legis*, i. e., eo fine ut nuberent, sine intentione ibi acquirendi domicilium aut quasi-domicilium.

(C) Quando vero nupturientes in *diversis locis* habitabant, *valebat* matrimonium celebratum, absque forma *Tridentina*, in loco ubi non vigebat *Tametsi*, si *unus sponsorum* ibi suum haberet domicilium vel quasi-domicilium; nam privilegium unius alteri communicabatur.

909. 3° **De solemnitatibus requisitis per legem Tridentinam.** — Duo requirebantur : 1° præsentia *proprii parochi*, vel *Ordinarii*, aut *delegati;* 2° præsentia *testium.*

1° **De præsentia parochi.** (A) Duplex erat proprius parochus : parochus *domicilii* vel *quasi-domicilii* alterutrius contrahentium, i. e., sive sponsi sive sponsæ; unde parochus unius erat parochus utriusque relate ad matrimonium.

(a) Ad *domicilium* duo simul requirebantur : *habitatio* in parochia ubi matrimonium contrahebatur, et *animus* ibi *perpetuo* manendi per notabilem anni partem. Domicilium *acquirebatur* statim ac *incipiebat habitatio* cum *intentione manendi exterius manifestata;* nec amittebatur per longam absentiam, dummodo esset *animus revertendi.*

(b) Ad *quasi-domicilium* duo pariter requirebantur : *habitatio* in parochia, et *animus* ibi manendi per majorem anni partem aut saltem per sex menses. Hinc haberi poterat domicilium in una parochia, et quasi-domicilium in altera.

(c) *Vagi*, qui neque domicilium neque quasi-domicilium habebant, valide ac licite contrahere poterant coram parocho loci ubi actu degebant; imo probabiliter, juxta quosdam, coram quolibet parocho.

910. (B) *Quinam sub nomine parochi veniebant relate ad matrimonium?* Omnes qui in parœcia curam animarum habebant, cum generali licentia sacramenta ministrandi, quamvis non essent parochi in sensu stricto, videlicet :

(a) Non solum parochi inamovibiles, sed etiam amovibiles (b) rectores, seu administratores parochiæ vacantis; (c) pro-parochi, vicecurati, v. g., vicarii parochi absentis, vel parochi præsentis, sed infirmi aut senectute confecti, aut parochi suspensi, etc.; aut vicarii cooperatores plena auctoritate gaudentes omnia sacramenta ministrandi; non autem illi vicarii qui deputantur ut parochum adjuvent in iis quæ hic eisdem committet.

(d) Non solum parochus proprius, sed etiam *Ordinarius* diœcesis valide matrimoniis assistebat, i. e., Episcopus; Vicarius Generalis; vel Vicarius Capitularis, sede vacante; Rom. Pontifex pro tota Ecclesia; Legatus Apostolicus pro suo territorio.

911. (C) *De delegatione ad matrimonium.* Non solum parochus, sed *delegatus* a parocho vel Ordinario valide poterat matrimonio assistere.

Delegatus poterat alium sacerdotem subdelegare, si hæc potestas ipsi expresse commissa fuisset, vel si delegatus fuisset ad universalitatem causarum matrimonialium, vel a S. Pontifice etiam pro casu particulari.

912. (D) *Qualis præsentia parochi vel delegati requirebatur?* Requirebatur et sufficiebat ad validitatem *præsentia moralis*, quam exigit officium testis *authorizabilis*.

Unde si parochus rite antea admonitus fuerat, nulla specialis interpellatio necessaria erat, sed sufficiebat ut contrahentes audiret. Nec requirebatur ut expresse ad matrimonio assistendum vocatus fuisset; sive fortuito præsens, sive sub alio prætextu vocatus, sufficiebat ut intelligeret quæ agebantur.

Non tamen sufficiebat præsentia *mere physica*, cum parochus animadvertere deberet ut testis ea quæ peragebantur.

Parochus et testes simul matrimonio adsistere debebant.

913. II° **De testibus.** Cum *Tridentinum* nullas speciales requirat qualitates in testibus, eæ sufficiebant quas jus naturale postulat. Proinde habiles erant ii omnes qui, usu rationis gaudentes, factum cognoscere et de eodem fidem facere possunt.

II. De forma novi juris.

914. 1° **Extensio legis.** (A) Decretum *Ne temere* et *Codex* jam promulgata sunt pro toto orbe terrarum. Non attingunt autem, saltem *directe*, *Orientales*, qui, ex immemorabili consuetudine et probante can. 1, non subjacent legibus disciplinaribus nisi *expressa* declaratione comprehendantur.

915. (B) In Ecclesia autem *latina* quinam huic legi subdantur, declarat can. 1099, nempe :

(a) Omnes in *catholica ecclesia baptizati*, quando *inter se* contrahunt, etiamsi postea a fide defecerint ; — id est, omnes qui ipso baptismo Ecclesiæ catholicæ *libere* adscribuntur, si de adultis agitur ; *consentientibus parentibus*, si de parvulis ; non autem qui ab hæretico vel schismatico ministro ex *voluntate parentum* baptizantur, etiamsi parentes essent catholici ; bene vero filii acatholicorum qui, *insciis parentibus*, ab ancilla catholica baptizarentur [1]. — *Dubie* autem baptizati matrimonium valide contraxisse præsumuntur. (Can. 1014, 1070, § 2.)

(b) Omnes etiam *ex hæresi aut schismate conversi* et jam *baptizati ;* non autem filii conversorum, nisi et ipsi fidem catholicam amplectantur. — Quod valet, etiamsi postea a fide defecerint, quia non decet ut ista defectio eis prosit.

(c) Omnes pariter præfati catholici aut conversi, quando *cum acatholicis contrahunt*, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtæ religionis vel disparitatis cultus. Item *Orientales* qui cum latinis hac forma adstrictis contrahunt. — Ita reformatur disciplina qua pars immunis alteri suam immunitatem communicabat.

(d) Legi autem clandestinitatis *minime subjacent acatholici* sive baptizati sive non baptizati, quando *inter se* contrahunt ; nec "ab acatholicis nati [2], etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili ætate in hæresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint" (c. 1099, § 2).

916. 2° **Forma servanda in casibus ordinariis.** — Res examinari debet quoad validitatem, et liceitatem.

(A) *Ad validitatem.* "Ea tantum matrimonia valida sunt quæ contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus..." (can. 1094) ; quæ omnia sedulo perpendere oportet.

(a) *Parochus* intelligendus est sensu can. 451, id est non tantum

---

[1] *S. Cong. de Prop.*, 1 apr. 1922 (*Ami du cl.*, 1925, p. 408).

[2] "Ab acatholicis nati... dicendi sunt etiam nati *ab alterutro* parente acatholico etiam apostata (17 febr. 1930), cautionibus quoque præstitis ad norman cc. 1061 et 1071". *Com. Int. Cod.*, 20 jul. 1929. — Quæ interpretatio est *declarativa* (25 jul. 1931), et habet effectum retroactivum.

qui præest parochiæ canonice erectæ, sed etiam quasi-parochus, qui quasi-parochiam regit, et omnes vicarii parœciales qui plena potestate parœciali sunt præditi. Hi autem sunt : 1. Vicarius *actualis*, seu *curatus*, qui administrat parœciam capitulo vel personæ morali unitam (can. 471); 2. Vicarius *œconomus*, qui parœciam vacantem regit (can. 472, 473); 3. Vicarius *substitutus*, qui absentem parochum supplet (can. 474); 4. Vicarius *adjutor*, qui parocho infirmo datur, si tamen *in omnibus* ipsum suppleat (can. 475); 5. non vero vicarius *cooperator*, nisi, vacante parœcia, et ante œconomi constitutionem, parœciæ regimen interim assumat, ad normam can. 472, 2°.

Quoad *vicarios substitutos*, hæc notanda sunt ex *Commiss. Pontif.* : 1) Vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, potest, *post Ordinarii approbationem*, sed non ante, licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio apposita fuerit.

2) Vicarius seu sacerdos *supplens*, de quo in cit. can. 465, § 5, id potest *ante approbationem* Ordinarii, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit"[1].

(b) *Ordinarius* est quicumque jurisdictionem ordinariam aut ordinariæ æquivalentem *in foro externo* habet, v. g., Episcopus in sua diœcesi ejusque vicarii generales, Vicarius capitularis sede vacante, Abbas nullius, etc. (can. 198).

917. (c) *Delegatus*. — Possunt delegare qui jure proprio possunt assistere (can. 1095, § 2) et ideo omnes quos proxime enumeravimus, sed tantum pro matrimoniis intra fines sui territorii ineundis.

Quæ delegatio quovismodo dari potest, scripto, verbo, signo, sed *expresse*, nec sufficit præsumpta.

Dari debet sacerdoti *determinato* ad matrimonium *determinatum*, secus irrita est. Non ergo valeret delegatio data pro quovis sacerdote quem nupturientes eligerent, nec ad omnia matrimonia forte obvenientia (can. 1096).

Attamen valet delegatio generalis data *vicario cooperatori* pro parochia cui addictus est; sed juxta omnes fere canonistas, vicarius cooperator nullam habet *a jure communi* delegationem generalem, neque ex can. 476, § 6, neque ex can. 1096, § 1[2].

---

[1] Quo melius res intelligatur, in can. 465, § 5, legitur : "Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, ejusque stet mandatis".

[2] Juxta *Com. Int. Cod.* (28 dec. 1927), subdelegare potest in casu particulari vicarius cooperator "qui, ad normam can. 1096, § 1, a parocho vel loci Ordinario — *non ergo a jure* — obtinuit generalem delegationem assistendi matrimoniis".

Delegatus autem subdelegare potest juxta regulas generales a jure præfixas (can. 199), nempe : 1. si licentiam accepit a delegante; 2. si delegatus est ad universalitatem causarum, et ideo potest subdelegare vicarius cooperator qui delegationem generalem obtinuit a parocho vel loci Ordinario. (*Com. Int.*, 28 dec. 1927).

918. (d) *Testes* debent esse saltem duo. Cum nullæ speciales qualitates in ipsis postulentur, habiles sunt ii omnes qui, usu rationis gaudentes, factum cognoscere et de eodem fidem facere possunt, puberes aut impuberes, fideles aut infideles, sæculares aut regulares.

919. Hæ sunt personæ quæ matrimonio assistere debent; præcipit insuper *Codex* ut assistentia fiat secundum *certas regulas* quas exponimus (can. 1095, 1096).

(a) Valide assistunt Ordinarius vel parochus a die tantummodo adeptæ possessionis vel initi officii, usque ad diem eorum cessationis ab officio; quæ duo momenta sic pro parocho determinantur :

1) Ex can. 1444, parochus jus acquirit in subditos cum mittitur in possessionem suæ parochiæ juxta legem vel consuetudinem diœcesis — "nisi justa ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit : quo in casu hæc dispensatio locum tenet captæ possessionis".

2) Jurisdictionem amittit parochus in casu translationis "cum alterius officii possessionem canonice capit" nisi aliud fuerit præscriptum (can. 194) et in casu renuntiationis, cum hæc fuerit acceptata et notificata acceptatio (can. 190).

3) Invalide assistunt qui sunt per sententiam excommunicati, interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati.

(b) Parochus et Ordinarius Competentes sunt parochus et Ordinarius *loci* (paroeciæ respective et diœceseos) *infra cujus limites* contractus initur : unde deinceps, secus ac sub disciplina Tridentina, parochus extra parochiam, Ordinarius extra diœcesim nequeunt valide assistere matrimonio etiam subditorum; et e contra, in suo territorio valide assistunt matrimonio etiam alienorum. — Idem sane dicendum si non per semetipsos sed per delegatum assistunt.

(c) Quoad *modum assistendi*, necesse est ut "neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum"; invalida igitur essent, secus ac sub disciplina veteri, matrimonia contracta coram parocho silente et invito, aut *insidiose* et *ex inopinato* (*par surprise*). Metus autem quem parit *legitima* comminatio ad superiorem recurrendi, si pastor nolit sponsos conjungere, non invalidaret matrimonium.

920. (B) *Ad liceitatem* sequentia sunt observanda (can. 1097) :

(a) Antequam Ordinarius vel parochus eorumve delegatus matrimonio assistat, requiritur ut ipsi constiterit de statu libero contrahentium, ut supra diximus, n. 851.

(b) Sacerdotis assistentis *subditus* sit unus nupturiens, quod fit quadruplici modo : *domicilio*, *quasi-domicilio*, *menstrua commoratione*, et, si de vago agitur, *actuali commoratione* in loco. — Unde si plures sunt parochi hujusmodi, quilibet eorum licite assistit, absque ulla licentia. Si matrimonium alibi celebratur quam in loco domicilii, quasi-domicilii vel menstruæ habitationis, parochus loci ubi celebratur, licentiam (non delegationem) habere debet, nisi gravis necessitas intercedat, ab uno ex his quos proxime enumeravimus.

Vagi qui *actu* in tali loco *commorantur*, ad liceitatem uniri debent in loco ubi nunc commorantur; qui *actu itinerant* coram quolibet parocho nubere possunt. Sed in utroque casu, ex can. 1032, ad eorum matrimonia celebranda prævie haberi debet Ordinarii licentia.

Remanet ut notiones domicilii, quasi-domicilii et menstruæ habitationis juxta recentem disciplinam explanemus (can. 92).

1) *Domicilium* duplici modo acquiritur : vel commoratione actuali in parochia cum *intentione* ibi *perpetuo* manendi, si nihil inde avocet, — vel commoratione item actuali jam protracta ad *decennium* completum. Commorationem autem intende, non præsentiam corporalem, sed præsentiam resultantem ex factis quæ intentionem manifestant ibi sedem suam habendi : v. g., domum ibi comparando et in eam rem familiarem asportando, aut munus ibi acceptando. Semel acquisitum domicilium non amittitur nisi positiva intentione exterius manifestata non revertendi. Minor necessario retinet domicilium illius cujus potestati subjicitur (can. 93).

2) *Quasi-domicilium* item duobus modis habetur : commoratione actuali cum animo ibi manendi saltem ad majorem anni partem, si nihil inde avocet, — vel commoratione item actuali reapse protracta ad majorem anni partem.

3) *Menstrua* autem *commoratio* non consistit in *intentione* alicubi morandi, sed in *ipso facto*, quæcumque sit intentio. Requiritur mensis *completus*, seu triginta saltem dierum. Quæ commoratio debet esse moraliter *continua :* absentia aliquot horarum etiam quotidiana huic continuitati non obstat, dummodo singulis mensis diebus principalis commoratio in loco matrimonii vere fuerit. Idem dic valde probabiliter de absentia unus diei. Si quis vero per duos aut tres dies absit *cum animo redeundi*, *suspenditur* commora-

tio, sed præcedens commoratio poterit cum sequenti conjungi, ad triginta dies perficiendos : ita Titius, qui in paræcia N. cubiculum conduxerat ad unum vel plures menses, post decem dies urgentis negotii causa alibi per duos dies vocatur ; redux, post viginti alios dies, licite in paræcia N. matrimonium contrahit. Si *sine animo redeundi* abierit, tempus ante elapsum non computabitur.

(c) Si non assistat *proprius Sacerdos*, licentia habeatur a proprio parocho vel Ordinario, nisi agatur de vagis actu itinerantibus, vel necessitas urgeat quæ a licentia petenda excuset. Valet licentia quovis modo data, et aliquando præsumi potest.

(d) "Pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsæ parochum celebretur, nisi justa causa excuset", v. g., rationabile partium desiderium aut consuetudo (can. 1097, § 2).

921. 3° Forma servanda in casibus extraordinariis. Can. 1098 decernit quod "si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus", valide et licite contrahitur matrimonium coram solis testibus in duplici casu : 1) in mortis periculo; 2) quando prudenter prævidetur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam. — De quibus hæc nota :

(A) *Ad validitatem* quatuor requiruntur :

(a) Ut adsint duo testes.

(b) Ut sacerdos proprius vel delegatus sit *physice absens* (*Com. Int. Cod.*, 10 mart. 1928). Hæc autem absentia physica verificatur etiam in casu "quo parochus vel Ordinarius, *licet materialiter præsens in loco*, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat requirens et excipiens consensum" (25 jul. 1931); v. g., matrimonium civile peragi nequit intra mensem, et lex regionis graviter prohibet ne cultus ministri assistant matrimonio eorum qui civiliter conjuncti non sunt.

(c) Ut sacerdos proprius vel delegatus physice absens haberi vel adiri nequeat *sine gravi incommodo.*

Hic animadvertere liceat in *Codice* non agi de difficultate quæ aliquam regionem afficiat, vel parochiam, vel pagum, sed sufficere difficultatem *personalem.*

(d) Requiritur insuper vel ut adsit periculum mortis, vel ut impossibilitas habendi vel adeundi sacerdotem proprium vel delegatum prudenter, id est cum morali certitudine, prævideatur per mensem duratura (*Com. Int. Cod.*, 10 nov. 1925).

(B) *Ad liceitatem* duo etiam serventur : (a) habeatur, si præsto sit, alius sacerdos qui cum testibus assistat. Non autem dicitur

talem sacerdotem delegatione carentem debere consensum requirere et excipere; sufficit ut *passive* assistat.

(b) Tenentur in solidum sacerdos assistens, testes vel contrahentes curare ut initum conjugium in libris ritualibus adnotetur (can. 1103, § 3). — Decet etiam ut, data opportunitate, sponsi nuptialem benedictionem a sacro ministro recipiant (can. 1101).

922. 4° **Sanctiones** : Parochi qui, absque licentia parochi proprii et extra gravis necessitatis casum, matrimonio adstiterint non subditi, proprio contrahentium parocho debent remittere emolumenta stolæ (can. 1097, § 3). — Suspensio ab officio sacerdotali a *Tridentino* inflicta sacerdoti qui alterius parochiæ sponsos, sine eorum parochi licentia, matrimonio conjungere ausus fuerat, abrogata est.

§ II. De ritu celebrandi matrimonium.

Regulariter matrimonium celebrari debet ritu in libris liturgicis (*Rituali* et *Missali*) descripto. Adsunt tamen speciales regulæ pro *matrimoniis conscientiæ* et *morganaticis*, necnon pro matrimoniis *mixtis*.

I. De ritu ordinario celebrandi matrimonium.

Hic ritus duplici parte constat : ipsa *celebratione* in *Rituali* descripta; *benedictione nuptiali*, quæ in *Missali* reperitur; dicemus de *tempore* et *loco* celebrationis, necnon de *inscriptione in regestis*.

1° De celebratione matrimonii.

923. (A) Parochus, vel alius sacerdos ab ipso delegatus, induitur superpelliceo et stola alba, — vel, si immediate est celebraturus, alba, stola et planeta coloris missæ convenientis, non autem manipulo, quem immediate ante missam accipit. — Unus saltem adhibeatur minister, superpelliceo indutus, qui librum et vas aquæ benedictæ cum adspersorio deferat.

(B) Matrimonium celebrari solet ante altare majus, aut, hoc impedito, ante aliud altare. Sponsus stat a dextris sponsæ, testes prope adstant vel juxta vel retro post sponsos, ut videre et audire possint; post eosdem, parentes et propinqui, quorum præsentia nuptias cohonestari decet.

(C) Neque vi neque metu gravi constrictus [1] (quæ conditio etiam

[1] *Codex*, c. 1095, § 1, n. 3.

ad *validitatem* requiritur) sacerdos ante altare requirit excipitque contrahentium consensum. — Clare suum consensum exprimant sponsi ita ut parochus et testes de illo dubitare nequeant.

(D) Mutuo contrahentium consensu dato et accepto, sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens : "Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus S. Amen". Postea eos adspergat aqua benedicta, nihil dicens.

Rituale tamen pergit : "Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum"; ex quo sequitur legitimas consuetudines hac in re vigentes servari posse [1].

(E) Postea benedicetur annulus, etiam in secundis nuptiis, precibus in *Rituali* descriptis, et aspergitur aqua benedicta in modum crucis. Sponsus acceptum annulum de manu sacerdotis, imponit in digito annulari sinistræ manus sponsæ, in mutuæ fidei et dilectionis signum [2]. — Si annulus frangitur vel amittitur, novus benedici potest eadem formula, quocumque tempore. — Post traditionem annuli, sacerdos quasdam preces super sponsos legit.

Quando plures simul matrimonio junguntur, accepto primum singulorum consensu, dictaque pro singulis forma : "Ego vos conjungo"... nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquæ benedictiones fiant in communi per verba in numero plurali [3].

924. Cæremoniæ (imo et consuetudines ex c. 1100) in conscientia obligant; omissio omnium, absque causa, grave peccatum esset; omissio unius veniale tantum. Quidam tamen putant cum *S. Alphonso* (n. 899) verba "*Ego conjungo...*" aut similia omitti non posse sine mortali peccato.

2° De Benedictione nuptiali.

925. (A) Expletis cæremoniis supra descriptis, celebratur missa votiva pro *sponso et sponsa* quoties id permittitur; et datur *benedictio nuptialis* [4] : videlicet, dicto *Pater noster*, sacerdos stans in cornu

---

[1] Ita in *Statibus Fœderatis Americæ*, sponsi, dum dexteras jungunt, sibi invicem fidem dant hisce verbis : "I, N., take thee N. for my lawful wife (husband), to have and to hold from thys day forward, for better, for worse, for richer, for poorer, in sickness and in health, till death do us part". (*Excerpta*, ed. 8ª, p. 207). Similem formulam adhiberi in Hibernia et Anglia testatur **O' Kane**, n. 1107.

[2] In quibusdam regionibus duo annuli benedicuntur, unus pro sponso, alter pro sponsa. Alibi simul cum annulo benedicitur *numisma* : quod laudabile est : alibi *nummus* (*pièce de monnaie, coin*).

[3] Ita *S. Offic.*, 1 sept. 1841, *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 635.

[4] Aliquando ceremoniæ *Ritualis* vocantur etiam benedictio nuptialis; sed *proprie* hoc nomen reservatur orationibus in *Missali* contentis.

Epistolæ versus sponsum et sponsam ante Altare genuflexos, dicit super eos duas orationes, quæ in *Missali* inveniuntur; deinde, dicto *Benedicamus Domino* vel *Ite Missa est*, antequam populo benedicat, conversus ad sponsos, super eos recitat orationem *Deus Abraham;* tandem eos monet sermone gravi ut sibi invicem servent fidem, eosque aspergit aqua benedicta.

(B) Hæc autem benedictio non potest dari extra missam, non obstante contraria consuetudine. Ita enim præscribit *Rituale* ac decrevit *S. C. Rituum* [1], mandante Pio IX, et iterum sancivit *Codex* [2]. — Aliunde missa votiva pro sponsis potest celebrari *tempore clauso* quando ex permissione Ordinarii datur benedictio nuptialis, exceptis tantum Dominicis et festis de præcepto, festis I et II classis, Octavis privilegiatis I et II ordinis, Feriis privilegiatis et Vigilia Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes. [3]

Et quando Ordinarii, ex licentia can. 1108, benedictionem nuptialem permittunt in Nativitate Domini et Dominica Resurrectionis, Orationi Missæ de respectivo festo additur sub unica conclusione commemoratio pro sponsis, sicut in festis Epiphaniæ, Pentecostes, SSmæ Trinitatis et Corporis Christi [4].

Ex decreto *S. Officii* 1 sept. 1841, sacerdos non tenetur, etiamsi dicat missam pro sponsis, prout jacet in *Missali*, missam applicare ipsis sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat; in eadem missa potest sacerdos plures sponsos benedicere [5], sacerdos celebrans, non autem alius, debet sponsos ante altare genuflexos aqua benedicta aspergere; non licet sponsos benedicere in missa defunctorum, sed potius benedictio ad alium diem transferenda est [6].

926. (C) Juxta communem sententiam, missa cum benedictione nuptiali, de præcepto est, non de mero consilio, nisi rationabilis causa excuset. Probabilius tamen non obligat sub mortali, ut recte docet *S. Alphonsus* (n. 988). — Benedictio concedenda est quoties *sponsa* eam non accepit, sive hæc sit virgo, sive sit vidua aut deflorata, etiamsi sponsus sit viduus et benedictionem prius

---

[1] *S. Congr.*, die 1 sept. 1838, permiserat hanc benedictionem extra missam dari; sed, 23 jun. 1853, hoc decretum revocavit, ac mandavit benedictionem nonnisi in missa impertiendam esse. Cfr. *Decreta authentica S. C. Rit.*, nn. 3016 (olim 5190), 3079 (5275), 3380 (5640).

[2] *Codex*, c. 1101, § 1. Benedictio nuptialis : **a**) sponsis dari potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio; **b**) dari tantum potest a sacerdote vel a delegato sacerdotis qui valide et licite matrimonio potest assistere (*Codex*, c. 1101). —

[3] *S. C. Rit.*, 14 junii 1918. Cf. *Codex*, c. 1108.

[4] *S. C. Rit.*, 14 junii 1918.

[5] Quo casu, juxta *De Herdt*, n. 282, orationes non dicantur in plurali, sed quales in Missali ponuntur.

[6] *S. Offic.*, 1 sept. 1841, *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 635.

acceperit; non autem, si sponsa sit vidua et benedictionem jam semel acceperit. Ratio est quia benedictio, prout in *Missali* jacet, proprie super mulierem profertur, ideoque recitari decet quoties sponsa non fuit benedicta. — Quando non datur benedictio, omitti debet missa *pro sponso et sponsa.*

Juxta rubricas *Missalis*, sacerdos "postquam sumpserit Sanguinem, *communicet sponsos*"; proinde hæc communio fieri decet infra missam, et, juxta mentem rubricæ, *per modum sacrificii*, quatenus videlicet duæ parvæ hostiæ in hac missa pro sponso et sponsa consecrari debent. Quod quidem omnino *decet*, sed non stricte obligat; nam benedictio solemnis dari potest, etiam quando sponsi non communicant; sed Pastores hortari debent nupturientes ut in missa nuptiali communicent.

(D) Missa votiva pro sponsis, ut jam diximus, permittitur quibusvis diebus, exceptis Dominicis, necnon festis I^æ et II^æ classis, Octavis privilegiatis I et II ordinis, Feriis privilegiatis et Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes [1]. — Ut missa votiva privata dici debet.

Diebus quibus missa *pro sponso et sponsa* prohibetur, dicenda est missa diei cum commemoratione missæ nuptialis.

3° De tempore et loco celebrationis [2].

927. 1° **De tempore.** Ex *Codice*, matrimonium quovis tempore valide et licite contrahi potest [3]; *at solemnitates nuptiarum* prohibentur tempore *clauso*, seu *feriato*, i. e., a dominica prima Adventus usque ad diem Nativitatis inclusive; et a feria quarta Cinerum ad Dominicam Paschæ inclusive; in utroque casu tempus clausum incipit a media nocte. — Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam prædictis temporibus benedictionem nuptialem permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant [4].

Ratio hujus prohibitionis est quia præfata tempora orationi et pænitentiæ vel spirituali lætitiæ devoventur, a quibus solemnitates nuptiarum animos distrahunt.

928. 2° **De loco.** "Matrimonium inter Catholicos celebretur in *ecclesia paræciali;* in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semipublico nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit. Matrimonium in ædibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper justa ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel

[1] *Il Monitore eccles.*, XXX, 235; *Cong. Rituum*, 14 jun. 1918.
[2] Ita *S. Rit. Congr.*, 21 mart. 1874, *Acta S. Sedis*, XII, p. 474.
[3] *Codex*, c. 1108. — [4] *Codex*, c. 1108, § 1 et 3.

oratoriis sive Seminarii sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis. Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter judicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti ejus arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen præscripto c. 1102, § 2 (exclusa semper celebratione Missæ)" [1].

4° De inscriptione in regestis.

929. "Celebrato matrimonio, parochus vel qui ejus vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario præscriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit. Præterea, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua parœcia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur" [2].

930. Juxta *Codicem*, et interpretationem *S. Cong. de Sacram.* 4 jul. 1921, (a) statim post celebratum matrimonium aut quam primum, *parochus* aut qui ejus vices gerit, v. g., primus vicarius, non autem sacerdos a parocho vel Ordinario delegatus, in libro matrimoniorum describere debet conjugum eorumque parentum nomina et agnomina, ætatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium pariter nomina et agnomina, et documentum subsignare.

Cum non dicatur *manu propria*, actus ab alio scribi potest, sed ipse parochus aut ejus vices gerens *curare debet* ut omnia *accurate* scribantur.

(b) Præterea parochus in *libro quoque baptizatorum* in margine annotet conjugem tali die in sua parœcia contraxisse. Si contingat prolem illegitime natam *legitimari*, sedulo etiam notanda est legitimatio in margine ejusdem registri baptismalis. — Si conjux alibi baptizatus fuerit, sive per se, sive per Curiam episcopalem, (præsertim si agitur de parœcia alterius diœceseos) notitiam initi contractus transmittat, cum omnibus annotationibus supra descriptis et parochiali sigillo, ut matrimonium in baptismi librum referatur. Transmitti etiam debet nullitatis declaratæ notitia (can. 1988) et

[1] *Codex*, c. 1109.

[2] *Codex*, c. 1103; cfr. can. 1107, 1988; *Instruct. S. C. de Sacram.*, 4 jul. 1921, ad 2 et 3.

mentio legitimationis. Quod sapienter cautum est ut ita detegantur matrimonia jam inita [1] vel annulata.

(c) Ad obviandum oblivionis periculo, expedit ut Ordinarius tempus determinet infra quod illa transmissio fieri debeat, addita mentione diei baptismi, ut parochus baptismi facilius reperiat locum in quo adnotatio sit inserenda.

II. De ritu speciali quædam matrimonia celebrandi.

Duo sunt matrimoniorum genera quæ ritu speciali celebrari debent : *matrimonia conscientiæ* et *matrimonia morganatica*.

931. 1° **Matrimonia conscientiæ** ea sunt quæ, omissis denuntiationibus, *secreto* celebrantur coram parocho proprio, vel alio sacerdote delegato, et duobus testibus, ea lege ut secreta maneant.

Conditiones ut licite contrahantur, recensentur a *Bened. XIV* et *Codice :* (a) Non celebrentur, sine Ordinarii [2] licentia, nec permittantur ab Ordinario nisi ex urgentissima ac gravissima causa [3], v. g., ad impediendum concubinatus periculum ; (b) diligens ab Ordinario fiat inquisitio, ut constet nullum obstare impedimentum, præsertim prævium ligamen ; (c) ad assistendum matrimonio deputetur parochus alterutrius contrahentium ; vel, eo deficiente, sacerdos doctrina et prudentia præditus ; (d) celebrato matrimonio, Ordinario exhibeatur scriptum documentum, in quo describatur celebratio cum nota loci, temporis ac testium qui interfuerunt ; idem transcribatur in libro secreto sigillis munito ; (e) moneantur conjuges ut, si proles nata fuerit, statim ad Ordinarium scribant, qui nomen infantis ac parentum in libro secreto describet, ut de legitimitate prolis constet [4] ; (f) si de nata sobole notitiam non dederint, matrimonium divulgandum est [5].

Hæc insuper ex *Codice* notentur : " Permissio celebrationis matrimonii conscientiæ secumfert promissionem et gravem obligationem *secreti* servandi ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii ejusque successorum, et etiam alterius conjugis, altero non consentiente divulgationi " [6].

" Hujus (tamen) promissionis obligatio ex parte Ordinarii non extenditur ad casum quo vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem injuria ex secreti observantia immineat, vel parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari

---

[1] Quapropter a sponsis *recens* baptismi documentum postulare expedit, quo tutius innotescat num aliud matrimonium contraxerint.

[2] Non possunt permitti a Vicario generali sine speciali mandato. (*Codex*, c. 1104).

[3] *Codex*, c. 1104. — [4] *Codex*, c. 1107. — [5] *Codex*, c. 1106. — [6] *Codex*, c. 1105

aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptæ et baptizatæ cum sincera indicatione parentum præbeant, vel christianam filiorum educationem negligant" [1].

932. 2° Matrimonia *morganatica*, seu *ad morganaticam* [2], in eo consistunt quod vir nobilis, defuncta uxore pariter nobili, alteram ex humiliore ordine ducit, addita conditione ut tam mulier quam filii exinde nascituri, nihil ex eo matrimonio acquirere possint præter ea quæ ad honestam sustentationem necessaria sunt. Hinc uxor et filii non admittuntur plene in familiam viri, nec assequuntur ejus nobilitatem aut hereditatem; et sub hoc respectu hujusmodi matrimonium differt a matrimonio conscientiæ, vi cujus filii jus habent ad hereditatem paternam [3].

Art. IV. De impedimentis matrimonii.

Secundum *Codicem*, c. 1035, "omnes possunt matrimonium contrahere qui jure non prohibentur".

933. 1° **Notio et præcipuæ divisiones.** (**A**) Impedimentum *lato sensu* dicitur illud omne quod vetat ne matrimonium *licite* aut *valide contrahatur*. — *Stricto* autem sensu — prout nempe differt a vitio consensus aut a defectu formæ requisitæ — impedimentum est circumstantia quædam sponsos afficiens propter quam matrimonium non potest valide aut licite contrahi.

(**B**) Duplicis igitur generis datur impedimentum ex parte *effectus : impediens* et *dirimens*. Ex can. 1036, "impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur. — Impedimentum *dirimens* et *graviter prohibet* matrimonium contrahendum, et impedit quominus *valide* contrahatur. — Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum".

(**C**) Ex parte *certitudinis*, impedimenta alia sunt *certa*, alia

---

[1] *Codex*, c. 1106.

[2] *Morganaticum* a duabus vocibus germanicis oritur (*morgen*, *gabe*, matutinum donum), quia uxor et filii contenti esse debent illo dono quod ab initio, quasi matutino die nuptiarum, accipiunt; a quibusdam dicitur etiam matrimonium *sinistræ manus* (quasi *mali organi*).

[3] **S. Thom.**, *Opusc.* XXXVII, De Erudit. Principum, l. V, c. 26-29; **S. Alphons.**, n. 882-884; **Rosset**, t. V. n. 3546-3548.

dubia. Certum dicitur quando de lege et de facto vere constat; *dubium* autem, si de lege aut de facto aut de utroque non vere constat : dubium *dubio juris*, si de lege non constat; dubium *dubio facti*, si de facto dubitatur.

(**D**) Ex parte *probationis*, impedimentum *publicum* censetur "quod probari in foro externo potest; secus est occultum" (can. 1037). Proinde hoc discrimen oritur non ex notitia inter homines, sed ex *possibilitate illud in foro externo probandi.* Ita consanguinitas, etsi hominibus ignota, est impedimentum publicum, cum ex *regestis* probari valeat; idem dici potest de impedimento quod testibus omni exceptione majoribus probari potest.

934. 2° **Quinam impedimenta ferre possint?** Jam probatum est soli Ecclesiæ competere jus impedimenta statuendi pro baptizatis; sed quæstio est *quinam* in Ecclesia hoc jure gaudeant. Jamvero :

(**a**) Supremæ auctoritati *privative* jus est impedimenta statuendi per modum legis sive universalis sive particularis (can. 1038).

(**b**) "*Consuetudo* novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur" (can. 1041).

(**c**) *Ordinarius* autem et *Concilia particularia* hodie potestate carent impedimenta statuendi, quamvis olim eam exercuerint. Ratio est quia hæc est causa major, quam sibi reservavit S. Pontifex, et merito; nam si quilibet Ordinarius pro sua diœcesi impedimenta ferre valeret, jam esset maxima confusio in re gravis momenti.

Dicemus : 1° de impedimentis *impedientibus;*
2° de impedimentis *dirimentibus.*

§ I. De Impedimentis impedientibus.

935. Jure antiquo plura erant hujusmodi impedimenta, quæ jam ab aula recesserunt [1].

[1] Talia erant *catechismus*, i. e., impedimentum quod contrahebatur ab eo qui pro infante respondebat, quando supplebantur cæremoniæ baptismi, eodem fere modo ac patrinus hodie impedimentum contrahit spiritualis cognationis, ut infra exponetur; et *graviora quædam crimina*, nempe incestus, conjugicidium, pres-

Hodie, cum sponsalia non amplius sint impedimentum prohibens, tria sunt, de quibus agemus : *votum*, *mixta religio* et *cognatio legalis*, pauca tamen præmittendo de *vetito Ecclesiæ*.

Prænotanda de vetito Ecclesiæ[1].

936. *Ecclesiæ vetitum*, quod non recensetur a *Codice* inter impedimenta proprie dicta[2], est prohibitio aliquod determinatum matrimonium contrahendi, a legitimo superiore facta, ob gravem causam. Proinde distinguitur a *lege generali* qua vetatur ne nuptiæ ineantur cum aliquo genere personarum.

Jamvero *legitimus superior* in casu est : (**a**) *S. Pontifex*, qui matrimonium aliquod prohibere potest immo et "clausulam *irritantem* addere"[3] in universali Ecclesia, sive per se, sive per alium, v. g., per Romanas Congregationes; (**b**) *Ordinarii* locorum, non autem cum clausula *irritante* : "Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, justa de causa eaque perdurante. — Vetito clausulam *irritantem* una Sedes Apostolica addere potest".

(**c**) *Parochus* non potest proprie vetare matrimonium, actu *proprie judiciali*, ob defectum jurisdictionis in foro externo; sed assistentiam suam denegare potest alicui matrimonio, quando judicat nuptias propter gravem causam iniri non posse, et aliquando debet (can. 1034, 1063, 1065, 1066).

---

bytericidium, infanticidium, matrimonium cum moniali attentatum, raptus sponsæ alienæ, baptismi collatio propriæ proli extra casum necessitatis, pænitentia publica. Cfr. **Clericati**, *Decis.* 37 de Sacr. Matrim., n. 19 sq.; **Ballerini P.**, n. 535 sq., ed. 3; **Gasparri**, n. 433. — De origine et historica evolutione variorum matrimonii impedimentorum vide **J. Freisen**, *Geschichte des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur*, Tubingen, 1888; cujus summarium invenire est in *Canoniste*, 1890, p. 433; 1891, p. 214; 1892, pp. 268, 344, 407, 459, 584, 705; 1893, p. 65; 1895, pp. 409, 667, etc.; **Esmein**, *op. cit.*, t. I, p. 203-402.

[1] **Reiffenstuel**, **De Angelis**, **Santi** aliique Canonistæ, lib. IV, tit. 16; **S. Alphons.**, n. 982; **Ball. P.**, n. 535, 538, ed. 3; **Feije**, n. 549-551; **A. de Smet**, 486-487.

[2] Impedimenta proprie dicta statuuntur per modum *legis*, vetitum fertur per modum *præcepti*. — [3] *Codex*, c. 1039, § 2.

937. *Causæ*, propter quas nuptiæ juste vetari possunt, tres sunt præsertim, nempe : (a) fundata suspicio latentis impedimenti sive prohibentis, sive præsertim dirimentis; ita R. Congregationes aliquando hanc clausulam addunt sententiæ in causa matrimoniali, quando dubitatur de impotentia alterutrius : *Vetito transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C.;* (b) timor ne jus tertii lædatur, v. g., pendente lite de valore prioris matrimonii vel sponsalium, a fortiori si valida sponsalia contracta fuerunt nec dissoluta; (c) scandalum, vel aliud grave damnum vitandum.

Graviter peccat qui contra hoc Ecclesiæ vetitum matrimonium contrahit; nisi tamen prohibitio fiat de levi causa vel quando sponsis certo constat rationem interdicti non amplius subsistere : tunc enim peccatum est veniale tantum.

I. De impedimento prohibente voti [1].

938. Non omne votum prohibet matrimonium, sed solum votum quod matrimonii celebrationi vel usui opponitur. Jamvero quintuplex votum matrimonium reddit illicitum : " Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectæ, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum. — Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicæ præscripto pro aliquibus statuta fuerit ". De quibus seorsim dicendum.

939. 1° **De voto simplici perfectæ castitatis.** Hic agitur de voto *simplici*, non autem de *solemni*, quod non solum prohibet, sed irritat matrimonium, ut infra dicetur. Jamvero, sive privatim emittatur, sive in religiosa Congregatione, consistit in promissione Deo facta absolute abstinendi ab omni venerea delectatione sive externa, sive interna.

(A) *Qui tale votum emisit, regulariter illicite matrimonium contrahit;* nam vel intendit matrimonium consummare, ideoque votum violare; vel saltem se exponit periculo vio-

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 53. a. I; **Sanchez**, lib. IX, disp. 33-34; **S. Alphons.**, n. 986-987; **Baller. P.**, n. 561-566, ed. 3; **Feije**, n. 559-565; **Lehmk.**, n. 946-950; **Genicot**, n. 512-513; **Gasparri**, n. 434-441.

landi votum, cum, altero conjuge postulante, debitum reddere teneatur. Dictum est *regulariter*, ut excipiatur rarissimus casus quo utraque pars virginitatem in matrimonio servare intendit.

(**B**) Inito autem matrimonio, (**a**) vovens non potest absque peccato *petere* debitum, cum hoc sit directe contra votum; sed illud reddere potest ac debet quoties ad id conjugali obligatione tenetur. Hinc, si alter conjux jus petendi amiserit, quia verbi gratia adulterium commisit, neuter petere aut reddere potest. — Expedit igitur quamprimum dispensationem a voto quærere, ne vovens in perpetuo periculo maneat peccandi.

(**b**) Si alter conjux moriatur, vovens ad secundas nuptias convolare nequit, nisi dispensationem a suo voto obtinuerit. Generatim dispensatio datur solum ad matrimonium *semel* ineundum, ita ut nova requiratur ad alias nuptias ineundas.

N. B. Si quis votum *temporaneum* castitatis emiserit, nuptias inire non potest, nisi postquam votum expiraverit; si antea nubat, idem dicendum ac de eo qui voto castitatis perpetuæ ligatur, quamdiu tempus præfixum elapsum non fuerit.

940. 2° **De voto virginitatis.** Plerumque vovens virginitatem nihil aliud intendit nisi perfectam castitatem : quo casu applicanda sunt principia superius exposita. Presse autem sumptum, votum virginitatis consistit in promissione abstinendi ab illo primo opere carnali quo virginitas amittitur, seu a *voluntaria* seminis effusione pro viro, et pro muliere a copula aliisve actibus quibus sigillum virginale *culpabiliter* frangitur. — In praxi autem qui virginitatem vovet, communiter aut castitatem aut cælibatum intendit : quare ejus intentio caute exploranda est.

Quibus positis, (**a**) votum virginitatis graviter læditur primo actu consummato quo virginitas amittitur; (**b**) post primum hujusmodi peccatum, matrimonium licitum est, cum votum jam impossibile evaserit; (**c**) qui autem post votum virgo permansit, graviter peccat ineundo matrimonium, quippe qui se gravi periculo exponit contra votum agendi; excipe casum quo ambo contrahentes virginitatem promiserunt, ut supra; (**d**) matrimonio contracto, debitum petere

non potest, quamdiu carnis integritatem servavit[1]; sed, virginitate semel amissa, potest licite reddere ac petere debitum, cum jam voti adimpletio impossibilis evaserit; (e) mortuo consorte, si virgo permansit, voto adhuc ligatur; secus, ad novas nuptias transire potest.

941. 3° **De voto non nubendi, seu cælibatus.** (a) Hoc votum directe consistit in promissione non contrahendi matrimonium; peccat igitur graviter qui cum tali voto nubit; (b) inito autem matrimonio, illud consummare potest, cum huic voto consummatio non opponatur; (c) soluto autem conjugio, votum reviviscit et secundas nuptias impedit.

942. 4° **De voto suscipiendi ordines sacros.** (a) Hoc votum illicitum reddit matrimonium, cum conjugatus sacros ordines amplius recipere non possit; (b) inito matrimonio, tenetur conjugis consensum petere ut ordines suscipere possit, positis de jure ponendis; si consensus denegetur, jam potest reddere et petere debitum, cum directe non voverit castitatem, et aliunde votum suscipiendi ordines impossibile evaserit; (c) si uxor moriatur, vel amittat jus petendi debitum (v. g., per votum aut adulterium), jam reviviscit obligatio voti, nisi dispensatio obtenta fuerit.

943. 5° **De voto amplectendi statum religiosum.** Hic agitur de voto ingrediendi Religionem cum votis solemnibus, aut Congregationem cum votis simplicibus : utrumque enim illicitas reddit nuptias. (a) Vovens non potest licite nubere, cum ita se exponat periculo votum frangendi vel alterum conjugem decipiendi; (b) sed, semel inito matrimonio, licite reddere ac petere potest debitum, cum castitatem non voverit, ingressus in Religionem sit impossibilis et aliunde, juxta can. 1111, uterque conjux, ab ipso matrimonii initio, jus habet ad conjugales actus; (c) recuperata vero libertate, quia v. g., conjux mortuus est, vel jus petendi amisit, vel consentit ut vovens ingrediatur Religionem, tenetur id facere, nisi dispensatio obtineatur, aut res sit moraliter impossibilis.

944. **Notandum.** Plerumque expedit dispensationem ab his votis exquirere. Jure communi, ex can. 1309, solus Pontifex dispensare potest, ante Matrimonium, a voto *perfectæ ac perpetuæ castitatis* aut *ingrediendi Religionem votorum sollemnium;* unde Episcopi non possunt ab eisdem dispensare jure ordinario, nisi sit periculum in mora.

Post contractum matrimonium, dispensat Episcopus ad peten-

[1] Ita quidem *objective* loquendo : non pauci enim id *ignorant*, et peccant quidem nubendo, non autem debitum petendo.

dum debitum : (a) si agatur de voto non reservato (can. 1313); (b) si de casu urgenti etiam in voto reservato (can. 81); (c) item super voto reservato vi facultatum ordinarie a *S. Pœnitentiaria* concessarum [1].

Insuper, vi Indultorum, sæpe ampliores accipiunt facultates; ita in *Statibus Amer. Fœderatis* habent potestatem "dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus *castitatis* et *religionis*"; quam in multis diœcesibus omnibus confessariis impertiuntur.

II. De impedimento mixtæ religionis [2].

945. Mixta matrimonia, *lato* sensu intellecta, ea sunt quæ ineuntur inter catholicum et acatholicum, sive sit baptizatus, sive non. *Stricto* autem sensu, impedimentum *mixtæ religionis*, prout distinguitur ab impedimento *disparitatis cultus*, est illud quod existit inter duos baptizatos, quorum unus est catholicus, alter *sectæ* hæreticæ, schismaticæ aut atheisticæ adscriptus [3] matrimonium reddit quidem illicitum, sed non invalidum. Dicemus : 1° de *illiceitate* matrimoniorum mixtorum; 2° de *dispensatione* ab hoc impedimento; 3° de *modo* illa *celebrandi*.

1° De illiceitate matrimoniorum mixtorum.

946. *Principium :* **Matrimonia mixta, absque dispensatione inita, graviter sunt illicita.** Certum est.

(A) In *Scriptura* jam invenimus fundamenta hujus prohibitionis. (a) Sedulo enim prohibet consortium cum hæreticis : "Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita" [4]; "Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec *Ave* ei dixeritis. Qui enim dicit illi *Ave*, communicat operibus ejus malignis" [5]. Jamvero qui matrimonium cum hæretico contrahit, non solum ei *ave* dicit, sed cum eo intimam et permanentem habet consuetudinem.

---

[1] **A. de Smet**, I, n. 231.

[2] **Roskovany**, *De Matrimoniis mixtis;* **Baller. P.**, n. 1084-1113; **Gasparri**, n. 442-472; **Rosset**, III, n. 1734-1769; **Wernz**, n. 573-590; **Ullathorne**, *An Instruction on Mixed Marriages;* **Kelly-Geniesse**, *Efficax antidotum ad matrimonia mixta præcavenda*, Romæ, 1923; **F. Ter Haar**, *De matrimoniis mixtis eorumque remediis*, Romæ, 1931. — [3] *Codex*, c. 1060; *Com. Int.*, 30 jul. 1934. — [4] *Tit.*, III, 10. — [5] *II Joa.*, I, 10-11.

(b) Insuper, teste Paulo [1], matrimonium christianum est symbolum perfectæ unionis Christi cum Ecclesia : mulieres viris suis subditæ esse debent sicut Domino, et viri, diligere uxores suas sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea; jamvero si vir et uxor non sint ejusdem fidei, eorum unio valde imperfecta est, cum non sit unio animorum in eadem fide, spe aut caritate; ergo nonnisi imperfecte ac remote repræsentat unionem Christi et Ecclesiæ.

947. (B) *Concilia* et *Rom. Pontifices* non solum modo generali consortium cum hæreticis, sed etiam speciatim matrimonia cum eis stricte prohibuerunt ac severe condemnarunt. Ita Conc. *Eliberitanum* (an. 305) decrevit [2] : " Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas : sed neque Judæis, neque hæreticis dare placuit; eo quod nulla possit esse societas fidei cum infideli ". Idem statuerunt multa alia Concilia, tum particularia, tum generalia.

Neque S.S. Pontifices aliud tenuerunt. *Benedictus XIV*, 4 nov. 1741, ea vocat *detestabilia* connubia, quæ S. Mater Ecclesia *perpetuo damnavit* atque interdixit, laudatque magnopere zelum illorum Antistitum qui severioribus pœnis catholicos ab his sacrilegis vinculis deterrere student; *Clemens VIII*, 16 nov. 1763, scribit ex hujusmodi conjugiis Ecclesiæ magnam cladem afferri. Quorum doctrinam confirmat *Leo XIII*, scribens in Const. *Arcanum :* " Ab hujusmodi conjugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem præbeant vetitæ societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimento sunt bonæ institutioni liberorum, et persæpe animos impellunt ut cunctarum religionum æquam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine ". Quæ omnia graviter sancita sunt a *Codice :* " Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectæ hæreticæ seu schismaticæ adscripta : quod si adsit perversionis periculum conjugis catholici et prolis, conjugium ipsa etiam lege divina vetatur " [3].

---

[1] *Ephes.*, V, 22-32.

[2] Can. 16, ap. **Labbe**, *Concilia*, I, p. 973. Idem statuit Conc. *Laodicense* (circa an. 364), can. 10, 31, **Labbe**, I, p. 1510-1511.

[3] *Codex*, c. 1060. Cfr. **Pius XI**, encycl. *Casti Connubii.*

948. (**C**) *Rat. theologica*[1]. (**a**) *Matrimonia mixta intimæ unioni ac felicitati conjugum nocent.* Intima esse debet inter conjuges unio, veraque animorum concordia; vir uxorem diligere debet sicut Christus dilexit Ecclesiam, et mulier obedire viro sicut Domino. Atqui hæc intima unio et amicitia vix existere potest ubi deest unitas fidei; nam amicitia æquales accipit aut facit, seu aliis verbis postulat ut amici idem sentiant et idem velint; jamvero ubi fides diversa est, ibi erit animorum discrepantia non solum in rebus religiosis, sed etiam in multis quæstionibus historicis vel ethicis, quæ cum religione indivulse connectuntur, præsertim vero in iis quæ ad prolis educationem spectant. Exinde frequentes oriuntur dissensiones, quæ pacem familiæ disturbant.

Quo posito, felicitas conjugum perfecta esse nequit. Siquidem vera beatitudine fruuntur quando simul orant, simul in ecclesia divinis assistunt officiis, eadem sacramenta suscipiunt, ejusdem divini convivii participes efficiuntur, seipsos invicem provocant ad praxim earumdem virtutum, eadem spe roborantur, eadem caritate uniuntur. Jamvero hæc omnia impossibilia evadunt quando conjuges non sunt ejusdem fidei : tunc enim vel quisque seorsim orat, vel alteruter contra conscientiam agit, actus religionis exercendo quos interius non appprobat. — Præterea, cum, ex dictis, ambo in multis discrepent, mutuæ diffidentiæ virus brevi in eorum animos serpit, ac mutuus amor refrigescit, sine quo tamen non est vera conjugalis felicitas.

949. (**b**) Matrimonia hujusmodi *parti catholicæ valde periculosa sunt quoad fidem, et aliquando quoad mores.* Imprimis nuptias inire cum hæreticis est communicatio in divinis, quatenus pars catholica sacramentum administrat hæretico, et vice versa. Præterea catholicus cum hæretico ejusque familia sæpe conversans, non paucos errores facile imbuere potest, et de quibusdam veritatibus fidei dubia concipere, aut saltem de nonnullis actibus religionis erubescere, præsertim cum haud raro ignorantiam ac simplicitatem catholicorum derideri contingat. Periculum majus evadit quando, non obstantibus promissis tempore nuptiarum factis, vir uxorem catholicam prohibet quin missæ aliisque

[1] Hic operæ pretium est notare iisdem argumentis ostendi posse quam periculis plena sint conjugia inter catholicas puellas inita virosque *irreligiosos.*

divinis officiis assistat; nec minus est quando mulier hæretica perfida suasione virum paulatim a praxi religionis avertit; nam, ut recte scribit *Bellarminus* [1] : "Ea siquidem est natura feminarum, ut multo facilius sit, ut ipsæ viros pertrahant ad errorem, quam ut viri eas perducant ad veritatem". Maximum est etiam *indifferentismi* periculum : quando enim in eadem familia personæ inveniuntur diversam religionem colentes, et inter eas frequentes ac intimæ habentur relationes, facile oritur persuasio varias religionum formas eadem æstimatione dignas esse. — Neque desunt pericula quoad *mores;* cum enim matrimonii abusus apud Protestantes maxime prævaleat, ut ex ipsorum testimonio constat [2], uxor catholica a viro hæretico facilius ad actus illicitos pertrahi potest.

950. (c) Sæpe *majora sunt pericula pro filiis*, qui ex hujusmodi connubiis nascuntur. Aliquando pars acatholica eorum catholicæ educationi obstat. Etiam quando catholice instruuntur, in indifferentismum facile labuntur : vident enim non eamdem religionem a parentibus coli, et exinde proni sunt ad inferendum non multum referre quænam religio observetur; nam si parentes ipsi de religione non idem sentiunt, quis certus esse potest de absoluta veritate religionis? Nonne omnes religiones æque valent? — Haud raro pars hæretica nonnulla catholica dogmata vel praxes deridet, et ita dubia excitat in mentibus filiorum. — Aliunde, si mater hæretica sit, veræ pietatis sensus in corda puerorum vix instillare potest; si pater sit protestans, filii, etiam catholicis principiis a matre imbuti, quando adolescunt, nimis proni sunt ad patris errores amplectendos, vel etiam sæpius ad valedicendum omni religioni.

Quod quidem lugenda constat experientia; quamvis enim matrimonia mixta non semper infelices sortiantur exitus, sed quandoque bonos effectus producant, sive acatholicam partem ad veram fidem trahendo, sive præjudicia removendo; attamen sæpius majora mala inde oriuntur quam bona, præsertim quoad prolem [3]. Ex computa-

---

[1] Epistola inter familiares 35, ap. **Ball. P.**, n. 1093.

[2] Cfr. **Sinclair**, *The Crowning sin of the Age*, Boston, 1892, p. 16 sq.; **Kelly-Gen.**, *op. cit.*, p. 10; *Ep. past. Episcopi Lausan.*, de matrim. christiano, 1922.

[3] Cfr. *Americ. Eccles. Review*, vol I, 1889, p. 61-74; vol. II, 1891, p. 9-23.

tione enim recenter facta in *Statibus Amer. Fœderatis*, *sexaginta sex* juvenes *per centum*, ex his matrimoniis nati, nullam colunt religionem; dum, quando ambo parentes sunt catholici, solummodo *octo per centum* religioni valedicunt [1].

951. Corollaria. (**A**) *Graviter peccant catholici qui, absque dispensatione, matrimonium ineunt cum hæreticis.* Neque consuetudo etiam longissimi temporis illud licitum reddit, ut pluries declaravit S. Sedes, præsertim *S. Officium* [2], 3 jan. 1871 : " Quamobrem etsi jamdiu, uti affirmas, opinio isthic inoleverit, licite posse mixtas iniri nuptias absque S. Sedis dispensatione, hæc tamen opinio *qualibet non obstante consuetudine*, tolerari nequit ". — Quod verum est, etiamsi in casu periculum perversionis absit; nam alia sunt pericula, et insuper, etiam cessante præcepto naturali, remanet præceptum positivum Ecclesiæ in præsumptione periculi fundatum.

Hinc, quando absque dispensatione contraxerunt, debent ad Ordinarium recurrere, ut pro violatione legis satisfaciant et cautiones adhibere promittant necessarias ad periculum perversionis a se suaque prole amovendum [3]. Quæ cautiones exigendæ sunt etiam in articulo mortis [4].

952. (**B**) *Graviter peccant parochi hujusmodi matrimonio assistentes*, quia contrahentium peccato cooperantur; ita decrevit *S. C. Concilii* [5] : " Catholicos parochos hisce matrimoniis celebrandis præsentes esse non posse. Flagitiosum est enim eos esse tanti criminis testes, et aliquo ritu vel sua præsentia sacrilegum connubium confirmare ".

953. (**C**) *Parochi totis viribus*, hortationibus, suasionibus necnon increpationibus *conari debent ne hujusmodi connubia ineantur.* Patet ex *Codice*, c. 1064 : " Pastores a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant ".

Ad rem *Conc. Plen. Baltimorense III*, n. 133 : " Ad hunc autem finem assequendum maxime conducit : (**a**) *frequens parochorum*

---

[1] Illa recensio ab ipsis Protestantibus instituta est; cfr. *Association Men*, New York, November 1901; *Literary Digest*, Jan. 4, 1902, p. 17.

[2] *Collect. P. F.*, n. 1434.

[3] Ita *S. Offic.*, 12 mart. 1881, ap. *Collect. P. F.*, n. 1440.

[4] *S. Offic.*, 18 mart. 1901, ap. *Acta S. Sedis*, XXXI, p. 52.

[5] **Roskovany**, II, p. 102; **Gasparri**, n. 446.

instructio qua fideles edoceantur de Ecclesiæ prohibitione mixtorum matrimoniorum". — Quæ quidem instructio tempore opportuno dari debet, i. e., antequam pars catholica amore capta sit erga partem acatholicam; proinde in sacro tribunali, quando confessarius novit pænitentem sæpius frequentare acatholicos, — coram Sodalitatibus juniorum, ubi constat tractatus amatorios haberi cum hæreticis, — coram parentibus, ut ipsi proli adolescenti invigilent.

(b) "*Praxis uniformis eorumdem parochorum* in casibus occurrentibus impediendi totis viribus, hortationibus, suasionibus, necnon increpationibus ne hujusmodi conjugia ineantur". Quod efficax esse nequit, nisi sacerdotes deterreant juniores a nimia Protestantium frequentatione; ideoque catholicæ juventuti occasiones præbeant simul conveniendi, et honestæ recreationi vacandi, præsentibus quibusdam parentibus aut personis maturæ ætatis ac virtutis probatæ : nisi enim catholici adolescentes simul conveniant, hæreticorum conventus et associationes adibunt.

(c) "*Examen accuratum de canonicis et gravibus causis*, quæ requiruntur pro dispensatione super hoc mixtæ communionis impedimento concedenda". Quapropter parochi non semper ac facile dispensationem petentibus acquiescant; sed de causis canonicis inquirant, nec statim credant quidquid nupturientes dicunt, sed rem accurate investigent.

954. (D) "Post celebratas mixtas nuptias, *parochi gravi conscientiæ onere se gravari sciant invigilandi ut promissæ a conjugibus conditiones observentur et effectum sortiantur*" [1]. Nisi enim pastores id faciant, ideoque familias hujusmodi quandoque invisant, sæpe illæ promissiones in oblivionem cadent, et liberorum religiosa educatio parum attendetur. — Pariter, juxta *S. Officium* [2], quoniam in gravissimo hoc negotio nil solius presbyteri arbitrio est relinquendum, sacerdotes de quolibet mixto matrimonio contrahendo quantocius Episcopum certiorem reddant, accuratissime relatis omnibus rerum, locorum et personarum circumstantiis.

2° De dispensatione ab impedimento mixtæ religionis.

955. De facultate dispensandi. Attamen quando hæc matrimonia præcaveri non possunt, aut quando in aliquo

[1] Ita *S. C. de Prop. Fide* ad Archiep. Baltimorensem, 25 jun. 1884, *Collect. P. F.*, n. 1442; *Codex*, c. 1064, n. 3.

[2] *Instruct. ad Ep. Orient.*, 15 dec. 1888, n. 13, *Collect. P. F.*, n. 1444.

casu particulari prævidetur majora bona ex eis obventura quam mala, aut saltem sufficienter amoveri pericula, S. Pontifex ab impedimento mixtæ religionis dispensare solet, justa de causa. Ipse quidem solus id præstare potest propria auctoritate, cum hic agatur de lege generali; sed facultatem dispensandi aliquando Episcopis concedit, præsertim in iis regionibus ubi multi hæretici inveniuntur [1].

Matrimonium mixtum cum dispensatione contractum, debitisque cautionibus infra exponendis, legitimum evadit, nec sacrilegum vocari potest.

956. De conditionibus necessariis ad dispensationem. (**A**) Requiritur gravis et canonica *causa* sine qua permitti nequit ut fideles gravibus fidei ac morum periculis sese exponant. Hæc autem causa potest esse (**a**) quælibet ratio ad *bonum publicum* vergens, v. g., si probabiliter sperari possit familiam hæreticam, aut saltem partem acatholicam nupturientem, veram fidem amplexuram esse; si catholici sint pauci et matrimonia mixta ad removenda hæreticorum præjudicia conferre valeant; si secus magna orirentur scandala; si matrimonium mixtum unicum sit medium ut liberi, ex alio matrimonio nati, in catholica religione instruantur; (**b**) etiam ratio *boni privati* contrahentium, dummodo, omnibus circumstantiis sedulo inspectis, prævideri possit majora bona quam mala ex hoc matrimonio obventura esse; quod præsertim occurrit quando pars catholica fide, virtute, prudentia ac fortitudine præcellit.

(**B**) Præterea *cautiones* quædam præscribuntur ex can. 1061, 1062 : "Cautionem præstiterit conjux acatholicus de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, et uterque conjux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda. — Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento. — Cautiones regulariter in scriptis exigantur ".

---

[1] En formula facultatis a S. Officio Ordinariis harum regionum concessæ : " dispensandi, justis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium, aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento mixtæ religionis, et, si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam [quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicæ], quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, *et ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri...* ".

Quando propter varia adjuncta, certitudo moraliter acquiri non potest, jure exigi potest ut juramento promissiones firmentur [1]. Insuper conjux catholicus obligatione tenetur conversionem conjugis acatholici prudenter curandi.

3° De modo matrimonia mixta celebrandi.

957. (A) Etiam quando dispensatio concessa fuit, et necessariæ cautiones exhibitæ, jure communi parochus nonnisi assistentiam ad *validitatem* necessariam præstare potest, vitando ea omnia quæ religiosum ritum sapiunt. Sacerdos igitur, cum testibus, *extra ecclesiam, absque vestibus sacris, requirat et excipiat* [2] mutuum partium consensum, posteaque matrimonium in libro inscribat. *Codex*, can. 1102.

Nuptiæ in *sacristia* aut in *capella privata* ineantur [3], et sacerdos partes de consensu interroget easque matrimonio unitas declaret. Annuli benedictio et brevis allocutio de consensu Episcopi permitti potest [4].

Insuper, ubi ex hujusmodi assistentia gravia incommoda timentur, Episcopus permittere potest assistentiam magis activam, cum quibusdam religiosis ritibus, exclusa semper celebratione missæ ac proinde benedictione nuptiali [5]: juxta decretum *S. Offic.*, 17 jan. 1872, non solum in hoc casu prohibetur missa pro sponso et sponsa, sed etiam quælibet missa quæ haberi posset tanquam complementum cæremoniæ matrimonii [6]. — Unde in his omnibus Statuta et Episcopi præcepta fideliter sequetur parochus [7].

---

[1] Ita *S. Officium*, 17 febr. 1875, *Collect. P. F.*, n. 1437. — Imo, dispensationes nunquam impertiantur "nisi præstitis antea a nupturientibus cautionibus, quarum fidelem exsecutionem — etiam vi legum civilium, quibus alteruter subjectus sit, vigentium in loco actualis vel (si forte alio discessuri prævideantur) futuræ eorum commorationis — nemo præpedire valeat : secus ipsa dispensatio sit prorsus nulla et invalida". *S. Off.*, 14 jan. 1932.

[2] *Codex*, c. 1064, n. 4. ; *Com. Int. Cod.*, 10 mart. 1928. — [3] **Wernz-Vidal**, n. 561.

[4] *S. Offic.*, 17 jan. 1877, ap. **Gasparri**, n. 463; *Collect. P. F.* n. 1443.

[5] Instruct. **Antonelli**, 15 nov. 1858, *Collect. P. F.*, n. 1450; *Codex*, c. 1102.

[6] *S. Offic.*, 17 jan. 1872, **Gasparri**, n. 463; *Com. Int. Cod.*, 10 nov. 1925.

[7] In *Statibus Amer. Fœderatis*, modus assistendi matrimoniis mixtis ita describitur (*Excerpta*, ed. 8ª, p. 242-247) : "Sacerdos primum virum de consensu interroget in hunc modum : "*N. N., wilt thou take N. N. here present for thy lawful wife?* — Sponsus respondet : "*I will.* — Deinde mulierem : *N. N., wilt thou take N. N. here present for thy lawful husband?* — Sponsa respondet : *I will.* — Tunc junctis invicem dexteris sibi mutuam fidem dant sequenti formula, sponsus primo dicens : *I, N. N. take thee*, etc. ut supra (n. 885, not. 1). — Hisce peractis sacerdos dicet : *By the authority committed to me, I pro-*

958. (B) Ex can. 1063, *conjuges nequeunt vel ante vel post matrimonium*, coram parocho initum, *adire ministrum acatholicum*, nisi hic agat partes magistratus civilis, et lex id præscribat ad effectus civiles matrimonii assequendos. Jamvero partes agit civilis magistratus, quando non in templo, sed in aula, et absque vestibus sacris, conjuges recipit et alloquitur.

Pars catholica, quæ matrimonium init coram acatholico ministro, *uti sacris addicto*, graviter peccat, quatenus *in sacris* cum hæretico communicat ac scandalum præbet; et incurrit *excommunicationem* Ordinario reservatam [1]. — Unde "si parochus *certe* noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel jam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario" [2]. Si autem *certo* non scit eos hæreticum ministrum adituros, de lege Ecclesiæ silere potest, quando prævidet monitionem non esse profuturam, ad majora mala vitanda [3].

(C) Qua occasione quæsitum est etiam an liceat sacerdoti catholico tanquam *ministrum civilem* se habere in celebratione matrimonii duorum hæreticorum; jamvero *S. Officium* respondit [4], 20 dec. 1837 : "Licet hujusmodi interventus non ita reprobetur ut nunquam licitus esse possit, communiter tamen est dissuadendus". Attamen Præfectus *S. C. de Prop. Fide* scripsit Archiepiscopo Neo-Aurelianensi, 26 jan. 1895, id licitum esse, quia sacerdos est in hoc casu tanquam testis auctorizabilis.

N. B. — "Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis *qui notorie aut catholicam fidem abjecerunt*, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut *societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt.* — Parochus prædictis nuptiis ne assistat nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adjunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius judicet satis cautum esse catholicæ educationi universæ prolis et remotioni periculi perversionis alterius conjugis". (Can. 1065.)

"Si *publicus peccator* aut *censura notorie innodatus* prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia recon-

---

nounce you united in the bonds of matrimony. — Tunc sponsus annulum imponet in digito annulari sinistræ manus sponsæ, dicens : *With this ring I thee wed, and I plight unto thee my troth.* — Post hæc, sacerdos conjuges alloquatur verbis in Appendice additis, vel similibus...".

[1] *Codex*, c. 2319, § 1, n. 1.

[2] *Codex*, c. 1063, § 2.

[3] *S. Offic.*, 12 dec. 1888, ad Ep. Orientales, *Collect.*, n. 1444 (9).

[4] *Collect. P. F.*, n. 1523; cfr. n. 1525, ad 5.

ciliari recusaverit, parochus ejus matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium". (Can. 1066).

III. De impedimento cognationis legalis.

959. Multæ olim difficultates movebantur de *cognatione legali*, utrum necne esset impedimentum, et quo gradu. Solutionis principium tradit *Codex*, c. 1059, decernens hac in re sequendam esse legem civilem, ita ut in regionibus ubi cognatione civili nuptiæ redduntur illicitæ, jure canonico matrimonium sit pariter illicitum seu impedimentum prohibens, et quidem eodem gradu ac modo : "In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, jure quoque canonico, matrimonium illicitum est".

Sedulo igitur inspicienda est hac de re legislatio civilis. In *Gallia* adoptio legalis ut impedimentum *prohibens* habetur [1].

§ II. De impedimentis dirimentibus.

I. De impedimentis dirimentibus in genere [2].

Divisio. { Natura et divisio impedimentorum dirimentium.
Quinam eisdem subjiciantur?
Quænam causæ ab eis excusent? }

1° Natura et divisio impedimentorum dirimentium.

960. Natura. (A) "Impedimentum dirimens et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus *valide* contrahatur". (*Codex*, c. 1036, § 2).

(B) Impedimentum dirimens *directe contractum* afficit et *indirecte sacramentum*. Siquidem Ecclesia non potest sub-

[1] "Le mariage est prohibé : entre l'adoptant, l'adopté et ses descendants; entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant; et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté; entre les enfants adoptifs du même individu; entre l'adopté et les enfants qui pourraient survenir à l'adoptant". (*Cod. civ.*, a. 354; Loi du 19 juin 1923).

[2] **Sanchez**, lib. VII, disp. 1-6; **S. Alphons.**, n. 978-981 et n. 1008; **Feije**, n. 73-104; **De Angelis**, l. IV, t. I, n. 15-17; **Lehmk.**, n. 933-960; **Gasparri**, n. 244 sq.; **De Becker**, p. 49-53; **Genicot**, n. 477-482; **A. de Smet**, 463-484.

stantiam sacramenti directe attingere, i. e., mutare quod Christus ipse tanquam essentiale in sacramentis instituit; proinde, posito quod *consensus validus* sit materia et forma sacramenti Matrimonii, non potest efficere ut christiani, qui *valide* consentiunt, validas nuptias non contrahant. Sed determinare ac præscribere potest conditiones requisitas ut consensus matrimonialis sit validus, attento bono publico; id enim præstare valet in spirituali ordine quod Status in rebus temporalibus potest; jamvero Status præscribere potest, ob bonum publicum, quasdam conditiones ad contractus civiles perficiendos, quibus omissis, invalidus erit contractus; quod revera præstitit relate ad emptionem, venditionem, testamenta et alia hujusmodi. Ergo pariter Ecclesia determinare potest conditiones sine quibus matrimonialis consensus non erit validus.

Ecclesia autem, directe contractum attingendo, indirecte sacramentum attingit; cum enim materia et forma sacramenti sit ipse consensus matrimonialis, quoties contractus est invalidus, toties invalidum est sacramentum. Nec in hoc mutatur materia et forma sacramenti, quæ semper in *valido contractu* consistit; sed mutantur conditiones ad validitatem contractus necessariæ. Quod comparatione declaratur : si quis chimice dissolvit aquam baptismalem, eo ipso indirecte invalidat baptismum cum ea ministratum, quin tamen substantiam sacramenti mutet; ita Ecclesia, sua potestate dissolvendo consensum matrimonialem, seu potius impediendo ne hic valide præbeatur, non mutat substantiam matrimonii.

961. (C) *Finis* vero propter quem statuitur impedimentum dirimens, est modo generali ut *recte ac condigne ineatur matrimonium pro bono contrahentium et societatis;* proindeque ut efficaciter avertantur mala atque incommoda, quæ matrimonii sanctitatem et honestatem destruerent vel minuerent. Unde quædam impedimenta instituuntur : (a) propter bonum physicum aut spirituale conjugum, qualia sunt *consanguinitas*, præsertim in primis gradibus, *affinitas* aut *crimen;* (b) alia autem propter bonum publicum utriusque societatis, civilis et ecclesiasticæ; v. g., *cognatio* et *affinitas* in remotis gradibus, ut juvenes, extra consanguineos et affines contrahentes, communi vinculo coadunent familias cæteroquin dissitas; (c) alia tandem propter bonum religionis et sacramenti, qualia sunt *ordo*, *votum*, *ligamen*.

962. Divisio. (A) Quindecim olim recensebantur impedimenta dirimentia his versibus contenta :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta loco nec reddita tuto.

963. (B) Hodie vero, ex *Codice*, tanquam impedimenta *proprie dicta* habentur ea solum quæ *habilitatem* contrahentium afficiunt vel absolute vel relative; jamvero *tredecim* numerantur (can. 1067-1080) : *ætas, impotentia, ligamen, disparitas cultus, ordo, votum, raptus, crimen, consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis, cognatio legalis.*

964. (C) Sub diversis respectibus logice dividi possunt : (a) Ratione *legis* qua constituuntur : 1) alia sunt *juris naturalis*, si a Deo instituta sunt ut *auctore naturæ*, v. g., impotentia et consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ; 2) alia *juris divini positivi*, quando positiva lege divina statuta sunt, prout est *ligamen;* 3) *juris ecclesiastici*, quando auctoritate Ecclesiæ constituta sunt, qualia sunt *ordo, votum, cultus disparitas*, etc.

(b) Ratione *extensionis*, impedimenta sunt 1) *absoluta*, quando matrimonium dirimunt cum qualibet persona, v. g., votum, ordo, ligamen; 2) *relativa*, cum nuptias invalidant solum cum certis personis, v. g., cognatio, affinitas, crimen, etc.

(c) Ratione *finis* propter quem instituta fuerunt, impedimenta sunt : 1) juris *privati*, quæ statuuntur propter bonum *privatum* contrahentium, ita ut ipsis solis competat jus et officium impugnandi matrimonium, v. g., *impotentia;* 2) juris *publici*, quæ statuuntur propter bonum *commune*, seu propter christiani matrimonii sanctitatem, ita ut jus et officium matrimonium impugnandi competat non solum contrahentibus, sed etiam directe judici ecclesiastico et indirecte cuilibet personæ quæ tale impedimentum noverit; qualia sunt ætas, ordo, votum, etc. (*Codex*, c. 1971).

2° Quinam impedimentis dirimentibus subjiciantur?

965. (A) *Certum est omnes*, etiam hæreticos et infideles, ligari impedimentis juris *naturalis* et *divini positivi*, qualia sunt consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, ligamen, etc.; jus enim divinum, etiam mere positivum, omnes Dei subditos ligat.

Certum est pariter *infideles non directe* attingi per impedimenta *mere ecclesiastica*, cum Ecclesia de iis qui foris sunt non judicet, ac proinde pro eis leges non ferat. Infideles tamen *indirecte* per hæc attinguntur, quando scilicet contrahere volunt cum fidelibus, qui et ipsi vinculo ecclesiastico ligantur; nam ad nullitatem matrimonii sufficit ut unus e sponsis inhabilis sit ad contrahendum. (*Codex*, c. 1036).

966. (B) *Controvertebatur* olim num *hæretici*, *schismatici* et *apostatæ*, qui valide fuerant baptizati, impedimentis *mere ecclesiasticis* subjicerentur.

(a) Olim non pauci theologi et canonistæ, ut *Laymann* et *Schmalzgrueber* [1], negabant. Quamvis enim, aiebant, Ecclesia potestatem habeat ligandi filios etiam rebelles, de facto ligare non vult eos qui sunt membra Societatis ab Ecclesia prorsus separatæ, et nascuntur, non autem fiunt, hæretici. Non enim credibile est eam urgere velle leges quarum observantia impossibilis est, et ex quibus maxima damna necessario oriuntur; atqui leges ecclesiasticæ matrimonium dirimentes non possunt ab hæreticis servari, cum a plerisque ignorentur, et tanquam obligatoriæ non habeantur ab eis qui eas cognoscunt; aliunde si istis legibus ligantur hæretici, multa matrimonia invalida erunt: quod sane maximum est malum.

(b) Attamen, juxta hodiernos canonistas, sententia affirmativa omnino tenenda est, propter Ecclesiæ decisiones. — Exceptio tamen admittitur quoad schismaticos in Oriente degentes, qui jam per longa sæcula suas particulares leges hac de re habuerunt, tacentibus R. Pontificibus.

1) Pluries enim declaravit *Benedictus XIV*, sive implicite sive explicite, hæreticos ligari canonicis impedimentis. In Constit. *Matrimonia*, 4 nov. 1741, statuit matrimonia contracta, absque Tridentina forma, inter hæreticos vel inter partem hæreticam et catholicam in Belgio et Hollandia valida esse, *dummodo tamen non obstiterit aliud canonicum impedimentum;* ergo invalida sunt, si tale impedimentum obstiterit. Pariter in Const. *Singulari nobis*, 9 febr. 1749, ad Card. Eboracensem, declarat invalidum esse matrimonium inter *hebræum* et *hæreticam*, quia "exploratum est, ait, hæreticos quidem ab Ecclesiæ unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus quibus fruuntur in Ecclesia versantes, *non tamen ab ejus auctoritate et legibus liberari*".

2) Quod etiam constat ex agendi ratione Rom. Congregationum. Nam, quando ab hæresi vel schismate convertuntur conjuges impe-

[1] **Laymann**, l. V, tr. X, p. 2, c. 4, n. 7; **Schmalzgr.**, lib. I, tit. 1, n. 379-380.

dimento ecclesiastico irretiti, Sedes Apostolica eorum matrimonia sanat *in radice;* præterea speciales facultates Ordinariis concedit quoad hæreticos conversos, v. g., facultatem dispensandi in matrimoniis contractis cum hæreticis conversis in secundo simplici et mixto, id est, in secundo mixto cum tertio aut quarto; ergo supponit nuptias cum canonico impedimento initas esse invalidas.

3) Revera hujusmodi impedimenta jam promulgata erant quando modernæ hæreticorum sectæ natæ sunt, ideoque vim legis habebant ubi nunc hæresis grassatur; aliunde nihil probat Ecclesiam voluisse postea hæreticos ab his legibus eximere, sed e contra documenta jam allata contrarium potius evincunt. Et merito; secus enim Ecclesia favere videretur rebellibus filiis. — Aliunde *Codex* acatholicos eximit tantum a servanda catholica matrimonii forma, et a disparitate cultus. (*Codex*, cc. 1099, 1070).

Nec dicatur exinde maxima oriri incommoda; nam sæpe hodierni hæretici bona fide excusantur a peccato, dum matrimonium contrahunt cum impedimento canonico; si gratia sacramentali privantur, alias gratias recipere possunt, et, cum nuptias bona fide inierint, proles est legitima.

3° Quænam causæ ab impedimentis dirimentibus excusent?

967. (**A**) *Ignorantia etiam invincibilis non excusat ab impedimento dirimente*, quia ex *Codice*, c. 16, "*nulla* ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud *expresse* dicatur".

968. (**B**) *Neque ab impedimentis incurrendis* **regulariter** *excusat grave damnum contrahentium*, vel *impossibilitas dispensationem obtinendi;* nam leges irritantes, quæ propter bonum publicum feruntur, non cessant propter aliquod bonum privatum. Quod confirmatur ex responso *S. Officii* ad Vic. Ap. Japoniæ [1], 11 mart. 1868; siquidem expositum fuerat Christianos Japonenses, durante sæculari persecutione, bona fide matrimonia contraxisse cum impedimentis juris ecclesiastici; jamvero responsum est eos qui in bona fide perseverabant non esse inquietandos; alios vero consensum renovare teneri, vel, si id impossibile esset, supplicandum esse pro dispensatione *in radice;* ex quo infertur hæc matrimonia tanquam invalida a *S. Officio* habita fuisse.

[1] *Collect. P. F.*, n. 1226.

Dicitur *regulariter*, quia si quis in hoc casu omnino deberet a matrimonio abstinere, — quia v. g., agitur de muliere catholica quæ commoratur in regione ubi omnes juvenes sunt pagani, — impedimentum videtur probabilius cessare, cum jus naturale nubendi prævaleat juri ecclesiastico.

969. Corollarium : *Num licet contrahere cum impedimento dubio?* Juxta omnes, primum res serio investigari debet; si vero, post diligens examen, dubium supersit distinguendum est :

(**A**) Quoad **liceitatem.** (**a**) Si agitur de impedimento juris *naturalis* aut *divini* v. g., consanguinitatis, ligaminis, *regulariter* non licet nuptias inire : hic enim agitur de validitate sacramenti et quidem de defectu quem Ecclesia supplere nequit; ergo hic non licet, *ante factum*, opinionem probabilem sequi; et qui ita agit voluntarie et absque necessitate, sese exponit periculo castitatem violandi.

Dixi : *regulariter;* nam si agitur de impotentia quæ omne matrimonium excluderet, ab Ecclesia matrimonium permittitur : in dubio enim prævalet jus nubendi.

"Si impedimentum impotentiæ dubium sit, sive dubio juris, sive dubio facti, matrimonium non est impediendum" [1]. Quando vero agitur de *ligamine* vel *consanguinitate*, non licet; de priore dicitur : "non ideo licet aliud (matrimonium) contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et *certo* constiterit" (can. 1069, § 2); de consanguinitate, vide can. 1076, § 3.

(**b**) Si impedimentum est juris *ecclesiastici*, pariter distingui debet : 1) in dubio *juris*, utrum lex existat, contrahere licet; nam ex *Codice*, "leges etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent" [2]. Proinde *impedimentum ecclesiasticum dubium* dubio juris est impedimentum *nullum*.

2) In dubio *facti*, utrum, v. g., inter *A et B* sit gradus consanguinitatis vel affinitatis prohibitus, non licet contrahere, sed obtineri debet dispensatio *ad cautelam;* quam dispensationem Ordinarius dare potest, nam ex *Codice* "in dubio *facti* potest Ordinarius in eis dispensare dummodo

[1] *Codex*, c. 1068, § 2. — [2] *Codex*, c. 15.

agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet "[1]. Secus matrimonium periculo nullitatis exponitur absque sufficienti ratione, cum facile sit dispensationem ab Ordinario obtinere.

(**B**) Quoad **validitatem :** (**a**) si impedimentum *vere existit*, *non valet* matrimonium, nisi agatur de *dubio juris* circa impedimentum juris mere ecclesiastici, ut dictum est.

(**b**) Si impedimentum *non vere existit*, matrimonium valet, dummodo nupturientes, non obstante dubio, verum consensum dederint, volendo contrahere in quantum possunt.

970. Ordo sequendus. Quibus declaratis, exponemus : 1° impedimenta quæ contrahentium habilitatem *absolute* afficiunt ; 2° ea quæ eam *relative* tantum afficiunt.

II. De impedimentis absolute habilitatem contrahentium afficientibus.

Quinque sunt : *impotentia*, *ætas*, *ligamen*, *votum* et *ordo*. De impotentia vero agemus in *Supplemento*.

1° De impedimento ætatis[2].

971. (A) Statuitur. In *Codice*, c. 1067, ita declaratur : "Vir ante decimum sextum ætatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt ".

Ante *Codicem*, impedimentum ætatis existebat inter *impuberes*, et admittebatur exceptio *nisi malitia suppleat ætatem :* videlicet ut validum habebatur matrimonium inter impuberes initum, si simul adesset immediata potentia generandi et discretio ad intelligenda matrimonii officia.

972. (B) Declaratur. (**a**) Hodie vero ætas pubertatis differt ab ætate canonica ad matrimonium contrahendum : standum est igitur ætati a *Codice* præfixæ, nec amplius admittitur exceptio *nisi malitia suppleat ætatem*.

(**b**) Ætas debet esse *completa*, juxta normas in can. 34,

---

[1] *Codex*, c. 85.

[2] *Decret*. lib. IV, tit. 2, de Desponsat. impuberum; **Reiffenstuel, Schmalzgr., De Angelis, Santi,** aliique Canonistæ in hunc titul.; **S. Alphons,**. n. 1065-1067; **Gasparri,** n. 491-509; **Vermeersch-Creusen,** t. II, n. 313-314.

§ 3, n. 3 traditas; si, v. g., puella nata fuerit die 20 Januarii 1913, non potest valide nubere ante diem 21 Januarii 1927.

Hæc ætas *requiritur* et *sufficit;* unde valide contrahunt qui præfixam ætatem attigerunt, etiamsi nondum haberent capacitatem copulam habendi.

(c) *Ratio legis* est quia ante hanc ætatem præsumitur deesse illa perfecta discretio quæ ad intelligenda matrimonii officia desideratur; et insuper omnino decet ut nuptiæ non permittantur juvenibus antequam maturior ætas eos capaces efficiat omnia matrimonii onera rite sustinendi.

(d) Impedimentum ætatis lapsu temporis sponte sua evanescit; sed matrimonium nullum propter defectum ætatis, non validatur per solam adeptionem ætatis, sed necesse est ut consensus renovetur post adeptam ætatem canonicam.

973. (C) Quo jure ætas inhabilitatem producat. Impedimentum ætatis, prout fuit expositum, est solum *juris ecclesiastici.* Jus *naturale* irritat quidem matrimonia quæ contrahuntur absque sufficienti discretione, sed non ea quæ ineuntur ab eis qui jam connubii officia intelligunt.

Hinc : (a) inter non baptizatos, posita judicii maturitate, valet matrimonium ante ætatem canonicam initum : quod practicum est, non quidem in nostris regionibus, sed in multis Catholicis missionibus Indiæ et Sinensis imperii, ubi frequenter ineuntur matrimonia inter impuberes.

(b) Ecclesia ab hoc impedimento dispensare valet, statim ac adest sufficiens discretio; sed dispensatio rarissime conceditur, nonnisi ob gravissimam causam, v. g., reconciliationem duarum nationum aut familiarum, et sub conditione ne contrahentes cohabitent antequam ad nubilem ætatem pervenerint. Concedit etiam missionariis ut dispensent ad cautelam in dubio facti.

974. (D) Notanda pro praxi. Quamvis matrimonium validum sit statim ac ætas canonica attingitur, non expedit illico contrahere; sed maturiorem ætatem exspectare juvat, ne præcociori matrimonii usu vires conjugum exhauriantur, ac debilis proles generetur; ne pariter sponsi careant illa prudentia quæ ad rectam sobolis educationem desideratur. Aliunde tempus nuptiarum nimis differri non debet, ne forte juvenum mores corrumpantur. Qua in re ad varias locorum consuetudines et conditiones attendendum est : in

calidioribus locis ocius, in frigidioribus serius maturitas acquiritur. (*Codex*, c. 1067.)

2° De impedimento ligaminis[1].

975. 1° Notio. *Codex*, c. 1069, de hoc impedimento statuit : " Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, — quanquam non consummati, salvo privilegio fidei. — Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit ".

Ligamen itaque est vinculum matrimoniale ex aliis nuptiis validis ortum et nondum solutum. Hoc impedimentum dirimit subsequens matrimonium *jure divino*, cum, ex dictis, polygamia sit *jure divino* prohibita.

Hinc etiam Infideles eo ligantur, et, quando ad fidem convertuntur, unam tantum uxorem retinere possunt : hæc debet esse regulariter *prima* uxor legitima ; sed, quoniam in quibusdam regionibus primam reperire impossibile est, conversus remanere potest cum uxore baptizata tanquam cum uxore legitima, quamvis non sit prima. Insuper conjux conversus, quando non potest infidelem partem invenire et interpellare, permittitur alias nuptias inire, quæ validæ sunt, etiamsi postea innotuerit aliam partem ad veram fidem tempore secundi matrimonii conversam fuisse. Utrum id fiat vi privilegii *Paulini*, vel potestate R. Pontifici concessa solvendi matrimonium in infidelitate contractum et post baptisma non consummatum, controvertitur, ut supra, n. 765, expositum est.

Quoad fideles autem, hoc impedimentum est indispensabile, quando oritur ex matrimonio *rato* et *consummato*.

976. 2° De probationibus requisitis ad novum matrimonium ineundum. Qui primum inivit matrimonium non potest aliud contrahere, nisi de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

Solvitur autem matrimonium : *privilegio Paulino*, de quo supra (n. 757); — *dispensatione S. Pontificis*, vel *professione religiosa*, quando matrimonium non fuit consummatum (supra, n. 766) : quo casu exhiberi debet authenticum

[1] *Decretal.*, lib. IV, tit. 4 de Sponsa duorum ; **Sanchez**, lib. VII, disp. 80 ; **Schmalzgr.**, l. IV, tit. 4, n. 1-28 ; **S. Alphons.**, n. 1060 ; **Mansella**, p. 97-124 ; **Gasparri**, n. 625-634, **Lehmk.**, 970-972 ; **A. de Smet**, 563-567 ; **H. Ayrinhac**, 140-143 ; **Verm.-Creus.**, II, n. 318-319 ; **Prümmer**, 805-807.

testimonium dispensationis a S. Pontifice concessæ, vel professionis religiosæ alterius partis, cum probatione non-consummationis matrimonii a curia episcopali confecta secundum juris regulas, et a Romana curia probata; — vel tandem *morte alterius conjugis*. — De *nullitate* vero prioris matrimonii potest constare per sententiam judicialem.

De his duobus posterioribus modis pauca adnotanda sunt.

(**A**) Ut prius matrimonium authentice *declaretur invalidum*, regulariter *duplex* debet esse *sententia judicialis* nullitati favens, ex Constit. Bened. XIV *Dei miseratione* et ex c. 1986-1987. Attamen, ex c. 1990-1992, matrimonium poterit ab Ordinario declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, et absque solemnitatibus in *Codice* (cc. 1960-1989) statutis : (**a**) quando agitur de impedimento *disparitatis cultus*, et evidenter constat unam partem esse baptizatam, et alteram non fuisse baptizatam; (**b**) quando agitur de impedimento *ligaminis*, et certo constat primum conjugem esse legitimum et adhuc vivere; (**c**) quando agitur de *consanguinitate* et *affinitate*, aut etiam de *cognatione spirituali*, aut de impedimento *ordinis vel voti solemnis castitatis;* dummodo ex *certo* et *authentico* documento evidenter constet de existentia hujusmodi impedimentorum, simulque pari certitudine appareat dispensationem non fuisse concessam [1]. Item si forma præscripta servata non sit ubi servari debebat, nullus processus requiritur, nec interventus defensoris vinculi, sed casus resolvendus est ab Ordinario, vel parocho, consulto Ordinario (*Com. Int.*, 16 oct. 1919) : tunc enim matrimonium nec *speciem* habet matrimonii.

977. (**B**) In casu *mortis primi conjugis*, requiritur *moralis certitudo* de ejus obitu, ita ut graviter peccet qui novum matrimonium contrahit sine tali certitudine, etiamsi de facto prior conjux defunctus esset.

Ad hanc autem certitudinem obtinendam, non sufficit sola conjugis absentia per multos annos, nisi alia accedant positiva indicia. Hinc, juxta Instruct. *S. Officii* [2], 13 mai 1868, hæc methodus se-

[1] *Codex*, cc. 1990-1992; *Com. Int.*, 16 jun. 1931.
[2] *Acta S. Sedis*, VI, p. 436-441; **Gasparri**, t. II, p. 523.

quenda est: (a) imprimis *documentum authenticum* obitus diligenter exquiratur ex regestis parœciæ vel xenodochii vel militiæ, vel, si haberi nequeat ab ecclesiastica auctoritate, a Gubernio civili loci in quo persona obierit. (b) Si tale documentum haberi nequit, audiantur *testes*, saltem *duo*, jurati, fide digni, qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus aliasque substantiales circumstantias. (c) Interdum *unus* testis admittitur, dummodo sit immediatus, omni exceptione major, ejusque depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; aut, si extrinseca adminicula desint, ejus testimonium sit ex omni parte congruum et verisimile. (d) Si non sunt testes oculati, accipi potest testimonium eorum qui, cæteroquin fide digni, testificantur se, tempore non suspecto, mortem conjugis ex aliis audivisse, dummodo eorum dicta aliis in casu occurrentibus circumstantiis respondeant. (e) Si ne unus quidem reperitur testis, qualis supra, probatio obitus ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscumque caute investiganda est, quæ haberi poterunt, a conjunctis, amicis, vicinis et notis utriusque conjugis [1]. Neque, si opus fuerit, prætereunda erit investigatio per publicas ephemerides, datis eorum directori omnibus necessariis personæ indiciis, nisi prudentia id prohibuerit. Non permittatur autem novum matrimonium nisi maxima probabilitas, seu moralis certitudo obtineatur.

Igitur, *in praxi*, parochus novis nuptiis assistere potest, nulla petita Ordinarii licentia, dummodo constet de obitu prioris conjugis per *authenticum* documentum aut rei *evidentiam* in loco. Quod si in longinqua regione mortuus est et desit authenticum instrumentum, debet rem remittere Ordinario cujus erit probationes colligere et perpendere. Si vero res sit dubia, ad Ordinarium recurrat, qui et ipse, quando res implexa videtur, casum S. Sedi exponat.

978. 3° De ratione agendi post secundum matrimonium initum. (A) Si quis de facto secundas nuptias inierit *mala fide*, cum *probabili* ac *serio* dubio de morte prioris conjugis, debitum quidem reddere tenetur alteri conjugi, qui in bona fide versatur, sed petere non potest, quia æquiparatur possessori malæ fidei. Si tamen dubium *leve* fuerit, et,

[1] De quibus lege cit. Instruct. — Ita, ex decreto *S. Officii*, 20 jul. 1898 (*Acta S. Sedis*, XXXI, p. 252), facultas concessa est Episcopis Italis concedendi documentum libertatis uxoribus militum, qui apud *Aduam* in Africa pugnaverunt, et quorum nulla supererat memoria, non obstantibus investigationibus a Gubernio peractis.

inquisitione facta, nullum probabile indicium inventum fuerit quod prior conjux supervixerit, debitum reddere ac petere licet, quia tunc habetur maxima probabilitas, quæ morali certitudini æquivalet.

(B) Si ambo conjuges *bona fide* contraxerint, et dubium postea supervenerit, diligenter res investigari debet; sed, si, inquisitione facta, dubium manet, dubitanti licet petere ac reddere debitum; cum enim sit possessor bonæ fidei, jure suo non est privandus, donec certo moraliter constet possessionem esse injustam [1].

(C) Si tandem certo moraliter constat priorem conjugem adhuc vivere, secundum matrimonium nullum est, ideoque dissolvi debet; et ad priorem conjugem revertendum est. — Attamen proles, ex secundo matrimonio genita, ut legitima habetur, propter bonam fidem parentum.

N. B. Ex can. 2356, "bigami, i. e., qui, obstante conjugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt *ipso facto infames;* et, si spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur".

3° De impedimento voti [2].

979. (A) **Notio.** Duo sunt vota quæ matrimonium non solum illicitum, sed etiam invalidum reddunt : —

(a) *Votum solemne castitatis* perfectæ in Ordine religioso ut solemni approbato valide emissum : "Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel *regulares castitatem solemniter professos*, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse... A. S." [3]. 1) Illud votum debet esse *solemne*, non simplex, proindeque vota simplicia, quæ in Ordinibus religiosis post novitiatum emittuntur, per triennium duratura, non dirimunt matrimonium. 2) Emitti

[1] Ita inferri potest ex responso *S. Officii*, 22 mart. 1865, ad 2um, *Collect. Paris.*, n. 973, et ex Instruct. *S. C. Prop. F.*, 1792, ibid., n. 971.

[2] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 53, a. 2; *Decretal.*, l. IV, t. 6, Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt; **Sanchez**, lib. VII, disp. 25-26; **S. Alphons.**, n. 1024-1026; **Ball. P.**, n. 620-623, ed. 3; **Feije**, n. 514-530; **Gasparri**, n. 564-576; **H. Ayrinhac**, 152; **Prümmer**, 814-816; **Verm.-Creus.**, n. 324; **Wernz-Vidal**, n. 294-305.

[3] *Trident.*, sess. XXIV, can. 9.

debet in *Ordine* religioso ut *solemni* approbato; antiquitus non erant nisi Ordines hujusmodi; sed hodie multæ sunt Congregationes, præsertim mulierum, in quibus non emittuntur nisi vota *simplicia*, quæ matrimonium quidem prohibent (supra, n. 939), sed non irritant. 3) *Validum* esse debet, i. e., libere emissum, et servatis de jure servandis ad validitatem religiosæ professionis.

(b) *Vota simplicia scholasticorum et coadjutorum Societatis Jesu*, post biennium novitiatus emissa, vi specialis privilegii a *Gregorio XIII* concessi [1]; potest tamen Generalis ab eis dispensare.

Utrumque ita sancivit *Codex*, c. 1073 : "Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota solemnia professi sunt, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicæ præcepto vis addita sit nuptias irritandi".

980. (B) Pœnæ contra Regulares matrimonium attentantes. Excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam incurrunt Regulares vel Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere, etiam mere civiliter, præsumentes, necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes [2]. Attamen, cum dicatur *præsumentes*, ab hac censura excusat ignorantia etiam crassa seu supina, non tamen affectata [3].

981. (C) Quo jure votum solemne dirimat matrimonium? Communiter hodie traditur, contra paucos antiquos Canonistas, votum solemne non dirimere matrimonium jure divino, sed *solum jure ecclesiastico*. Nam (a) votum simplex matrimonium non irritat; atqui ipsa solemnitas voti certo a jure ecclesiastico oritur, non autem a jure divino. (b) Aliunde historia constat hoc impedimentum successive inductum esse in Ecclesiam; ita tempore *Gregorii Magni*, cautum est ut monachi regulæ desertores ad monasterium etiam inviti reducerentur; initio sæc. XII, decretum est in Conc. *Lateranensi I* ut irrita forent eorum conjugia; et in *Lateranensi II*, 1139, idem declaratum est quoad monialium connubia [4]. (c) Tandem Ecclesia aliquando in hoc impedimento dispensat; ita *Pius VII* cum multis monachis ac monialibus solem-

[1] Constit. *Ascendente Domino*, 25 maii 1584. Hoc privilegium ad alios Ordines non extenditur. Nota tamen vota simplicia Jesuitarum non dissolvere matrimonium ratum antea contractum.

[2] Ita *Codex*, c. 2388. — [3] *Codex*, c. 2229.

[4] Cfr. **De Angelis**, lib. IV, tit. 6, n. 6; **Esmein**, I, p. 269-283.

niter professis dispensavit, ad revalidanda matrimonia sacrilege inita tempore Gallicæ perturbationis.

Solus Pontifex potest a voto solemni castitatis dispensare. Sed *Codex* concedit Ordinariis facultatem dispensandi super impedimentis etiam publicis juris ecclesiastici (excepto sacro Presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ matrimonio consummato), proindeque etiam voto solemni castitatis, urgente mortis periculo, remoto scandalo [1].

4° De impedimento ordinis [2].

982. (A) Notio et existentia. *Ordo sacer seu major, valide et libere susceptus, dirimit subsequens matrimonium, saltem in Ecclesia Latina.* Ita ex *Tridentino* superius (n. 980) allato, necnon ex *Codice* [3].

Sed hujusmodi lex multo antiquior est Conc. Tridentino. Cum enim Christus et Apostoli, tum verbis tum exemplis continentiam laudavissent, a primis Ecclesiæ temporibus multi clerici virginitatem servarunt, uxorati paulatim a statu clericali remoti sunt, aut, post susceptos ordines sacros, ab uxoribus separati vixerunt; et ita, sensim et sine sensu lex cœlibatus consuetudine introducta est, ac ordo sacer ut impedimentum dirimens habitus est. Et merito; nam, ut fusius exponitur in *Tr. de Variis Statuum Obligationibus*, omnino decet ut clerici majores a matrimonio abstineant, tum quia status continentiæ pro Deo susceptus perfectior est statu matrimoniali, tum quia virginitatem colentes se totos totasque vires suas Dei servitio et animarum saluti devovere possunt, cum domesticis curis non sint irretiti. — Juxta *S. Thomam*, matrimonium clericorum apud Latinos dirimitur non solum *vi ordinis*, sed etiam ex *voto continentiæ* sacris ordinibus annexo [4].

983. Dicitur (a) *ordo sacer*, i. e., in Ecclesia Latina [5] subdiaconatus aliique ordines superiores. — Hinc clerici minores possunt

---

[1] *Codex*, c. 1043.

[2] **S. Thomas**, *Supplem.*, q. 53, a. 3-4; *Decretal.*, l. IV, tit. 6, Qui clerici vel voventes matrim. contrahere possunt; **Sanchez**, lib. VII, disp. 27-31; **S. Alphons.**, 1058-1059; **Carrière**, n. 787-802; **Ball. P.**, n. 763; **Gasparri**, n. 577-585; **H. Ayrinhac**, 151; **Prümmer**, n. 817-821; **Verm.-Creus.**, II, 323.

[3] "Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti". (*Codex*, c. 1072.)

[4] *Supplem.*, q. 53, a. 3. — Revera **Bonifacius VIII** (cap. unic. de Voto, in 6°) ait : "Declarandum duximus illud solum votum dici debere *solemne*, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod *solemnisatum fuerit per susceptionem sacri ordinis*, aut per professionem"...

[5] Apud nonnullas Orientales Ecclesias, subdiaconatus inter minores ordines computatur, sed ubique diaconatus ut ordo sacer habetur. Cfr. **Gasparri**, n. 591.

valide nubere, sed uxorem ducendo ipso jure e statu clericali decidunt. (Can. 132, § 2).

(b) *Saltem in Ecclesia Latina;* nam, quamvis apud Maronitas et Italo-Græcos ordo sacer dirimat subsequens matrimonium, controvertitur utrum idem dicendum sit relate ad omnes Orientales. Probabilior videtur sententia affirmans. Unde si qui schismatici, matrimonio post sacram ordinationem contracto, convertuntur, puniri quidem debent, quia contra canones nupserunt, sed quæstio de validitate eorum matrimonii ad S. Sedem referri debet.

(c) Ordo sacer matrimonium *subsequens* dirimit, non autem antea contractum, etsi ratum tantum, sed solum ejus usum prohibet in Ecclesia Latina. Insuper, "conjugatus qui sine dispensatione apostolica ordines majores, licet bona fide, suscepit, ab eorumdem exercitio prohibetur" (can. 132, § 3). Apud Orientales, clerici in sacris, episcopis exceptis, uti possunt matrimonio prius valide contracto.

(d) *Ordo libere susceptus;* nam, ex can. 214, "clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subjicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratificationis defectu, sententia judicis redigatur, sine ullis cælibatus ac horarum canonicarum obligationibus. — Coactio autem et defectus ratihabitionis probari debent ad normam can. 1993-1998".

984. (B) Quo jure matrimonium dirimat? *Jure ecclesiastico* tantum; nam jus divinum, quamvis virginitatem laudans, eam tamen Ecclesiæ ministris non præcepit. Hinc S. Pontifex, et quidem solus, ab hoc impedimento dispensare potest; id tamen facere non solet, nisi gravissima de causa : v. g., ad bonum publicum; ita *Casimirus*, diaconus et Cluniacensis monachus, rex Poloniæ factus, a *Benedicto IX* dispensationem obtinuit, ut uxorem ducere posset; — vel ad vitanda majora incommoda, prout factum est tempore Gallicanæ perturbationis quoad clericos qui civiliter nuptias inierant [1]. — Præterea, *Codex* facultatem concedit Ordinariis dispensandi cum diaconis et subdiaconis, non autem pres-

[1] Attamen **Pius VII** noluit revalidare matrimonium *Talleyrand*, Episcopi Augustodunensis. Revera subdiaconis et diaconis raro, presbyteris rarissime, Episcopis nunquam dispensatio conceditur. Quoties conceditur, injungitur ut clericus in statum laicalem redactus ordines susceptos nullatenus exercere possit; obligatio autem breviarii in alia opera bona commutatur.

byteris, in articulo mortis, ut valide ac licite matrimonium contrahere possint, ad consulendum conscientiæ et, si casus ferat, legitimationi prolis[1].

985. (C) Pœnæ contra hujus legis violatores latæ. Excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam incurrunt clerici in sacris constituti qui matrimonium contrahere præsumunt, necnon personæ cum eis contrahere præsumentes, ut supra (n. 980) dictum est de Regularibus.

III. De impedimentis quæ habilitatem contrahentium relative afficiunt.

Sex dantur impedimenta hujusmodi : *cognatio*, *affinitas*, *honestas publica*, *cultus disparitas*, *raptus et crimen*. Cognatio autem triplex est : *naturalis*, seu consanguinitas, quæ a generatione carnali; *spiritualis*, quæ ex *regeneratione* per baptismum; *legalis*, quæ ex adoptione oritur : de quibus seorsim dicendum.

1° De impedimento consanguinitatis[2].

986. (A) Notio. (a) Consanguinitas (*sanguinis unitas*) est propinquitas personarum ab eodem stipite, seu progenitore, descendentium; seu fusius *vinculum* existens *inter personas*, *quarum una descendit ab alia*, vel *quæ ambæ ab eadem*, *tanquam a communi et proximo stipite*, *per carnalem generationem descendunt.*

(b) *Declaratur.* 1) Consanguinitas existit tum inter personas, quarum una descendit ab alia, sive *immediate* ut filia a patre, sive *mediate*, ut neptis ab avo; tum inter personas, quæ a communi stipite descendunt, quamvis non una ab alia, sicut frater et soror, qui ab eodem patre oriuntur, consobrinus et consobrina, ab eodem avo.

2) Communis stipes potest esse vel pater vel mater; nec ad consanguinitatem requiritur ut ambo ab eodem patre et matre descendant.

---

[1] *Codex*, c. 1043.

[2] **S. Thomas**, Supplem., q. 54; *Decretal.*, l. IV, t. 14, De consanguinitate et affinitate; **Sanchez**, l. VII, disp. 50-53; **S. Alphons.**, n. 1029-1030; **Ball. P.**, n. 654-665; **Noldin**, n. 567-574; **Gasparri**, n. 662-684; **Deshayes**, *Nouvelle Méthode pratique pour la recherche des empêchements de Consanguinité*, Paris, 1898; **A. de Smet**, 594-612; **Prümmer**, n. 827-834; **Verm.-Creus.**, II, n. 328-332; **F. Cimetier**, art. *Parenté*, *D. T.*, XI, 1995 sq.

3) Requiritur tamen ut stipes sit proximus, non autem omnino remotus; nam virtus stipitis eo debilior efficitur quo per plures generationes derivatur; ideoque, si stipes est valde remotus, personæ ab eo dimanantes jam non sunt consanguineæ nisi lato sensu.

4) Carnalis generatio, sive licita sive illicita, est veluti fundamentum hujus consanguinitatis, et medium quo sanguis communis transmittitur; unde duplex est consanguinitas : legitima et illegitima.

987. (c) Tria igitur in consanguinitate distinguenda sunt : *stipes, linea, gradus.* 1) *Stipes* est persona (sive pater sive mater) a qua tanquam a radice consanguinei originem ducunt : ita fratres communem stipitem habent patrem vel matrem vel utrumque.

2) *Linea* est series personarum, quæ ab eodem stipite oriuntur. Duplex est : *recta* et *collateralis;* prior est series personarum, quarum una ab altera descendit, ideoque complectitur *ascendentes*, quales sunt pater, avus, proavus, etc., et *descendentes*, nempe filius, nepos, pronepos, etc. Vide *arborem genealogicam.* — Linea *collateralis* seu *obliqua*, aut *transversalis*, est series personarum quæ ab eodem stipite descendunt, sed non una ab altera; v. g., frater et soror, consobrinus et consobrina, etc. Quæ linea est *æqualis*, quando consanguinei a communi stipite æqualiter distant, ut frater et soror, consobrinus et consobrina; *inæqualis* autem, quando unus magis et alter minus a communi stipite distat, v. g., avunculus et neptis.

3) *Gradus* est mensura distantiæ inter personas consanguineas et communem stipitem a quo originem ducunt; ita frater et soror sunt in primo gradu consanguinitatis collateralis, quia uno gradu a communi stipite distant.

988. (B) **De computatione graduum.** Non idem est modus computandi hos gradus in jure canonico ac in jure civili Romano aut plerisque modernis civilibus legibus [1]. Methodum canonicam tradimus, quæ dicitur etiam

[1] In linea recta jus canonicum et civile consentiunt; sed in linea collaterali, magnum est discrimen; siquidem, juxta jus Romanum, tot sunt gradus quot sunt generationes ex *utraque* parte, ita frater et soror, jure civili, sunt secundo gradu; frater et neptis ex sorore sunt in tertio, frater et filia neptis in quarto, etc. Cfr. **Gasparri, n. 664.**

Teutonica seu *Germanica*, quia Ecclesia eam a Germanis recepit.

(**a**) In linea *recta*, *tot sunt gradus quot generationes*, seu, aliis verbis, *tot sunt gradus quot personæ*, *solo dempto stipite;* ita pater et filia sunt in primo gradu, avus et neptis in secundo gradu, proavus et proneptis in tertio gradu, etc.

Si quis, v. g. Thomas (sch. 1), descendat ab uno stipite, v. g. Prisca, duplici via inæquali, v. g. Cletus-Prisca et Caia-Zoe-Prisca, duæ sunt consanguinitates, quarum sola proximior (Cletus-Prisca) attendenda est.

(**b**) In linea *collaterali æquali*, personæ eo gradu distant inter se quo distant a communi stipite, seu *tot sunt gradus quot personæ in una linea*, *dempto stipite;* v. g., frater et soror (in schemate 2 Maria et Joannes) sunt in primo gradu; eorum filii (Paulus et Anna) in secundo; eorum nepotes (Rosa et Marcus) in tertio.



989. (**c**) In linea *collaterali inæquali*, personæ eo gradu distant inter se quo illarum remotior distat a communi stipite, seu tot sunt gradus quot personæ in linea longiore, dempto stipite; ita in schemate 2 Joannes et Rosa sunt in tertio gradu, quia remotior persona, nempe Rosa, tribus generationibus distat a Petro, communi stipite.

Sed, ex superius dictis (988, a) si in altera vel utraque linea datur duplex via inæqualis, via brevior attendenda est. Sic Thomas et Rosa consanguinei sunt in secundo gradu (Thomas-Cletus-Prisca) mixto cum tertio, et non in tertio simplici.

Attamen, juxta stylum Cancellariæ, aliquando necesse est, quando dispensatio petitur, exprimere etiam gradum propinquiorem; quod ita exponitur : Joannes et Rosa consanguinei sunt in tertio gradu *mixto* cum primo, seu in tertio tangente primum lineæ collateralis inæqualis.

990. (**d**) In schemate sequenti, lingua gallica, omnes personæ consanguineæ indicantur cum quibus *N.* invalide contraheret.



In linea recta : tous ses ascendants (mère 1, grand'mère 2...) et tous ses descendants (fille 1, petite fille 2...)

In linea collaterali æquali : sa sœur (1), sa cousine germaine (2), sa cousine issue de germain (3).

In linea collaterali inæquali : sa tante (du 2 au 1), sa nièce (du 2 au 1), sa grand'tante (du 3 au 1), sa petite-nièce (du 3 au 1), sa tante à la mode de Bretagne (du 3 au 2), sa nièce à la mode de Bretagne (du 3 au 2).

990 bis. Hic subjicimus arborem consanguinitatis, et nomina consanguineorum usque ad tertium gradum.



991. Nomina consanguineorum usque ad tertium gradum.

		LATINE	ITALICE	GALLICE	ANGLICE	GERMANICE
Nomina ascendentium in linea recta	1	Pater	Padre	Père	Father	Vater
		Mater	Madre	Mère	Mother	Mutter
	2	Avus	Nonno, Nonna	Aïeul	Grand father	Grossvater
		Avia	Avolo, Avola	Aïeule	Grand mother	Grossmutter
	3	Proavus	Bisnonno, Bisnonna	Bisaïeul	Great grand father	Urgrossvater
		Proavia	Bisavolo, Bisavola	Bisaïeule	Great grand mother	Urgrossmutter
Nomina descendentium in linea recta	1	Filius	Figlio	Fils	Son	Sohn
		Filia	Figlia	Fille	Daughter	Tochter
	2	Nepos	Nepote	Petit-fils	Grandson	Enkel
		Neptis	Nepote	Petite-fille	Granddaughter	Enkelin
	3	Pronepos	Pronepote	Arrière petit-fils	Great grandson	Urenkel
		Proneptis	Pronepote	Arrière petite-fille	Great granddaughter	Urenkelin
Consanguinei in linea collaterali æquali	1	Frater	Fratello	Frère	Brother	Bruder
		Soror	Sorella	Sœur	Sister	Schwester
	2	Consobrinus	Cugino carnale	Cousin germain	First cousin	Geschwisterkinder
		Consobrina	Cugina carnale	Cousine germaine	id.	id.
	3	Sobrinus	Cugino	Cousin issu de germain	Second cousin	andere Geschwisterkinder
		Sobrina	Cugina	Cous. issue de germain	id.	id.
Consanguinei in linea collaterali inæquali	2/1	Avunculus	Zio materno	Oncle maternel	Maternal uncle	Oheim (Muttersbruder)
		Matertera	Zia materna	Tante maternelle	Maternal aunt	Muhme (Mutters schwester)
		Patruus	Zio paterno	Oncle paternel	Paternal uncle	Onkel (Vatersbruder)
		Amita	Zia paterna	Tante paternelle	Paternal aunt	Tante (Vatersschwester)
		Nepos	Nipote	Neveu	Nephew	Neffe
		Neptis	Nipote	Nièce	Niece	Nichte
	3/1	Patruus magnus	Fratello dell' avolo	Grand oncle paternel	Great uncle	Grossonkel (Gr. Vat. bruder)
		Amita magna	Sorella dell' avolo	Grand'tante paternelle	Great aunt	Grosstante (Gross V. schwester)
		Avunc. magnus	Fratello dell' avola	Grand oncle maternel	Gdmother's brother	Grossoheim [Gr. M. bruder)
		Matertera mag.	Sorella dell' avola	Grand'tante maternelle	Gdmother's sister	Gr. muhme (Gr. M. schwester)
		Pronepos	Pronipote	Petit-neveu	Grand-nephew	Grossneffe
		Proneptis	Pronipote	Petite-nièce	Grand-niece	Crossnichte
	3/2	Filius aut filia consobrini vel consobrinæ	Figlio o figlia d'un cugino (o cugina) carnale	Neveu ou nièce à la mode de Bretagne	Son or Daughter to first cousin	Sohn oder Tochter eines Geschwisterkindes
		Consobrinus aut consobrina patris vel matris	Cugino (o cugina) carnale del padre o della madre	Oncle ou tante à la mode de Bretagne	First cousin to the father or to the mother	Geschwisterkind des Vaters oder der Mutter

992. (C) De extensione impedimenti consanguinitatis.

(a) Extensio hujus impedimenti diversa fuit secundum diversa tempora : primis Ecclesiæ sæculis vigebat impedimentum in gradu primo tangente secundum, videlicet inter patruum vel avunculum et neptem, inter amitam vel materteram et nepotem, non autem in secundo æquali; labente sæc. IV, impedimentum inter consobrinos statui incepit; postea inter sobrinos; deinde usque ad septimum gradum civilem; tandem usque ad septimum gradum canonicum; quod quidem præsertim statutum est ad jungendas vinculo matrimoniali, proindeque vinculo caritatis, familias vel gentes inter se dissitas. Cum tamen tam late extensa matrimonii prohibitio multis difficultatibus obnoxia esset, et non pauca matrimonia invalida redderet, propter difficultatem remotos gradus cognoscendi, *Conc. Lateranense IV* hoc impedimentum limitavit ad quartum gradum inclusive in linea collaterali [1].

(b) Consanguinitas licita vel illicita in linea *recta* matrimonium dirimit usque in infinitum; in linea autem *collaterali* olim dirimebat usque ad *quartum* gradum inclusive; sed ex *Codice*, c. 1076, dirimit usque ad *tertium* gradum, et quidem ita ut impedimentum *toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur* [2].

993. (D) De ratione impedimenti consanguinitatis. Triplex præsertim est ratio propter quam hoc impedimentum statutum est : (a) *bonum sociale*, ut matrimonii vinculo colligentur familiæ ac civitates non solum extraneæ, sed etiam cæteroquin dissociatæ; quæ quidem ratio præsertim Medio Ævo valebat, dum sæpe hostilitas vigeret non solum inter nationes ad invicem, sed etiam inter civitates et oppida; tunc enim maxime expediebat ut cives unius oppidi cum civibus alius civitatis contraherent, ad facilius inimicitias extinguendas. Hodie quidem eadem non est socialis conditio; nihilominus lex hujusmodi diffusioni amicitiæ favet.

---

[1] Cfr. **Esmein**, I, p. 336-356.

[2] "§ 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.

§ 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineæ in aliquo gradu lineæ rectæ aut in primo gradu lineæ collateralis". (Can. 1076).

(**b**) *Bonum morale;* nam, si consanguinei facile inter se nubere possent, frequens occasio daretur concupiscentiæ indulgendi; siquidem, ex una parte, sæpe consanguinei sub eodem tecto vivunt, eidem assident mensæ, ac frequenter se mutuo invisunt; ex altera, facilius peccata committuntur inter eos quibuscum futurum contrahendi matrimonium spes fovetur; unde valde expedit ut ablata spe matrimonii refrenetur amor carnalis inter consanguineos.

(**c**) *Bonum etiam physicum prolis :* experientia enim constat matrimonia inter consanguineos, nisi ambo sint omni corporali vitio expertes, et viribus ac juventute florentes, vel parum fœcunda esse, vel ex eisdem sæpe oriri filios surdos aut mutos, vel idiotas, aut cæcos, aut deformes, vel nervoso morbo laborantes. Si enim duo conjuges, iisdem defectibus ac morbidis tendentiis vexati, simul conferunt ad generationem prolis, hujusmodi vitia in sobole generatim duplicabuntur; dum conjuges, e diversis familiis orti, ita in invicem influxum exerunt, ut pars sanior alterius debilitatas vires suppleat; unde melioratio ac perfectio prolis multo efficacius obtinetur, vitando uniones præsertim frequentes inter membra ejusdem familiæ [1].

994. Corollaria : Si ad jus *mere naturale* respicias : (**a**) consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ (inter patrem et filiam, matrem et filium), jure naturali certo matrimonium dirimit; constat ex naturali horrore quem etiam pagani ac barbari pro tali unione exhibere solent; necnon ex oppositione inter reverentiam parentibus debitam et æqualitatem quæ inter conjuges existere debet : " Inordinatum est, ait *S. Thomas* (l. c.), quod filia patri per matrimonium jungatur

[1] Juxta Doctorem **Bemis,** decem per centum surdo-mutorum, quindecim per centum idiotarum, et quinque per centum cæcorum qui in publicis nosocomiis inveniuntur in *Statibus Amer. Fœderatis*, orti sunt e consobrinis parentibus. Ex 757 matrimoniis inter consobrinos, 256 fuere ex quibus surdo-muti, cæci et idiotæ procreati sunt. (Ap. *Cooke*, Satan in Society, p. 182-183). Juxta **Lefebvre,** (*Les Mariages consanguins*, *Rev. des Quest. Scientif.*, I, 1877, p. 240, 249) ex 460 connubiis inter consobrinos nati sunt 1959 filii, quorum 9 surdo-muti, 36 idiotæ fuerunt; quæ proportio multo major est quam pro matrimoniis inter eos qui consanguinei non sunt. Cfr. **Charazain,** *Du Mariage entre consanguins considéré comme cause de dégénérescence organique et particul. de surdo-mutité congénitale*, Montpellier, 1859; **Allen,** *Marriages of the Deaf in America*, 1898; **A. de Smet,** II, n. 606.

in sociam causa generandæ prolis et educandæ, quam oportet per omnia patri esse subjectam, velut ex eo procedentem... magis reverentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur si filius matrem, quam si pater filiam ducat in uxorem; cum uxor viro aliqualiter debeat esse subjecta".

(**b**) Probabiliter etiam jure naturali consanguinitas in *linea recta* matrimonium dirimit *in infinitum :* eadem enim ratio ac supra, debita proportione, ad reliquos ascendentes et descendentes se extendit. — Quidquid sit, in praxi Ecclesia nunquam dispensat in hac linea. (Can. 1076, § 3).

(**c**) In linea *collaterali*, probabilius jure naturali *secundario prohibetur*, si non *dirimitur*, connubium in *primo gradu*, i. e., inter fratrem et sororem; quia etiam Gentiles communiter ab eo abhorrent, et revera sensui morali adversari videtur. — Quia tamen juri naturali *secundario* tantum opponitur, Deus in hoc dispensare potuit, præsertim initio generis humani, quoad protoparentum filios et filias.

Ecclesia autem dispensare non solet; imo, juxta multos [1], nunquam dispensat in primo gradu lineæ collateralis. Unde, si Gentiles ad fidem conversi fratrem vel sororem duxissent et simul cohabitare vellent, casus ad S. Sedem referri deberet.

Ceteri autem gradus lineæ collateralis matrimonium non dirimunt jure naturali, sed tantum ecclesiastico; unde in eis Ecclesia dispensare valet ac solet, non solum ob publicam sed etiam ob privatam utilitatem, quæ tamen major esse debet in proximioribus gradibus, ut infra exponetur, ubi de *Dispensationibus*.

995. (E) De multiplici consanguinitate. Multiplex potest esse consanguinitas, quæ nempe ex pluribus stipitibus oritur; quod recte intelligere necesse est, cum singula hujusmodi vincula constituant impedimentum necessario exprimendum ad validam dispensationem obtinendam.

---

[1] **Lehmk.**, n. 991; **Santi**, tit. 14, n. 12, exinde concludunt fratrem et sororem, qui ante baptismum matrimonium contraxerunt, esse separandos; ex adverso **Sanchez**, l. VII, d. 52, n. 12 et **Giovine**, I, § 209, n. 1; **A. de Smet**, n. 608; **Verm.-Creus.**, n. 330, putant eos in pristino matrimonio relinqui posse, nisi ex tali cohabitatione grave oriretur scandalum.

(a) Prima multiplicitatis causa ex eo oritur quod quis prolem habuerit *ex persona sibi consanguinea;* sit sequens schema.



Ut ex hoc stemmate constat, Petrus et Anna ex duplici communi capite descendunt, nempe ex *Eugenio* et ex *Carolo* (quia parentes Annæ jam consanguinei erant), et ideo duplici ligantur vinculo consanguinitatis in secundo (ex Eugenio) et tertio gradu (ex Carolo).

996. (b) Secunda causa est, quando personæ inter se consanguineæ prolem procrearunt *ex personis inter se consanguineis,* v. g., quando duo fratres ex uno stipite orti ducunt duas sorores ex alio stipite, et ex eis prolem generant.



Ut ex hoc stemmate apparet, duo fratres, Marcus et Lucas, ex stipite Petro, prolem habuerunt ex duabus sororibus, Maria et Anna, ex stipite Paulo; hinc Bertha et Matthæus consanguinei sunt in *duplici secundo* æquali, quia uterque descendit tum a Petro, tum a Paulo, et uterque distat duabus generationibus ab utroque stipite; Jacobus et Flavia sunt in *duplici tertio* æquali, quia tribus generationibus uterque distat ab utroque stipite : quod impedimentum *hodie* adhuc viget.

Olim Michael et Sophia *duplici quarto* æquali ligabantur.

997. (c) Tertia causa est, quando quis prolem habet ex pluribus personis inter se consanguineis, v. g., quando quis successive contrahit cum duabus sororibus vel consobrinis et ex eis prolem generat.



In hoc schemate Petrus successive ducit Agatham et Agnetem, duas sorores ex Bernardo ortas : e priori genuit Albertum, e posteriori genuit Mariam, etc. Quapropter Jacobus et Laura consanguinei sunt in tertio æquali ex stipite Bernardo, et simul in secundo æquali ex stipite Petro. Catharina et Lucius sunt in quarto æquali ex stipite Bernardo, et in tertio æquali ex stipite Petro.

Hodie impedimentum quarti gradus *non amplius computatur.*

998. Corollarium : *De modo inveniendi gradus consanguinitatis.*

(a) Quando unicus est stipes communis, et hic cognoscitur, facile conficitur *arbor genealogica descendens*, in summo

chartæ scribendo nomen stipitis communis, et infra nomina personarum hinc et inde descendentium, usquedum ad sponsos deveniatur, ut in præviis schematibus. Quo posito, facile computantur gradus, juxta regulas superius expositas.

(b) Crescit vero difficultas, quando multiplex adest consanguinitas et nupturientes modo solum confuso cognoscunt se esse consanguineos, quin possint varios stipites communes indicare.

1) Primum duplex *arbor genealogica ascendens* describenda est, una pro sponso et altera pro sponsa; videlicet in prima cella scribitur nomen sponsi, — postea nomen patris et matris ejus, — deinde nomen avorum et aviarum ex parte patris et ex parte matris, et ita porro usque ad gradum *tertium* ex jure novo, usque ad *quartum* ex jure veteri. Quod quidem fit tum ex declarationibus sponsorum, tum ex regestis, scribendo nomina et cognomina, quo facilius errores vitentur.

2) Dein *collatio* fiat inter utramque arborem genealogicam, et speciali signo, v. g., eadem littera A, B. C... notentur personæ utrique arbori communes : tot enim sunt stipites quot personæ communes. Attamen pro duplici stipite computandi non sunt duo conjuges, qui sunt cognationis causa : hi enim non efformant nisi unum eumdemque stipitem.

3) Postea fit *computatio* impedimentorum et graduum. Jamvero quot sunt stipites communes, tot sunt impedimenta.

4) Tandem, inventis variis stipitibus et computatis gradibus expedit *descendentem genealogicam arborem* conficere, quo melius constet utrum error commissus fuerit vel non; ita enim facilius gradus computantur ac clarius exhibetur sponsorum genealogia.

Arborem genealogicam sponsi et sponsæ, juxta methodum *ascendentem*, infra subjicimus [1], p. 591.

999. De jure ante an. 1918 vigente. *Olim*, ante Pentecosten 1918, non solum impedimentum usque ad *quartum* gradum extendebatur, sed etiam ex eodem stipite aliquando plura nascebantur impedimenta : si a nupturientibus ad communem stipitem duplici, vel triplici via ascendebatur, seu, aliis verbis, si duplex vel triplex linea duci poterat ab uno sponso ad alium per communem stipitem, duplex vel triplex erat impedimentum. Regula generalis

[1] Hoc stemma desumitur, paucis mutatis, ex opere **Deshayes**, *Nouvelle Méthode*, ubi exponitur methodus quæ *symbolica* dicitur, quæque multum proderit iis præsertim qui frequenter arborem genealogicam delineandam habent.



erat : *tot esse impedimenta distincta quot sunt diversi modi a sponso ad sponsam eundi, per continuam lineam, mediante communi stipite.* Ut adessent diversi modi, sufficiebat ut diversitas adesset in *uno* ex annulis quibus sponsi connectebantur. — In computandis vinculis et gradibus, sicut hodie, attendebatur tantum stipes *propinquior.* Si tamen stipes propinquior constabat ex *duobus parentibus* qui erant *inter se consanguinei*, tunc, sicut hodie, ascendendum erat ad remotiorem stipitem, ex quo ipsi parentes oriebantur : et hoc usque ad quartum gradum; v. g., si duo sponsi, Lucas et Sophia, erant in secundo gradu devincti, quia descendebant ab avis Henrico et Julia, qui et ipsi erant consobrini, utpote nepotes Petri, duplex dabatur stipes; unus proximior (Henricus-Julia), et alter remotior, scilicet Petrus. Sed, insuper, ex uno stipite Petro, duplex impedimentum oriebatur quia duplici via (per Juliam et per Henricum) ascendebatur a sponsis ad Petrum [1], seu, aliis verbis, duplex linea duci poterat a Luca ad Sophiam per stipitem Petrum; et ita tria erant impedimenta : unum in secundo gradu ex stipite Henrico-Julia, duo in quarto gradu ex stipite Petro. Ex *Codice* autem hic casus contingere nequit, non solum quia impedimentum in linea collaterali non extenditur ultra tertium gradum, sed quia "toties *tantum* multiplicatur impedimentum quoties communis stipes multiplicatur", c. 1076, § 2.

Quo melius hæc pateant, conferantur arbores sequentes.

[1] Ita ex decreto *S. Officii*, 11 mart. 1896.


(1)
(2)
(3)
(4)
Henricus Dubois
Sponsus
Julius Dubois
Maria Guérin
Josephus Dubois
Aloysia Guérin
Steph. Dubois
Lucia Guérin
C
Marcel. Dubois
Josephina Dugué
D
Robertus Guérin
B
Paulus Guérin
Anna Martin
D
Rob. Guérin
E
Felix Martin
A
Petrus Guérin
Clara Dubois
B
Paulus Guérin
Prud.
D
Rob. Guérin
Stephan. Dubois
Lucia Guérin
C
Marcel. Dubois
Josephina Dugué
D
Rob. Guérin


(1)
(2)
(3)
(4)
Julia Guérin
Sponsa
Franc. Guérin
Adel. Guérin
A
Petrus Guérin
Anna Guérin
B
Paulus Guérin
Prud. Boucher
D
Robert. Guérin
Anatol. Guérin
Bertha Dubois
D
Robert. Guérin
C
Marcel. Dubois
Josepha Dugué
Alphons. Guérin
Desid. Guérin
Anatol. Guérin
Bertha Dubois
D
Robert. Guérin
C
Marcel. Dubois
Josepha Dugué
B
Paulus Guérin
Zoé Martin
D
Robert. Guérin
E
Felix Martin

1000. In hoc duplici stemmate eadem littera *A*, *B*, *C*, *D*, *E* notavimus personas, quæ genealogiæ sponsi et sponsæ communes sunt, et ex hoc statim constat quinque esse communes stipites, nempe *A* Petrum Guérin, *B* Paulum Guérin, *C* Marcellum Dubois, *D* Robertum Guérin, *E* Felicem Martin. Ad computanda impedimenta, insuper inquirendum erat sub veteri jure quotuplici via Henricus Dubois et Julia Guérin ab his variis stipitibus descendant. — Quod quidem fieri poterat ex hoc stemmate, cum omnes viæ quibus e sponsis ascendatur ad stipites sedulo ibi notentur. Gradus pariter numeris (1) (2) (3) (4) clare ostenduntur. — Sed id etiam melius conspicitur in arbore seu genealogia descendente, quam infra delineamus.

D Robertus Guérin

Lucia Guérin		*B* Paulus Guérin				Anatol. Guérin	
Jos. Dubois	Clara Dubois	Aloysia Guérin	*A* Petrus Guérin		Desid[a] Guérin	Anna Guérin	Alph. Guérin
Jul. Dubois	Maria Guérin	Julius Dubois	Maria Guérin	Fr. Guérin	Adel. Guérin	Franc. Guérin	Adel. Guérin
Henr. Dub.	Henr. Dubois	Henr. Dubois	Henr. Dubois	Julia Guér.	Julia Guérin	Julia Guérin	Julia Guérin

C Marcellus Dubois				*E* Félix Martin	
Stephanus Dubois		Bertha Dubois		Anna Martin	Zoé Martin
Jos. Dubois	Clara Dubois	Alphons. Guérin	Anna Guérin	Aloysia Guérin	Desid[a] Guérin
Jul. Dubois	Maria Guérin	Adel. Guérin	Franc. Guérin	Julius Dubois	Adel. Guérin
Henr. Dubois	Henr. Dubois	Julia Guérin	Julia Guérin	Henr. Dubois	Julia Guérin

1001. Ex quo probatur 21 impedimentis ligari Henricum Dubois et Juliam Guérin secundum jus antiquum; — *duobus* tantum jure Codicis. Etenim :

Ex communi stipite *A*, *Petro Guérin*, nupturientes sunt in secundo æquali, cum ambo descendant ab avo = 1.

Ex communi stipite *B*, *Paulo Guérin*, tria erant impedimenta in tertio æquali, quia sponsi triplici via descendunt a proavo; seu, aliis verbis, triplex linea duci potest ab uno sponso ad alium per communem stipitem = 3; nunc vero *unum* est impedimentum in tertio æquali, quia est *unus* communis stipes.

Ex communi stipite *D. Roberto Guérin*, duodecim erant impedimenta in quarto æquali, cum duodecim viis a sponsis ascendi posset ad abavum Robertum Guérin = 12. — Ex *Codice* nullum est impedimentum, cum hic agatur de quarto gradu.

Ex communi stipite *C, Marcello Dubois*, quatuor numerabantur impedimenta in quarto æquali, cum sponsi quatuor viis descendant ab eodem abavo Marcello Dubois = 4. — Ex *Codice* nullum est impedimentum.

Tandem ex stipite *E, Felice Martin*, unum erat impedimentum in quarto æquali, cum ambo sponsi una via tantum ab eodem Felice Martin descendant = 1. — Ex *Codice* nullum impedimentum.

2° De cognatione spirituali [1].

1002. (A) Notio. (a) Impedimentum *cognationis spiritualis* est *propinquitas quædam personarum oriens ex Baptismo.* Cum enim in Baptismo spiritualiter nascamur, qui ad illud sacramentum concurrunt, ut minister et patrini, habentur tanquam patres spirituales personæ baptizatæ.

(b) Hoc impedimentum jam existebat tempore *Justiniani* Imperatoris, qui illud recenset in catalogo legum civilium, et valde probabiliter consuetudine introductum fuit. Antiquo jure tres erant hujus cognationis species : *paternitas*, *compaternitas* et *fraternitas*, et latiores erant hujus impedimenti limites quam jure hodierno [2].

Sed *Tridentinum*, videns ex hac prohibitionum multitudine multoties invalida contrahi matrimonia, *fraternitatem* abrogavit et *paternitatem* ac *compaternitatem* limitavit, ita ut impedimentum spiritualis cognationis vigeret tantum :

(a) inter *baptizantem* et *baptizatum*, dummodo baptizans non sit infidelis;

(b) inter *baptizantem* et *parentes* baptizati;

(c) inter *patrinos* et *baptizatum;*

(d) inter *patrinos* et *parentes* baptizati [3].

Idem decretum fuerat de sacramento Confirmationis. Quod his verbis comprehendebatur :

> Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes;
> Levans, levatus, levatique parentes.

---

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 56; *Decretal.* lib. IV, tit. 11 De cognatione spirituali; **Sanchez**, lib. VII, disp. 54-62; **S. Alph.**, n. 1028 et n. 149; **Ball. P.**, n. 642-653, ed. 3; **Gasparri**, n. 733-750; **A. de Smet**, 637-644; **Prümmer**, n. 836-839.

[2] De quo vide, præter auctores allegatos, **Esmein**, I, p. 362-374.

[3] Unde, post *Tridentinum*, hanc cognationem non contrahunt *patrinus* et *patrina* inter se, nec cum *baptizante* aut *confirmante.*

1003. Ex *Codice* autem impedimentum spiritualis cognationis viget tantum : (**a**) inter *baptizantem* et *baptizatum;* (**b**) inter *patrinos* et *baptizatum :* " Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus "[1]. Insuper non amplius ex confirmatione oritur.

1004. (B) Conditiones ad incurrendum impedimentum. (**a**) Requiritur ut baptismus *valide* conferatur; nam cognatio fundatur in generatione spirituali, ac proinde ubi nulla regeneratio, nullum est impedimentum.

1) Hinc, si solummodo *suppleantur cæremoniæ* baptismi, non contrahitur cognatio. (*Codex*, can. 762, § 2).

2) Si baptismus *conferatur sub conditione*, " neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit " (can. 763, § 2). — Num contrahat baptizans? Dubitatur.

3) Si baptismus ex venia Episcopi in domo confertur, *cum solemnitatibus*, ut fieri debet, certum est ex eo oriri impedimentum.

Si baptismus *modo privato*, in casu necessitatis et *absque solemnitatibus*, conferatur, impedimentum certo contrahitur inter baptizantem et baptizatum, et multo probabilius etiam inter *patrinos* ac *baptizatum*. Certo non incurritur ab iis qui tenent infantem, *absque animo munus patrini explendi;* sed si vere munus patrini suscipere intendunt, *S. C. Concilii* decrevit, non solum in casu particulari, sed etiam modo generali, 5 mart. 1678, illud incurri[2]. Hujusmodi decretum satis aperte confirmari videtur ex *Codicis* can. 762, § 2, ubi legitur : " Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi ceremoniis, sed in hoc casu nullam contrahit spiritualem cognationem ".

4) Si patrinus per *procuratorem* suum munus exercet, patrinus ipse, non autem procurator, impedimentum incurrit.

(**b**) Requiritur ut minister et patrini sint *baptizati;* secus enim legibus Ecclesiæ non subjiciuntur, nec incurrunt hoc impedimentum quod est mere ecclesiasticum.

(**c**) Insuper ut quis sit *valide* patrinus ideoque impedimentum incurrat, oportet : 1) sit rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi; 2) ad nullam pertineat hæreticam aut

---

[1] *Codex*, c. 768; cf. c. 1079.

[2] Ap. **Gasparri**, n. 738; cfr. *Analecta Juris Pontif.*, ser. VIII, fasc. 72, p. 1708 sq.

schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia juris aut exclusus ab actibus legitimis; nec sit clericus depositus vel degradatus; 3) nec sit pater vel mater vel conjux baptizandi; 4) ab ipso baptizando ejusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus; 5) baptizandum in actu baptismi tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis [1].

(d) Hinc, monente *Tridentino*, parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter inquirere debet quis vel qui a parentibus electi fuerint ut patrini; et eos solum admittere, videlicet non plures quam unum patrinum et unam matrinam, ne multiplicentur impedimenta; eosque docere quam cognationem contraxerint.

1005. (C) De dispensatione in hoc impedimento. Cum hoc impedimentum sit juris *ecclesiastici tantum*, Ecclesia semper in eo dispensare valet; sed multo difficilius inter baptizantem et baptizatum [2].

1006. (D) Discrimen inter novum et antiquum jus. (a) Olim non solum ex baptismo, sed etiam ex confirmatione oriebatur impedimentum, *nunc tantum ex baptismo*. (b) Olim erat impedimentum etiam : 1) inter baptizantem et parentes baptizati; 2) inter patrinos et parentes baptizati vel confirmati.

3° De impedimento cognationis legalis [3].

1007. (A) Notio. (a) Cognatio legalis est *propinquitas personarum oriens ex adoptione quæ fit secundum leges civiles.* Adoptio autem est actus legitimus quo in filium assumitur persona familiæ extranea.

(b) Hæc cognatio a jure civili originem sumpsit; præcipue introducta fuit ut qui prolem non habent a natura, modo legali filios adoptivos obtinere valeant.

Jamvero in *jure romano* duplex erat adoptio : 1) *perfecta*, quæ dicitur *adrogatio*, qua persona extranea et sui juris, rescripto principis, transibat in potestatem et familiam adoptantis, ita ut hæres

---

[1] *Codex*, c. 765.

[2] Cfr. *Canoniste contemporain*, mars 1903, p. 160.

[3] S. Thom., *Supplem.*, q. 57; *Decretal.*, lib. IV, tit. 12, De cognatione legali; Sanchez, lib. VII, disp. 63; S. Alphons., n. 1027; D'Annibale, I, n. 65; Gasparri, n. 751-766; Esmein, I, p. 357-362; H. Ayrinhac, 184; Prümmer, n. 840-842.

necessarius fieret æque ac filii legitimi; 2) *imperfecta*, seu *simplex*, qua persona extranea, sub potestate patris vel avi manens, judicis auctoritate assumebatur in filium aut nepotem adoptantis, quin tamen in ejus familiam transiret ac hæres necessarius fieret.

Ex *Codice* : " Qui lege civili *inhabiles* ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi juris canonici inter se valide contrahere "[1].

1008. (B) Extensio. Exinde apparet quæstionem de impedimento hujusmodi, olim valde implexam, hodie in liquido positam esse. Pro unaquaque gente, Ecclesia decernit ex adoptione legali oriri canonicum impedimentum *dirimens* pro omnibus qui *lege civili inhabiles* habentur ad nuptias inter se ineundas ex adoptione; impedimentum vero mere *prohibens* ubi lex civilis rem ita decernit. Insuper impedimentum canonicum *eamdem extensionem* ac civile habet. In praxi igitur recurrendum est ad Codicem civilem cujusque nationis.

In *Gallia* ex adoptione oritur certo impedimentum *prohibens* (supra, n. 959), *non autem impedimentum dirimens*, juxta communem jurisperitorum sententiam. In *Italia*, *Hispania*, *Polonia*, *Croatia* et *Slavonia* impedimentum ut *dirimens* habetur.

Ratio hujus impedimenti est quod omnino decet a matrimonio excludere personas quæ in eadem familia commorantur, ne secus in periculum fornicationis incidant, ut supra dictum est de consanguinitate. Præterea inter adoptantem et adoptatum specialis est obligatio reverentiæ, quæ cum conjugali æqualitate vix conciliari potest.

1009. (C) Dispensatio. Cum hoc impedimentum sit juris *ecclesiastici tantum*, Ecclesia potest in eo dispensare.

4° De impedimento affinitatis[2].

1010. (A) Notio et origo. (a) Affinitas est *propinquitas quam quis habet cum consanguineis illius personæ quacum matrimonium contraxit validum, sive ratum tantum sive ratum et consummatum*[3].

---

[1] *Codex*, c. 1080. — Hic animadvertere licet haud raro sub adoptione legali latere cognationem naturalem illicitam vel licitam.

[2] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 55; *Decretal.*, lib. IV, tit. 14, De consanguin. et affinitate; **Sanchez**, lib. VII, disp. 64-67; **S. Alphons.**, n. 1068-1078; **Gasparri**, n. 685-704; **Genicot**, n. 504-505; **Verm.-Creus.**, n. 333-334.

[3] *Codex*, c. 97, § 1 et 2.

(b) Impedimentum affinitatis ab Ecclesia institutum est, ad instar illarum prohibitionum, quæ in Veteri Lege inveniuntur [1]. Primum quidem vetitæ sunt nuptiæ inter virum ejusque uxoris defunctæ sororem, postea etiam inter eum ejusque uxoris defunctæ consobrinam; deinde affinitas ad alios gradus, usque ad septimum, successive extensa est, prout ipsa consanguinitas. Imo, ante *Conc. Lateran. IV*, triplex erat affinitatis species, et affinitas pariebat affinitatem; sed *Lateranense* duas affinitatis species abrogavit, et tertiam speciem ad quartum gradum restrinxit [2]. *Tridentinum* autem illicitam affinitatem limitavit ad secundum gradum. Ex *Codice* jam non est affinitas illicita : nam fundamentum affinitatis non amplius est ipsa copula, sed ipsum matrimonium validum, etiam non consummatum.

1011. (B) Extensio affinitatis. (a) Jure *novo*, affinitas dirimit matrimonium "in linea *recta* in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad *secundum gradum inclusive*" [3].

(b) Quo melius intelligatur natura hujus impedimenti, notandum est illud incurri *a solo viro cum consanguineis mulieris* quacum matrimonium contraxit, et a *sola muliere cum consanguineis viri* quocum nupsit; minime autem a consanguineis viri cum consanguineis mulieris : *affinitas enim non parit affinitatem.* Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores, pater et filius ducere possunt matrem et filiam [4].

(c) Etsi, proprie loquendo, lineæ et gradus dici nequeant nisi de propinquitate quæ ex generatione oritur, attamen in affinitate recensentur lineæ et gradus quo facilius fieri possit illius computatio. Et ideo, "ita computatur affinitas ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris et vice versa" [5]. Quod sequenti arbore melius intelligetur : in quo *linea* (recta vel collateralis) et *gradus* affinitatis uxoris sunt linea et gradus consanguinitatis viri; et vice versa.

---

[1] *Levit.*, XVIII, 8-18 : ita v. 14 dicitur : "Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur".

[2] De evolutione hujus impedimenti cfr. **Esmein**, t. I, p. 374-383.

[3] *Codex*, c. 1077.

[4] *Codex*, c. 97, § 2. — [5] *Codex*, c. 97, § 3.



(a) In parte dextra inveniuntur consanguineæ uxoris, et in parte sinistra consanguinei viri. Jamvero uxor est affinis omnibus consanguineis viri eodem gradu ac hi sunt consanguinei viro; ex altera parte, vir affinis est omnibus consanguineis uxoris eodem gradu ac hæ sunt consanguineæ uxori; v. g., vir, uxore mortua, non potest ducere ejus matrem, aviam, sororem, consobrinam, etc.; uxor, mortuo viro, contrahere nequit cum ejus patre, avo, fratre, amitino, etc.

(b) Sed consanguinei viri, v. g., ejus pater, avus, patruus, frater, etc. ducere possunt consanguineas uxoris, v. g., ejus matrem, aviam, materteram, sororem, etc.

1012. (C) De multiplici affinitate. "Affinitatis impedimentum multiplicatur : 1) quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit; 2) iterato successive matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti"[1]. Ita, ex primo capite, uxor ter affinis est ejus qui mariti est ter consanguineus; ex secundo autem, mulier quæ successive matrimonium contrahit cum duobus inter se consanguineis est bis affinis ceterorum consanguineorum.

Ad quod illustrandum sit sequens schema :



D successive matrimonium init cum *a*, deinde, obtenta dispensatione, cum *b* (primæ uxoris consobrina); si postea vult ducere *c*, duplicem cum hac affinitatem habet : in primo gradu per *a* (sorore *c*), in secundo per *b*. Si tandem ducere vult *d*, triplicem cum ea affinitatem habet : in primo gradu per *b*, in secundo dupliciter per *a* et *c*.

N. B. Aliquando etiam simul existent inter nupturientes affinitas et consanguinitas; ita, v. g., Petrus Catharinam ducit, sibi consanguineam in secundo gradu; mortua uxore, contrahere vult cum Gertrude, uxoris sorore; duo sunt in casu impedimenta, affinitatis in primo gradu collaterali et consanguinitatis in secundo gradu collaterali.

[1] *Codex*, c. 1077, § 2.

1013. (D) Quo jure affinitas matrimonium dirimat? Affinitas, etiam in primo gradu lineæ rectæ *probabilius* oritur ex jure *mere ecclesiastico*. Hinc non est impedimentum, pro *infidelibus*, etiam si postea baptismum suscipiunt. Codicis enim canon 97 statuit affinitatem oriri ex matrimonio sive *rato*, sive *rato* et consummato; atqui, juxta Codicis c. 1015, *ratum* dicitur matrimonium baptizatorum validum. — Impedimentum autem incurritur ex matrimonio valido inter partem baptizatam et infidelem [1], lege ecclesiastica directe attingente fidelem et indirecte infidelem.

1014. (E) De dispensatione ab affinitate. (a) Quoad lineam *rectam*, rarissime Ecclesia dispensat in *primo* gradu [2], raro in ceteris gradibus.

(b) In gradibus lineæ *collateralis*, non excepto primo [3], Ecclesia jam haud difficilem sese ostendit in dispensatione elargienda [4].

1015. *N. B.* **De discrimine inter jus antiquum et novum.** Olim definiebatur affinitas *propinquitas quam quis contrahit cum consanguineis illius personæ quacum copulam carnalem perfectam habuit;* exinde *distinguebatur inter affinitatem licitam et illicitam;* affinitas ex copula licita dirimebat matrimonium in linea recta usque *ad infinitum*, juxta probabiliorem sententiam; usque *ad quartum gradum* inclusive in linea collaterali; affinitas vero ex copula illicita matrimonium dirimebat usque *ad secundum gradum* inclusive in utraque linea.

5° De impedimento publicæ honestatis [5].

Maximum est discrimen inter jus *antiquum* et *novum* de hoc impedimento. De utroque igitur seorsim dicemus.

1016. (A) Extensio hujus impedimenti, ex antiquo jure. Usque ad Pentecosten anni 1918, impedimentum honestatis publicæ erat propinquitas personarum oriens tum ex *sponsalibus*

---

[1] "Quanquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum". (*Codex*, c. 1036, § 3).

[2] Casum dispensationis hujusmodi invenire est in *Le Canoniste contemporain*, nov. 1912, p. 659.

[3] Res olim multum disputata fuit occasione dispensationis *Henrico VIII* a *Julio II* concessæ.

[4] Cavendum est tamen, dispensationem concedendo, ne quis periculo exponatur propriam prolem aut sororem in matrimonium ducendi, juxta can. 1076, § 3: "Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineæ in aliquo gradu lineæ rectæ aut in primo gradu lineæ collateralis".

[5] **S. Thom.**, q. 55, a. 4; *Decretal.*, lib. IV, tit. 2, cc. 3, 4, 8; tit. IV, de Sponsa duorum; **Sanchez**, lib. VII, disp. 68-70; **S. Alphons.**, n. 1061-1064; **Gasparri**, n. 705-732; **N. Farrugia**, *De Matrim.*, n. 212-213.

validis, tum ex *matrimonio rato* et *non consummato*. (a) Publica honestas orta ex *validis sponsalibus* dirimebat matrimonium inter *sponsum* et *consanguineas* sponsæ, et vice versa, usque ad *primum* gradum; proinde sponsus invalide contraxisset cum *matre*, *sorore*, vel *filia* sponsæ suæ; valide autem cum omnibus aliis sponsæ consanguineis. Quod verum erat etiamsi sponsalia legitime soluta fuissent; nam impedimentum semel contractum non cessat nisi dispensatione.

Non autem oriebatur ex *invalidis* sponsalibus, quacumque ratione invalida fuissent; neque e *conditionatis* sponsalibus, nisi quando conditio impleta fuisset.

(b) Publica honestas *ex matrimonio rato* dirimebat nuptias usque ad *quartum* gradum inclusive, etiamsi orta esset ex matrimonio invalido, dummodo invalidum non fuisset ex *defectu consensus;* deficiente enim consensu, deerat fundamentum impedimenti, nempe conjunctio animorum.

(c) Hoc impedimentum multiplicabatur ex pluribus sponsalibus vel matrimoniis non consummatis. Sint, v. g., tres sorores Rosa, Martha, Lucia; si Titius sponsalia contraxisset cum Rosa, et postea, obtenta dispensatione, matrimonium cum Martha, quin illud consummasset, duplici impedimento honestatis publicæ ligabatur quoad Luciam; si nihilominus Luciam duxisset, obtenta pariter dispensatione quin matrimonium consummaret, triplici impedimento honestatis publicæ laborabat quoad Semproniam, trium sororum matrem.

1017. (B) **Ex Codice** (can. 1078) : " impedimentum publicæ honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineæ rectæ inter virum et consanguineas mulieris et vice versa ".

Oritur proinde : (a) *ex matrimonio invalido*, quocumque modo sit invalidum etiam ex defectu consensus, non tamen ex *solo* matrimonio civili [1], quod concubinatus non sequitur; nec refert utrum *consummatum* fuerit an non, utrum *bona* vel *mala fide* initum.

(b) *Ex publico vel notorio concubinatu*, sive in eadem domo sive in diversa, dummodo cum eadem persona frequens sit et *continuatus*, et *publicus* vel *notorius*. 1) Ut *publicus* habetur si jam divulgatus est aut prudenter judicetur facile divulgatum iri. 2) Notorius est notorietate *juris* post sententiam judicis competentis, quæ in rem judicatam transierit,

[1] *Com. Int. Cod.*, 12 mart. 1929.

aut post confessionem delinquentis in judicio factam ad normam can. 1750; notorius notorietate *facti*, si nulla tergiversatione celari possit (can. 2197). Proinde matrimonium *civile*, quando importat sexualem conversationem continuam (*Com. Int.*, 12 mart. 1929), pro concubinatu habetur. *Dubium* vero videtur impedimentum si concubinatus tamquam verum conjugium publice existimatur.

Hoc impedimentum multiplicatur si quis matrimonium invalidum inierit vel concubinarie vixerit successive cum pluribus consanguineis in linea recta alterius partis, v. g., cum *avia* et *matre* aut *filia* puellæ quam ducere intendit.

1018. (C) De dispensatione ab hoc impedimento. Cum hoc impedimentum sit *juris mere ecclesiastici*, in eo Ecclesia dispensat, sed cum cautela, cavendo nempe ne aliquis sibi matrimonio conjungat *propriam prolem;* videlicet si copula cum matre sponsæ præcesserit nativitatem nubendæ, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis, applicandus est can. 1076, § 3 : "Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineæ in aliquo gradu lineæ rectæ aut in primo gradu lineæ collateralis" [1].

6° De impedimento disparitatis cultus [2].

1019. (A) Notio. Ex can. 1070, § 1 : "Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem ex hæresi aut schismate conversa". Hæc *disparitas cultus* distinguitur a *mixta religione*, quæ est impedimentum *prohibens* inter catholicum et acatholicum valide baptizatum. — Nostris diebus, non solum inter paganos, sed etiam in magnis civitatibus catholicarum regionum, inveniri potest hujusmodi impedimentum, quia non pauci adulti nunquam baptizati fuerunt.

Sedulo notandum est agi in casu non de qualibet persona baptizata, etiam in hæresi, sicut olim, sed de persona baptizata in *Ecclesia catholica* vel *ad Ecclesiam catholicam* ex hæresi aut schismate conversa. Et adest impedimentum,

---

[1] *Commissio ad interpret. Codicem*, 2-3 junii 1918.

[2] **S. Thom.**, q. 59, a. 1; **Benedict. XIV**, Constit. *Singulari nobis*, 9 febr. 1749; **Sanchez**, lib. VII, disp. 71; **S. Alphons.**, n. 1044; **Gasparri**, n. 596-624; **A. de Smet**, 583-593; **H. Ayrinhac**, 144-150; **Verm.-Creus.**, n. 320-322; **Wernz-Vidal** n. 259-277.

etiamsi persona in Ecclesia catholica baptizata hæresi vel schismati postea adhæserit, aut ad Ecclesiam conversa iterum in hæresim relapsa sit.

1020. (B) Origo. Hoc impedimentum, spectatum ut *dirimens*, est juris ecclesiastici. *Scriptura* quidem aliquo modo prohibebantur nuptiæ fidelium cum infidelibus [1] : "Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?"; sed illa improbatio non dirimebat tale matrimonium, cum alibi [2] supponatur validum. *Patres* et *Concilia* pariter hujusmodi nuptias damnarunt, eo præsertim quia in Veteri Testamento Judæis vetitum erat mulieres infideles ducere; sed per multa sæcula ut validas easdem habuerunt; et sanctissimæ feminæ cum infidelibus contraxerunt, ut Cæcilia cum Valeriano, Monica cum Patritio, Clotildis cum Clodoveo, quin Ecclesia eas improbaverit. Paulatim vero, ex periculis quæ ex hujusmodi nuptiis defluunt, praxis invaluit in variis Ecclesiæ partibus eas tanquam nullas habendi; quæ praxis tractu temporis evasit universalis; et ita hoc impedimentum, quatenus dirimens, consuedine introductum est, et jam ab initio sæc. XII ubique receptum; quapropter hodie viget etiam in illis regionibus ubi primum fides propagatur [3].

1021. (C) Quandonam incurratur? Incurritur *certo* quando *certo moraliter* constat unam partem esse valide baptizatam, et alteram vel nullomodo vel invalide baptizatam. In casu autem *dubii* circa baptismum, investigatio quidem fieri debet, juxta Instructionem *S. Officii*, diei 1 aug. 1883, sed, si dubium remaneat, hæc regula tenenda est. (**a**) *Ante* matrimonium inter partem certo baptizatam et alteram dubie baptizatam postulari potest dispensatio ad cautelam, et in praxi expedit : quæ si negetur, sola concessa dispensatione super mixta religione (ut aliquando fit), nil impedit quin celebretur matrimonium. (**b**) *Post* matrimonium, nuptiæ habeantur ceu validæ, si pro-

---

[1] *II Cor.*, VI. — [2] *I Cor.*, VII, 12-16.

[3] Historicam hujus impedimenti evolutionem legere est ap. **Esmein**, t. I, p. 219 sq.; **Watkins**, *Holy Matrimony*, p. 446 sq. — Ratio propter quam tale matrimonium prohibetur, sic exponitur a **S. Thoma**, l. c. : "Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare. Et ideo si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit". Hic etiam valent, et sæpe a fortiori, rationes supra expositæ, de matrimoniis mixtis, n. 905-907.

babile dubium oriatur et maneat de existentia aut validitate Baptismi sive unius, sive utriusque conjugum : " Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut ejus baptismus erat dubius, standum est, ad normam c. 1014 [1], pro valore matrimonii donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam " [2]. (c) Si vero, post initum matrimonium, certo innotescat Baptismi nullitas, dijudicandus est valor matrimonii juxta hanc nullitatem. Scilicet si utriusque conjugis baptismus inveniatur inexistens, tunc valet eorum matrimonium dummodo absit quodcumque impedimentum juris naturalis aut divini; si unius tantum conjugis baptismus est nullus, matrimonium est nullum.

1022. (D) De dispensatione ab hoc impedimento. (a) Solus Romanus Pontifex, per S. Officium, ab hoc impedimento dispensat; Ordinariis tamen indultum dispensandi conceditur in locis ubi multi sunt infideles.

(b) Ex canone 1071, " quæ de mixtis nuptiis in can. 1060-1064 præscripta sunt, applicari debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus ".

Conditiones igitur requisitæ ut dispensatio concedatur, eæ sunt quæ jam de impedimento mixtæ religionis explicatæ sunt (n. 956). — Imo, pro utroque impedimento, dispensationes nunquam impertiantur, " nisi præstitis antea a nupturientibus cautionibus, quarum fidelem exsecutionem — etiam vi legum civilium, quibus alteruter subjectus sit, vigentium in loco actualis vel (si forte alio discessuri prævideantur) futuræ eorum commorationis — nemo præpedire valeat : *secus ipsa dispensatio sit prorsus nulla et invalida*". *S. Off.*, 14 jan. 1932.

Dispensatio scienter concessa sine gravi causa, salvo tamen jure divino, a R. Pontifice illicita est, sed valida; a delegato autem, non solum illicita, sed etiam invalida (can. 84).

7° De impedimento raptus [3].

1023. (A) Origo. *Impedimentum raptus*, quatenus universale et dirimens, a *Tridentino* institutum est. Sed, jam a primævis

[1] Canon 1014 sic se habet : " Matrimonium gaudet favore legis; quare in dubio standum est pro valore matrimonii donec contrarium probetur ", salvo tamen privilegio fidei, quod in re dubia gaudet favore legis (c. 1127). — [2] *Codex*, c. 1070, § 2.
[3] *Decretal.* lib. V, tit. 17; *Trident.*, sess. XXIV, cap. 6 de Reformat.

sæculis, *crimen raptus* prohibitum fuerat. (a) Jure *civili Romano* gravissimis pœnis puniebatur, et matrimonium inter raptorem et raptam interdicebatur in pœnam raptus.

(b) Jure *ecclesiastico* non eadem semper fuit disciplina; juxta *antiquos canones*, raptor excommunicatione aliisque pœnis plectebatur, ac raptam ducere in perpetuum prohibebatur; imo in quibusdam provinciis tale matrimonium ut invalidum censebatur. Sed *jure Decretalium*, puella poterat in matrimonium consentire, etiam quando sub potestate raptoris manebat; et si consensus vere erat liber, nuptiæ validæ reputabantur [1].

(c) *Tridentinum* autem, libertati matrimoniorum melius providere volens, decrevit nullum esse matrimonium inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, etiamsi libere consenserit; variisque pœnis crimen raptus punivit [2] : " Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare ".

1024. (B) **Notio.** Unde raptus definiri potest : *violenta abductio alicujus personæ de loco in locum, ubi sub potestate raptoris detinetur, matrimonii ineundi causa.* In *Codice*, can. 1074, ita statuitur : " § 1. Inter virum raptorem et mulierem intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris remanserit, nullum consistere potest matrimonium. — § 2. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum, habere consenserit, impedimentum cessat. — § 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem retinet in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet ".

Matrim.; **Reiffenst.**, lib. IV, tit. 1, n. 372-379; **Sanchez**, lib. VII, disp. 12-13; **S. Alphons.**, n. 1106-1108; **Carrière**, n. 905-914; **Ball. P.**, n. 692-698, ed. 3; **De Angelis**, lib. IV, tit. 1, n. 20; **Gasparri**, n. 537-563; **Wernz-Vidal**, n. 310-318.

[1] Cfr. **Esmein**, I, p. 391-393; II, p. 250-255.

[2] Sess. XXIV, cap. 6 de Reform. Matrim.

Ex citato canone impedimentum exsurgit ex duplici capite : (a) e *raptu violento;* (b) e *violentâ retentione* mulieris intuitu matrimonii. Quod impedimentum *a metu* distinguitur; nam, etiam cessante metu, invalidum est matrimonium, quamdiu rapta sub potestate raptoris manet; neque est impedimentum *pœnale*, nam matrimonium valide ac licite celebrari potest, statim ac mulier a potestate raptoris subtrahitur; est igitur impedimentum *sui generis*, vi cujus raptor *inhabilis* redditur ad contrahendum cum rapta, quamdiu hæc sub ejus potestate retinetur.

1025. (C) Conditiones requisitæ ut raptus matrimonium dirimat. (a) Ut sit abductio *mulieris*, non autem viri. Certum est ex can. 1074, § 1, quo impedimentum statuitur tantum inter *virum* raptorem et mulierem : nam odiosa sunt restringenda; unde si juvenis pusillanimis a præpotente muliere raperetur, matrimonium ut validum haberetur, dummodo juvenis libere consentiret. — Nil autem refert utrum mulier, quæ rapitur, sit virgo an corrupta, honesta an meretrix; nam verba Codicis sunt omnino generalia. — Attamen, si mulier sit perdita moribus, præsumitur abducta explendæ libidinis, non matrimonii causa; sed præsumptio cederet veritati.

(b) Ut sit *vera abductio de loco in locum;* i. e., ut mulier transferatur de loco in quo tuta erat in locum moraliter diversum, in quo minus est tuta, quamvis non longe distantem. — Nihil autem refert utrum raptor mulierem abducat *per se*, an *per alios*, dummodo ipse mandatum dederit; si quis vero, putans se rem gratam facturum amico, quamdam puellam in propriam domum transfert, quo facilius hic amicus possit eam ducere, nuptiæ validæ sunt, quia amicus non mandavit raptum. — Insuper mandatarii, qui mulierem rapiunt nomine principalis agentis, impedimentum cum ea non contrahunt, nisi eam postea violenter *detineant* intuitu matrimonii (can. 1074, § 3).

1026. (c) Ut abductio sit *violenta*, i. e., invita muliere. Violenta censetur : 1) si fiat per *vim* aut *metum gravem* injuste incussum; 2) per *fraudem* aut *dolum*, v. g., per *hypnoticam suggestionem*, quæ libertatem auferat.

Violenta autem non est, si puella, sive sui juris sive non, libere cum viro aufugit, ut parentum vel aliorum oppositionem vitet : si non sit sui juris, nuptiæ quidem illicitæ esse possunt, ob dissensum parentum, sed validæ erunt. Pariter si mulier prius quidem erat nolens, sed deinde suasionibus, blanditiis allecta sequitur virum intuitu matrimonii, adest quidem raptus *seductionis*, sed non raptus violentus; sed in foro externo probari debet hanc *vere* consensisse in fugam; secus prior dissensus præsumitur perseverasse.

Quando valida sponsalia contracta fuerunt, controvertitur utrum impedimentum raptus incurrat qui sponsam suam invitam rapit. 1) Si hæc justam habet resiliendi vel differendi causam, juxta omnes, incurritur impedimentum, quia ejus libertas injuste ac violenter læditur; 2) si justam causam non habet, multo probabilius etiam incurritur quia vi privata sponsa cogi nequit fidem sponsalitiam servare, nec etiam (ex can. 1017) datur actio ad petendum matrimonium, sed tantum ad reparationem damnorum.

(d) Ut abductio fiat *intuitu matrimonii ineundi*, cum impedimentum statutum fuerit ad servandam consensus matrimonialis libertatem. Hinc si mulier abducatur ad pecuniam ei auferendam, aut ad libidinem explendam, aut ob alium finem, non oritur impedimentum. In foro autem *externo præsumitur* raptum fieri matrimonii causa, nisi contrarium probetur. Præterea, si mulier primum libidinis causa rapiatur, postea vero *invita detineatur* intuitu matrimonii ineundi, jam adest impedimentum, quia detentio in casu æquiparatur violentæ abductioni.

(e) Ut *raptor mulierem sub sua potestate detineat*, ut constat ex *Tridentino* et *Codice*. Proinde quando puella a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta fuit, cessat impedimentum absque ulla dispensatione; ita est v. g., si suæ domui restituatur, aut ponatur in domo amici aut parentis ipsius mulieris, qui non sit fautor raptoris. Impedimentum autem perdurat, si mulier in eadem domo, in quam translata fuerat, permaneat, quamvis aufugere posset; aut si ponatur in domo amici vel parentis raptoris, præsertim si quis de viri mandato in eam invigilet; tunc enim non est in loco *tuto* ac *libero* constituta.

N. B. Ecclesia in hoc impedimento generatim non dispensat [1].

[1] Olim Ecclesia nunquam dispensabat; sed in Instruct. ad Ep. Albanenses, 15 febr. 1901, *Acta S. Sedis* (XXXIII, p. 547-549), *S. Officium* declaravit, ob

— Raptor "ipso jure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis pœnis pro gravitate culpæ plectatur" [1].

1027. (D) **Violenta retentio,** etiam absque raptu, est etiam impedimentum dirimens. Duo requiruntur ad impedimentum incurrendum : 1) *violenta detentio* in loco ubi mulier commoratur, sive vi detineatur in loco ubi est, sive in propria domo obsideatur, ut exire non valeat; 2) et quidem *intuitu matrimonii.*

8° De impedimento criminis [2].

1028. (A) **Notio.** Non omnia crimina matrimonium dirimunt, sed quædam magis odiosa in ordine ad matrimonium commissa, ea nempe quæ in can. 1075 ita declarantur :

"Valide contrahere nequeunt matrimonium :

1° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;

2° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter conjugicidium patravit;

3° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem conjugi intulerunt".

Ratio propter quam hujusmodi crimina subsequentes nuptias reddunt invalidas triplex est : (a) quia secus, sub spe matrimonii contrahendi cum complicibus, occasio præberetur conjugibus hæc crimina patrandi, præsertim conjugicidium, quod conjugali amori ac fidei tam indigne adversatur; (b) in pœnam commissi criminis; (c) quia tales nuptiæ publice inhonestæ ac scandalosæ forent.

(B) **Origo.** Jure Romano veteri prohibebantur nuptiæ inter complices adulterii, etiam soluto priori conjugio;

---

peculiares circumstantias in Albania prævalentes, nihil prohibere quominus, si de raptæ vere libero consensu constet, et sufficientia ad dispensandum motiva præsto sint, dispensatio concedatur; sed, ne id facile fiat, quilibet casus S. Sedis judicio omnino subjici debet. — [1] *Codex*, c. 2353.

[2] *Decretal.*, lib. IV, tit. 7, De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium; **Sanchez**, lib. VII, disp. 78-79; **S. Alphons.**, n. 1031-1043; **Ball. P.**, n. 666-691, ed. 3; **Gasparri**, n. 641-660; **Wernz-Vidal**, n. 319-342.

postea, tempore *Justiniani*, ut nullæ declaratæ sunt. Jus canonicum hanc legem recepit, ac *S. Leo* statuit : " Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio "; sed non constat adulterium tanquam impedimentum *dirimens* fuisse universim acceptum, præsertim in Ecclesia Occidentali, ante sæc. IX; tempore *Gratiani*, jam duplex agnoscebatur species criminis matrimonium dirimentis; tandem, tempore *Gregorii IX*, universim statutum est triplex impedimentum criminis supra relatum.

1029. (C) Adulterium cum promissione aut attentatione matrimonii :

"Valide contrahere nequeunt matrimonium qui, perdurante *eodem* legitimo matrimonio, *adulterium* inter se *consummarunt* et fidem sibi *mutuo* dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, *attentarunt*" [1].

Tres igitur conditiones requiruntur :

(a) Adulterium : 1) *verum* et objectivum, quatenus scilicet validum matrimonium et adhuc perseverans existere debet saltem ex parte unius adulteri; 2) *utrinque formale*, in quantum *uterque* cognoscere debet *alterutrum* esse conjugatum; 3) *consummatum*, id est, de se aptum ad generationem.

(b) *Promissio* aut *attentatio matrimonii*, ante mortem innocentis conjugis facta. 1) Hæc autem promissio debet esse : *vera* et *acceptata*, *mutua*, et quidem in ordine ad matrimonium *post mortem conjugis* cum complice ineundum : nam si promittitur matrimonium ineundum altero conjuge adhuc vivente, ubi polygamia jure civili permittitur, non contrahitur impedimentum, quia cessat ratio impedimenti, quæ est ne promissio occasionem præbeat alterum conjugem occidendi. — Debet esse *absoluta*, non conditionata, *nec revocata* ante adulterium.

2) Matrimonium *attentatum*, etiam per civilem actum, a *Codice* assimilatur promissioni matrimonii : hinc qui, post matrimonium valide initum, divortium civile obtinent et, vivente priore conjuge, aliud matrimonium contrahunt et consummant, impedimentum criminis incurrunt : ac proinde, mortuo priore conjuge, matrimonium revalidare nequeunt absque dispensatione [2].

---

[1] *Codex*, can. 1075, 1°.

[2] Ita, teste **De Angelis**, lib. IV, n. 11, respondere consuevit *S. Pœnitentiaria* : cfr. **Gasparri**, t. I, n. 738, ed. 3ª. — Ex decreto *S. C. de Sacramentis*, cum aliquis, vivente priore conjuge, obtinet a S. Sede dispensationem super matrimonio rato et non consummato, aut documentum libertatis ob præsum-

(c) *Promissio matrimonii fieri debet et adulterium committi durante eodem conjugio.*

Videlicet si Petrus successive duas habet uxores, et, vivente una, v. g., Bertha, promittit ducere Catharinam, postea vero Marthæ nubit, eaque vivente, adulterium committit cum Catharina, nullum est impedimentum dirimens inter Petrum et Catharinam, modo non renovetur eidem promissio matrimonii.

1030. (D) Adulterium cum conjugicidio. Valide contrahere nequeunt matrimonium "qui perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, *adulterium* inter se *consummarunt* eorumque alter *conjugicidium* patravit".

Tres conditiones requiruntur ad hoc impedimentum contrahendum :

(a) *Adulterium* verum, utrinque formale, consummatum, ut supra, ante conjugicidium commissum : si enim post mortem conjugis committatur, jam non est adulterium.

(b) *Conjugicidium* ab uno patratum, cum intentione ineundi matrimonii cum complice, quamvis alter nesciat homicidium perpetrandum esse, aut etiam ei contradicat [1]. In hoc casu enim non requiritur mutua conspiratio, nec promissio. — Intentio autem ineundi matrimonium præsumitur in foro externo, nisi ex adjunctis contrarium constet. — Necesse est pariter ut mors de facto sequatur opera aut machinatione unius ex adulteris; hinc, si inflicto vulnere non mortali, mors sequatur imperitia medici, impedimentum non incurritur.

(c) *Utrumque*, adulterium scilicet et conjugicidium, commissum *eodem stante matrimonio.*

1031. (E) Conjugicidium mutua conspiratione patratum : "Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem conjugi intulerunt".

Quatuor conditiones requiruntur ut impedimentum ex hoc capite incurratur :

(a) *Mutua conspiratio* inter complices in *occisionem* conjugis alterutrius ipsorum : quæ existit si una pars alteram ad crimen inducit consilio, precibus, aut approbatione efficaci; vel si utraque cooperatur sive physice, v. g., venenum præbendo, sive

---

ptam conjugis mortem, eo ipso obtinet dispensationem super hoc impedimento matrimonii attentati cum adulterio, si forte adest (3 jul. 1912), quod confirmat *Codex*, c. 1053.

[1] Necesse igitur non est hanc intentionem, aliquo modo externatam, *alteri parti* manifestari, ut recte exponit **Wernz-Vidal**, 1925, p. 391.

moraliter, corrumpendo medicum ut mortem inferat vel non impediat;

(b) Ut conspiratio fiat ex *intentione*, exterius *manifestata*, *ineundi matrimonii cum complice*, saltem ex una parte [1];

(c) *Ut mors* [2] *sequatur opera alterutrius* sive *physica* sive *morali*: hinc, si inflicto vulnere non mortali, mors sequatur imperitia vel negligentia medici, impedimentum non incurritur;

(d) Ut *matrimonium fuerit validum*, licet non consummatum, tempore occisionis [3].

1032. (F) De multiplici impedimento criminis. Impedimentum criminis multiplicari potest tum ratione delicti, tum ratione matrimonii :

(a) Ratione *delicti* : 1) quando impedimentum oritur ex *solo conjugicidio* duplex est impedimentum, si *uterque* conjux ex conspiratione suum (aut alterius) *conjugem occidit;* 2) quando oritur ex *solo adulterio*, duplex incurritur impedimentum, si ambo adulteri conjugati sunt et ambo id cognoscunt; 3) quando oritur ex *conjugicidio cum adulterio*, duplex est impedimentum, si uterque adulter conjugem suum (aut alterius) occidit, etiam sine conspiratione; 4) quando adulterium et conjugicidium suas proprias conditiones separatim habent, juxta superius exposita, utrumque pariter est impedimentum.

(b) Ratione *matrimonii*, quando videlicet successive plura matrimonia inita sunt, et durante quolibet conjugio, unum vel plura e præfatis criminibus perpetrata sunt; v. g., si Titius triplex matrimonium successive inivit cum Maria, Bertha et Rosa, et stante unoquoque conjugio, Cajam carnaliter cognoscit cum promissione matrimonii, jam adest triplex impedimentum : si præterea Rosam occidit, ut Cajam ducat, quartum nascitur impedimentum, etc. — Non autem multiplicantur impedimenta, si pluries adulterium committitur cum eadem persona, stante eodem conjugio.

1033. (G) De dispensatione in hoc impedimento. (a) Cum hoc impedimentum sit juris *ecclesiastici tantum*, infideles illud non incurrunt, nec proinde dispensatione indigent quando convertuntur. Sed si crimen committitur a

---

[1] **S. Alph.**, n. 1034; de hac intentione silet quidem *Codex*; sed, etsi jus antiquum de ea pariter taceret, communiter canonistæ et theologi id deducebant ex fine legis.

[2] Qui mutua opera physica vel morali mortem conjugi "*intulerunt*". *Codex*, c. 1075, 3°.

[3] Dicit enim *Codex* : "*Conjugi...*" ibid.

parte fideli cum parte infideli, impedimentum adest, directe fidelem et indirecte infidelem afficiens.

(b) Ecclesia in hoc impedimento dispensare valet; sed *difficillime* dispensat in conjugicidio præsertim *publico*, propter scandalum quod exinde sequeretur; minus difficile tamen in casu adulterii cum sola promissione vel attentatione matrimonii.

(c) Ante *Codicem* controvertebatur num *ignorantia ab hoc impedimento excusaret*, paucis dicentibus ignorantiam ab hoc impedimento excusare, quia lex esset *primario pœnalis*. Hodie vero, ex canone 16, "nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur"; ideoque impedimentum criminis afficit etiam eos qui illud ignorant, et contraria sententia amplius defendi non potest.

1034. Notandum. Plerumque nupturientes de hoc impedimento manifestando non cogitant; unde, si confessarius fundatas habet suspiciones de ejus existentia, discrete interrogare debet pænitentem; v. g., si ancilla hero recenter viduo velit nubere, inquiri potest num promissio matrimonii præcesserit, quandonam, vivente uxore? num, præter promissionem, adfuerint inhonesti sermones, etc.

Advertatur tamen quod "data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob præsumptam conjugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente *ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii*, si qua opus sit"[1].

Art. V. De dispensationibus.

1035. Dicemus: 1° de *ipsis dispensationibus*; 2° de *revalidatione* matrimonii invalidi.

§ I. De ipsis Dispensationibus.

Divisio.
- De notione et speciebus dispensationum.
- De auctore dispensationum.
- De causis dispensationum.
- De modo petendi dispensationes.
- De modo exsequendi dispensationes.
- De effectibus dispensationum.

[1] *Codex*, c. 1053.

I. De notione et speciebus dispensationum.[1]

1036. 1° **Notio.** (A) Dispensatio matrimonialis est *relaxatio alicujus impedimenti ecclesiastici, pro casu particulari, ab eo facta qui potestatem habet.* — Differt proinde ab *abrogatione* legis, qua impedimentum pro tota Ecclesia et ex toto tollitur; et a *derogatione*, qua impedimentum pro tota Ecclesia ex parte tantum tollitur, v. g., quando consanguinitas a septimo ad quartum gradum reducta est.

(B) Rationem cur dispensationem aliquando concedere expediat sic declarat *S. Thomas*[2] : contingit quandoque quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, non est conveniens huic personæ vel in hoc casu, quia per hoc impediretur aliquid melius vel etiam induceretur aliquod malum; expedit igitur ut in hoc particulari casu lex relaxetur; quia vero periculosum esset id committere judicio cujuslibet, nisi propter evidens et subitum periculum, oportet ut qui habet regere multitudinem potestatem habeat dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur.

(C) Prioribus Ecclesiæ sæculis nulla apparent vestigia dispensationum super impedimentis matrimonialibus. *S. Gregorius M.*, sæc. VI, indulsit Anglis recens conversis ut permanerent in conjugiis ante conversionem initis in tertio consanguinitatis gradu : sed hæc non fuit dispensatio stricte sumpta, sed privilegium cuidam nationi propter speciales rationes concessum. Sed jam sæc. XI inveniuntur exempla dispensationis, v. g., in casu Casimiri, qui, non obstante religiosa professione, nuptias contrahendi licentiam accepit. A sæc. XII, frequentiores datæ sunt dispensationes a R. Pontifice; a sæc. XVI, Episcopis, præsertim missionariis, concessæ sunt facultates dispensandi super nonnullis impedimentis; et hæc praxis in dies communior evasit. *Leo XIII* facultates concedi solitas multum extendit, simulque clausulas quasdam, quæ rescriptis apponi solebant, abrogavit aut mutavit, quo facilius dispensationes executioni mandari valeant.

---

[1] **Sanchez**, lib. VIII, disp. I; **Pyrrhus Corradus**, *Praxis Dispensationum*, lib. I, c. 1-3; **Gasparri**, n. 311; **Esmein**, II, p. 316-330; **Fourneret**, p. 272-320; **Wernz-Vidal**, n. 401-449; **Cappello**, n. 215 sq.; **A. de Smet**, n. 713-930; **Prümmer**, n. 862-883; **Verm.-Creusen**, II, n. 343-365.

[2] *Sum. Theolog.*, 1ª 2ᵃᵉ, q. 97, a. 4.

1037. 2° Species dispensationum. (A) Dispensationes concedi possunt quoad *publicum* vel quoad *occultum* impedimentum : quæ distinctio maximi momenti est, cum sæpe *S. Pænitentiaria* dispenset cum clausula "*dummodo sit occultum*".

(a) Jamvero quædam sunt impedimenta quæ natura sua *publica* sunt, quatenus absque infamia vel scandalo cognosci possunt, et aliunde facile probantur in foro externo, v. g., consanguinitas legitima, cognatio spiritualis, affinitas licita, ligamen, disparitas cultus, etc.; hæc, quamvis paucis nota, ut publica habentur, quia probari possunt in foro externo.

(b) Alia autem sunt quæ natura sua sunt *occulta*, quia ex se, ut infamantia vel mere privata, occultantur nec facile probari valent in foro externo, qualia sunt votum privatum, consanguinitas illegitima, crimen, etc.; de his inquiritur quandonam *de facto* censeantur occulta.

1) Jamvero huc usque Rom. Congregationes duplicis generis occultum *de facto* distinguebant : *omnino occultum* et *simpliciter occultum*. Prius erat illud quod nulli notum est præterquam partibus et confessario; imo, probabilius, quod, præter partes et confessarium, uni tantum discretæ personæ notum est. — Posterius, i. e., *simpliciter* seu *quasi occultum* erat illud quod paucis tantum notum est, absque probabili periculo quod res in foro externo probetur.

2) Sed can. 1037, quod canonistis definiendum relinquebatur, ipse definit, simpliciter dicendo : "Publicum censetur impedimentum quod probari in *foro externo* potest; secus est occultum". Non ergo requiritur ut impedimentum, natura sua occultum, sit de facto publicum, ut juridice probetur; sed sufficit ut de eo habeatur authenticum documentum, vel sit notum iis personis quarum testimonium in foro externo probationi juridicæ æquivaleret : quales sunt, ex can. 1791, § 1, unus solus testis *qualificatus* qui deponit de rebus ex officio gestis; § 2, duæ vel tres personæ, omni exceptione majores, sibi firmiter cohærentes, testificantes de scientia propria.

1038. Corollaria. (a) Si impedimentum notum est in uno loco v. g., in Hibernia, et ignotum in loco ubi degunt contrahentes, v. g., in America, nec ejus notitia prævidetur ibi facile perventura, censetur occultum; tutius est tamen hanc circumstantiam in petitione exponere. — Pariter si fuit aliquando publicum, sed exinde per longum tempus (v. g., decem annos) occultum mansit, tanquam occultum haberi potest.

(b) Si impedimentum est publicum *materialiter*, i. e., quatenus est factum, sed non *formaliter*, quatenus criminosum (v. g., si homicidium a communitate ut fortuitum habetur), in praxi censetur occultum. Si vero publicum est non solum ut factum, sed etiam ut crimen, quamvis ignoretur hoc esse impedimentum, impedimentum est publicum. Sufficit enim "ut publicum sit factum ex quo oritur impedimentum"[1].

1039. (B) Ratione *fori*, dispensatio conceditur vel pro foro externo, vel pro foro interno tantum. (a) Quando conceditur pro foro *externo*, valere censetur etiam pro foro interno, excepto casu quo judicium latum est ex *præsumptione*, quæ revera falsa est. — Hæc dispensatio petitur pro impedimento *publico*, expressis oratorum nominibus.

(b) Dispensatio conceditur in foro *interno* sacramentali (reticitis oratorum nominibus), vel in foro interno non sacramentali (expressis eorum nominibus). Ex can. 1047 hæc notentur: "Nisi aliud ferat S. Pænitentiariæ rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto curiæ archivo... asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali".

1040. (C) Ratione *formæ*, dispensatio dari potest (a) in forma *gratiosa*, quando directe ipsi oratori conceditur et ad eum dirigitur; quod olim aliquando fiebat; (b) in forma *commissoria*, quando non ipsi oratori conceditur, sed exsequenda committitur sive Ordinario, sive confessario aut alii sacerdoti; hodie dispensationes hoc modo conceduntur, jubente *Leone XIII* (*Collect.*[2], 1685).

In utroque casu, dispensatio non expirat morte *concedentis*, vel ejus cessatione ab officio; neque morte personæ *delegatæ*, nisi huic concredita fuerit facultas dispensandi ratione personalis qualitatis, non autem ratione officii.

II. De auctore dispensationum.

Cum illi dispensare valeant qui potestate leges ferendi gaudent aut ab eis delegantur, quæstio expendi potest quoad *S. Pontificem*, *Ordinarios* et *sacerdotes* (can. 1040).

[1] *Com. Int.*, 25 jun. 1932.

1° De potestate S. Pontificis quoad dispensationes.

1041. (A) De ipsa potestate. S. Pontifex, utpote supremum Ecclesiæ caput, valide et licite, justa accedente causa, dispensare potest a quacumque lege ecclesiastica, ideoque in omnibus impedimentis juris ecclesiastici. Quod ut fusius declaretur, hæc notanda sunt :

(a) Nulla dispensatio conceditur super impedimentis juris *divini*, sive *naturalis* sive *positivi*, nisi in casibus ab ipso jure divino determinatis (v. g., in casu *Paulino*, supra, n. 729). Ecclesia tamen relate ad jus divinum duo præstare valet : *authentice* declarare utrum adsit impedimentum an non, v. g., utrum sufficienter constet de solutione prioris ligaminis; aut utrum, in tali vel tali circumstantia, jus divinum obliget vel non, v. g., in casu Paulino utrum interpellatio sit necessaria.

Hinc S. Pontifex dispensare nequit in consanguinitatis primo gradu lineæ rectæ; in impotentia antecedente et perpetua; ligamine, si agitur de matrimonio fidelium rato et consummato; errore et metu, quatenus libertatem necessariam tollunt.

1042. (b) *Si dubitatur utrum aliquod impedimentum sit juris divini an ecclesiastici*, S. Pontifex, tutiorem sequens viam, in eo dispensare non solet; ita in omni gradu consanguinitatis in linea recta; in primo gradu consanguinitatis lineæ collateralis.

(c) *Raro* et nonnisi ex *gravissima* causa dispensat Pontifex in impedimento ætatis, etiam quatenus est mere ecclesiasticum; in secundo gradu consanguinitatis tangente primum (inter neptem et avunculum); in primo gradu licitæ affinitatis in linea recta; in voto solemni et ordine sacro ; in disparitate cultus, extra loca missionum ; in substantiali forma celebrationis matrimonii.

1043. (B) De organis per quæ R. Pontifex dispensat. Cum R. Pontifex omnia negotia personaliter expedire nequeat, variis utitur Congregationibus ad dispensationes concedendas.

Hodie, juxta novam œconomiam Const. *Sapienti consilio* inductam, quinque Congregationes ad hoc munus deputantur :

1044. (a) Pro foro interno tantum, *S. Pœnitentiaria* dispensare potest, sicut antea, pro foro conscientiæ :

1) quoad matrimonia *contracta* et *contrahenda*, super omnibus impedimentis, prohibentibus et dirimentibus, quæ

natura et *facto* sunt *occulta*, ac super publica honestate ex sponsalibus occultis (ex jure antiquo); 2) in ordine ad matrimonium *contractum convalidandum*, super tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis licitæ *facto occultis*, necnon in secundo gradu, si "saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint", item super cognatione spirituali *facto occulta* [1].

Omnia *secreto* et *gratis* in hoc sacro tribunali expediuntur. Solvendæ sunt tamen expensæ *postales*, et si dispensatio per Cancellariam episcopalem impetratur, parva pecuniæ summa pro *agentia*.

1045. (b) Pro foro externo : 1) *Cong. S. Officii* dispensat in impedimentis *disparitatis cultus* et *mixtæ religionis*. Retinet etiam facultatem ea cognoscendi quæ *privilegium paulinum* et matrimonia *mixta* (inter catholicos et acatholicos) respiciunt. Ejus competentia sese extendit ad omnes ecclesias ritus latini, non exceptis iis quæ S. Cong. *de Prop. Fide* subjiciuntur. (*Codex*, can. 247, § 3.)

2) Congreg. *de disciplina sacramentorum* seu *de sacramentis* (pariter S. Cong. *de Propaganda Fide* pro missionibus) dispensat super *reliquis* impedimentis *fori externi*, tam pro pauperibus quam pro divitibus. Eidem Congregationi tribuuntur sanationes in radice, dispensatio super matrimonio rato et non consummato, separatio conjugum, legitimatio prolis. Ejus competentia in iis quæ ad matrimonium spectant, ad totum orbem ritus latini extenditur. — Attamen, quando agitur de dispensatione super matrimonio *rato, prævia judicialis inquisitio* de facto non consummationis pertinet ad *S. Rotam*. (*Codex*, can. 249, § 3.)

1046. 3) *S. Cong. Negotiis religiosorum sodalium præposita* dispensat super voto castitatis quoad religiosos utriusque sexus, et omnes sodales in communi vitam degentes more religiosorum, et quidem per totum orbem ritus latini.

4) *S. Cong. pro Ecclesia Orientali* dispensat quoad regio-

[1] *Benedict. XIV*, Constit. *Pastor bonus*, 3 apr. 1744; *Normæ peculiares*, cap. VIII, art. 1. (*A. A. S.*, I, 101). — Cfr. **Wernz-Vidal**, n. 409.

nes et personas ad Ritus orientales pertinentes in omnibus impedimentis, solo excepto privilegio *Paulino* quod exclusive S. Officio reservatur.

Notandum. Ex const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904, facultates Congregationum *ordinariæ* non extinguuntur morte Pontificis, sed tantum *extraordinariæ* aut quæ expediri nequeunt nisi *facto verbo cum Sanctissimo.* Vult tamen Pontifex ut, in quantum fieri potest, Congregationes his facultatibus non utantur nisi in rebus *minoris momenti.*

2° De potestate dispensandi Ordinariis competente.

1047. Jure proprio et originario, Ordinarii non possunt dispensare in impedimentis matrimonii sive dirimentibus sive etiam prohibentibus [1] : Ordinarius enim a lege generali jure proprio dispensare nequit.

1048. (A) Potestate ordinaria, vicaria tamen, non propria :

(a) In *casu dubio :* " Leges etiam irritantes et inhabilitantes in dubio juris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus *Romanus Pontifex* dispensare solet " [2].

1049. (b) " *Urgente mortis periculo*, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiæ, et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, *consummato matrimonio*, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, præstitis consuetis cautionibus " [3].

1050. Ad quod intelligendum, hæc notentur : 1) *Personæ* cum quibus dispensari potest sunt omnes quæ versantur in vero mortis periculo, sive ex morbo, sive aliunde, tum

---

[1] Possunt quidem dispensare a *vetito* a se vel a prædecessore *lato*; sed *vetitum* non est proprie impedimentum.

[2] *Codex*, c. 15. — [3] *Codex*, c. 1043.

concubinarii, tum civiliter juncti, tum etiam separati. Nil refert utrum morti proximus sit ille qui indiget dispensatione, v. g., subdiaconus, monialis, vel ejus socius.

2) *Objectum dispensationis* sunt omnia impedimenta (præter duo hic excepta) tum prohibentia, tum dirimentia, et etiam defectus formæ solemnis ita ut matrimonium iniri valeat absque parocho vel testibus.

3) *Motiva* duo allegantur : *ad consulendum conscientiæ*, quæcumque demum sit conscientiæ anxietas : non solum concubinatus, sed etiam tentationes, inimicitiæ, reparationes debitæ, etc. — Si casus ferat, *legitimatio prolis* natæ vel nascendæ, exceptis filiis sacrilegis vel adulterinis, de quibus vide can. 1051.

4) *Remoto scandalo.* Casum specialem sic solvit *Leo XIII* (20 febr. 1888) : Si dispensatum fuerit cum subdiacono vel cum religioso votorum solemnium et ille convaluerit, monendum est S. Officium et interea scandalum avertendum meliori quo fieri potest modo.

Potestas dispensandi complectitur etiam affinitatem in linea recta, si matrimonium non fuerit consummatum. Porro matrimonium (sive verum sive falsum), " si conjuges simul cohabitaverint, præsumitur (consummatum) donec contrarium probetur " [1].

1051. (c) *In casu urgenti*, possunt Ordinarii, sub clausulis n. 1049 indicatis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in eodem numero, quoties impedimentum detegatur cum jam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

Hic notandum : 1) In hoc casu dispensatio super forma solemni matrimonii impertiri nequit : Cf. sedulo can. 1045 et 1043. — 2) Sufficit ad dispensandum quod impedimentum, quamvis antea ab aliis cognitum, tunc solum ad notitiam parochi vel Ordinarii sit delatum. — 3) Agitur de probabili gravis mali periculo, cujusvis naturæ sit illud malum.

1052. Hæc facultas valet quoque pro convalidatione matrimonii *jam contracti*, si idem periculum sit in mora nec

[1] *Codex*, c. 1015, § 2.

tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem. — Si simul vivant putativi conjuges, hoc periculum adesse censetur.

1053. (B) **Potestate delegata.** Ordinarii dispensare possunt in iis impedimentis pro quibus speciales facultates acceperunt [1]; quæ quidem variæ sunt pro variis regionibus [2].

De his omnibus facultatibus quædam sunt notanda :

(a) *De subjecto.* 1) Quando contrahentes sunt *diversæ* diœcesis, si impedimentum est *uni* omnino *proprium*, quale est votum, contrahens ita ligatus ad proprium Episcopum recurrere debet, et si ambo tale impedimentum contraxerunt, a suo quisque Episcopo dispensari debet; si vero impedimentum est *utrique commune*, prout consanguinitas, affinitas, sufficit ut dispensatio ab *alterutro* Episcopo concedatur; convenit tamen ut petatur ab Episcopo, in cujus diœcesi matrimonium celebratur.

2) Facultates delegatæ ab Ordinario exerceri possunt in solos subditos. Sed, cum hic agatur de jurisdictione voluntaria seu non judiciali, hanc "quis exercere potest etiam in proprium commodum, aut extra territorium exsistens, aut in subditum e territorio absentem" [3].

1054. (b) *De duratione.* 1) Facultates habitualiter concessæ Ordinariis non pereunt, nec suspenduntur ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordi-

---

[1] Ex decreto *Congr. Sacrament.*, 7 martii 1910, his facultatibus non est utendum pro matrimoniis regum ac stirpis regiæ principum. Cf. *Acta Apost. Sedis*, II, p. 147; *Codex*, c. 1557.

[2] Post promulgatum Codicem, sublatis a die 18 maii 1918 facultatibus antea Ordinariis *pro foro externo* concessis, die 17 martii 1922 a S. C. Consistoriali prodiit *Elenchus facultatum matrimonialium* apud S. C. de Sacramentis et S. Officii impetrandarum, quas, a die 20 april. 1923 (ex Motu proprio Pie XI), per tramitem S. C. Consistorialis obtinere possunt ad *quinquennium* omnes episcopi, non obnoxii jurisdictioni sive S. C. de Propaganda Fide, sive S. C. pro Ecclesia orientali.

Insuper, præter facultates quinquennales (indulta communia) Ordinariis concessas, a Cong. S^ti^ Officii, de Sacramentis, de Religiosis, et a S. Pænitentiaria, specialia ad instantiam conceduntur indulta Ordinariis (vel etiam confessariis qui obtinent pagellam S. Pænitentiariæ) ad quædam impedimenta dispensanda, vel ad determinatum numerum casuum talis vel talis impedimenti.

Ordinariis Missionum, quibusdam sub conditionibus, facultates conceduntur speciales a S. C. de Propaganda Fide.

[3] Cf. *Codex*, c. 201, § 3.

narios transeunt; item concessæ Episcopo competunt quoque Vicario Generali [1].

2) Cessant autem facultates concessæ ad *certum numerum* (v. g., pro viginti, centum casibus), statim ac ille numerus exhaustus est, etiamsi tempus, si additum fuerit (v. g., ad quinquennium), elapsum non fuerit. Si vero conceduntur ad tempus, quin numerus determinetur (v. g., ad decennium), exspirant tempore elapso. Tempus autem regulariter incipit a die *datæ* facultatis, sed in remotis missionibus a die *receptionis*.

Proinde renovari debent facultates opportuno tempore; declaravit tamen *S. C. de Prop. F.*, 16 Jan. 1797, eas valere usque ad novæ prorogationis impetrationem, casu quo renovatio sine culpa Episcopi dilata fuit. Quod tamen non suffragatur Episcopis qui omiserunt tempestive prorogationem postulare.

3) Quoad facultates in *Pagella S. Pænitent.* contentas, hæc verba recenter addita sunt: "Mens nostra est, ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra prædictum terminum his facultatibus te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitæ ratæ sint et validæ."

1055. (c) *De usu et interpretatione.* 1) "In matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui gaudet indulto generali dispensandi super certo quodam impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse præscribatur, super eo dispensare etiamsi idem impedimentum multiplex sit.

"Qui habet indultum generale dispensandi super pluribus diversæ speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus" [2].

2) In concedendis dispensationibus, Ordinarii sequi debent regulas quas servat S. Sedes quoad dispensationum *causas*.

---

[1] *Codex*, c. 66, § 2. Præterea, "concessa facultas secumfert alias quoque potestates quæ ad illius usum sunt necessariæ; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a pœnis ecclesiasticis, si quæ forte obstent, sed ad effectum tantum dispensationis consequendæ". *Ibid.*

[2] *Codex*, c. 1049.

3) Si cum impedimento publico in quo ex indulto quis dispensare potest, concurrat aliud in quo requiritur dispensatio S. Sedis, eo ipso privatur sua potestate delegata dispensandi super illo priori impedimento, et in casu relaxatio omnium impedimentorum a S. Sede Apostolica impetranda est [1]. "Si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest (aliquis), comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit" [2].

4) "Si petitio dispensationis ad Sanctam Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur (quod de *liceitate* intelligitur), nisi ad normam can. 204, § 2" [3]. Præterea "qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant." (c. 1057).

3° De potestate sacerdotibus concessa.

1056. Parochi, sacerdotes matrimonio assistentes et confessarii dispensare possunt potestate *ordinaria vicaria*, nempe a jure suo muneri adnexa in sequentibus casibus :

1057. (A) **In urgente mortis periculo** "et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate (ac Ordinarius) pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio ad normam can. 1098, n. 2, assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum" (can. 1044).

1058. (a) Ordinarius autem censetur adiri non posse quando *neque personaliter neque per litteras* adiri valet, v. g., si nupturiens prævidetur moriturus antequam dispensatio impetretur. *Ex Commis. pont. ad can. interpr.*, 12 nov. 1922, censendum est "Ordina-

[1] Quod tamen principium non applicatur dispensationi in *bannis*, quæ manet in potestate Ordinarii. Aliunde, ex Codice, omissio bannorum non constituit impedimentum proprie dictum.

[2] *Codex*, c. 1050.

[3] *Codex*, c. 1048. — Attamen "ex gravi urgentique causa" Ordinarius posset rei se immiscere. (*Codex*, c. 204, § 2).

rium adiri non posse, si nonnisi per telegraphum vel telephonium ad eum recurri possit". Et merito quidem, ut sic vitetur violatio secreti.

(b) "Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat, eaque adnotetur in libro matrimoniorum" (can. 1046), ut ita constare possit de dispensatione.

(c) Confessarius eadem potestate gaudet ac parochus, sed tantum pro *foro interno* et in *actu confessionis sacramentalis*. Itaque si ægrotus convalescat, ad forum externum recurrere debet pro nova dispensatione (can. 1047). — Si confessarius impedimentum *publicum* detegat, expedit ut pænitentem remittat ad parochum ut hic, extra confessionem cognoscens impedimentum, dispensationem in secreto Curiæ archivo adnotari curet.

1059. (B) **In casu urgenti**, parochus, sacerdos assistens et confessarius eadem facultate gaudent ac Ordinarii "sed solum pro casibus *occultis* in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti" (can. 1045). Ita jam facile solvitur casus qui dicebatur *perplexus*, quando nempe, *omnibus ad nuptias paratis*, detegebatur impedimentum.

(a) Jamvero in præsenti quæstione *casus occultus* intelligi potest non in sensu stricto can. 1037, sed in sensu usuali et vulgato, ita ut dispensationi sit locus super impedimentis natura sua publicis, sed in loco *de facto occultis* [1], saltem pro *parocho* et *sacerdote assistente* [1]; et probabilius pro *confessario* [2].

(b) Dispensatio a parocho vel assistente sacerdote concessa in foro *non sacramentali* adnotari debet in *libro Matrimoniorum*, ne postea matrimonii validitas impugnetur. Confessarius autem, ad idem præcavendum, si fieri potest, ad parochum remittet pænitentem, ut supra.

1060 (C) In utroque casu, dispensatio importat legitimationem prolis, si qua nata aut concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega (can. 1051).

---

[1] Ita ex respons. *Comm. Interpr. Cod.* 28 dec. 1927 : *A. A. S.*, 1928, p. 61.

[2] **Wernz-Vidal**, n. 428, id negat pro confessario, ne fideles ita inducantur ad extorquendam dispensationem in foro sacramentali cum implicita spe matrimonium postea impugnandi, si id expedire videatur.

III. De causis dispensationum.

1061. 1° **Principia generalia.** (A) Dispensationes concedi non debent nisi urgente *gravi et proportionata causa :* " In contrahendis matrimoniis, ait *Tridentinum*[1], vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur". Hodie vero, ob temporum immutatas conditiones, temperatum est de antiquo jure propter commune bonum animarum[2]; nihilominus requiritur *gravis* causa, et quidem eo gravior quo gravius est impedimentum a quo petitur dispensatio. — Ad *liceitatem* semper requiritur justa causa; ad *validitatem* requiritur etiam quoties Ordinarius dispensat ex tacita vel explicita delegatione, quia S. Pontifex dispensandi facultatem non concedit nisi gravis causa accedat; Papa vero, utpote supremus Legislator, valide dispensat etiam sine causa, sed id facere non solet.

1062. (B) *Species causarum.* (a) Causæ dispensationum aliæ sunt *motivæ*, seu *per se determinantes*, aliæ autem *impellentes* seu *impulsivæ :* priores sunt rationes cur dispensatio concedatur, et *per se* sufficiunt ut concedatur; posteriores sunt rationes quæ dispensantem movent quo *facilius* dispenset, sed per se non sufficiunt ad dispensationem obtinendam. — Aliquando una causa seorsim sumpta est insufficiens, sed alteri vel pluribus aliis adjuncta sufficiens existimatur; nam *quæ non prosunt singula, multa juvant.*

(b) Aliæ sunt *infamantes*, quæ ex delicto oriuntur vel oratorum famam lædunt; aliæ *honestæ*, quæ nec delictum nec infamationem important. Facilius dispensatur a causis infamantibus quam ex aliis, propter necessitatem grave malum avertendi.

1063. (c) Quædam *canonicæ* vocantur, quia ex stylo Curiæ romanæ admitti solent ut vim et efficaciam habentes; aliæ *non canonicæ*, quarum efficacia non explicite admittitur. Priores in libello supplici præsertim exponi debent, sed eis adjici possunt aliæ, quo facilius dispensatio concedatur; eo magis quia S. Pontifex potest, in casu par-

[1] Sess. XXIV, cap. 5 de Reformat. Matrim.
[2] Ita *Dataria, Acta S. Sedis*, XXXIV, p. 83.

ticulari, quamcumque causam rationalem et sibi probatam admittere.

1064. 2° **Præcipuæ dispensationum causæ.** *Dataria* olim quatuor tantum admittebat; sed in *Formulis reformatis* viginti octo recensebantur : quæ causæ a Cong. de Sacramentis (nunc competente) admittuntur.

Angustia loci; angustia locorum [1]; angustia cum clausula : et *si extra* dos non esset competens [2]; incompetentia dotis Oratricis; dos cum augmento [3]; pro indotata; quando alius auget dotem; propter inimicitias (vitandas); pro confirmatione pacis, et propter fœdera inter Principes et Regna; propter lites super successione bonorum; propter dotem litibus involutam; propter lites super rebus magni momenti; pro oratrice filiis gravata, vel parentibus orbata; pro oratrice excedente 24 annum ætatis; propter difficultatem virorum accedendi ad locum, ad contrahendum cum loci habitatoribus; propter virorum parvum numerum, e. g., ratione belli; propter catholicam religionem contrahentis in tuto ponendam, et periculum matrimonii mixti; propter spem conversionis compartis ad catholicam religionem; ut bona conserventur in familia; pro illustris familiæ conservatione; pro conservatione regiæ stirpis; ob excellentiam meritorum; ob familiarum honestatem conservandam; ob infamiam et scandalum; ob copulam; ob raptum; ob matrimonium civile; ob matrimonium coram ministro protestante; ob matrimonium nulliter contractum; ex certis rationalibus causis, scilicet ob *copiosiorem compositionem* in gradibus aliquantulum remotis; vel in gradibus remotioribus ob causam boni publici Pontificis animum moventem; ex certis *specialibus* rationalibus causis, Oratorum animos moventibus et Sanctitati Suæ expositis, scilicet ob copulam vel actus inhonestos, quos ob honorem Oratorum, attenta eorum qualitate, non expedit explicare.

1065. *S. Pœnitentiaria*, necnon Congregationes jam a longo tempore multas admittunt rationes canonicas, præcipue vero *sexdecim*, quas ita recenset instructio *S. C. de Prop. Fide* [4], 9 maii 1877, quæque adhuc vigent, etsi aliquando aliis verbis referantur in rescriptis *S. C. de Sacram.*

---

[1] Id est tum loci originis, tum loci domicilii.

[2] Id est, si extra locum domicilii nubere cogeretur, dos quam ipsa habet, non esset competens neque sufficiens.

[3] Orator videlicet intendit augere dotem insufficientem oratricis.

[4] *Collect. P. F.*, n. 1482; **Gasparri**, n. 333 sq. — Quæ causæ substantialiter non differunt ab eis quas recenter Dataria admisit, proindeque explanationes quas subjungimus pro utrisque valent.

1) " *Angustia loci*, sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio fœminæ ita sit propagata, ut alium paris conditionis cui nubat, invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem ; patriam vero deserere sit ei durum ".

De quo animadvertimus : juxta *S. Cong. Concilii*, 16 dec. 1876, angustia loci non est desumenda a numero focorum cujusque parœciæ, sed a numero focorum totius urbis vel oppidi, aut locorum quæ non distant ultra milliare (1500 mètres); et, juxta Datariam, 30 aug. 1847, locus dicitur angustus quando non excedit trecentum focos, i. e., mille et quingentos circiter incolas, demptis hæreticis, schismaticis et infidelibus, non autem impiis et incredulis. — Ratio cur conceditur dispensatio est quia secus oratrix deberet vel innupta manere, vel nubere viro disparis conditionis, vel e patria egredi; quæ tria gravia sunt incommoda. Ut causa sit vera, oratrix debet esse *honestæ* familiæ; secus posset invenire virum paris conditionis. Causa adesse censetur, etiamsi prius quidam juvenes paris conditionis eam in uxorem petierint, dummodo nunc nullus inveniri possit.

1066. 2) " *Aetas fœminæ superadulta*, si scilicet vigesimum quartum ætatis annum jam egressa virum paris conditionis cui nubere possit non invenit. Hæc vero causa haud suffragatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupiat ".

Dicitur *virum paris conditionis*, i. e., æqualem genere, opibus, ingenio, nec disparem ætate, religione, moribus, qui sit acceptus mulieri ejusque parentibus. — Ad validitatem dispensationis satis est quod certo constet de ætate superadulta, nec necesse est, in verificatione causæ, inquirere et probare mulierem usque ad illam ætatem virum paris conditionis non invenisse [1].

1067. 3) " *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe fœmina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quæ causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit ".

Quæ ratio existit etiamsi oratrix dotem habitura sit post mortem parentum, dummodo hi nolint aut non valeant eam nunc dotare;

[1] Ita *S. Pœnitentiaria*, 5 apr. 1902, *Acta S. Sedis*, XXXV, 44.

imo etiamsi certa spes adsit quod aliquis eam dotare velit, si oratrix ad eum cogendum jus non habeat; vel etiam quando jam dotem renuntiavit, dummodo id non fecerit ad dispensationem obtinendam.

4) " *Lites super successione bonorum jam exortæ, vel earumdem grave aut imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, præter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet : interest enim reipublicæ ut lites extinguantur. — Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit ".

5) " *Paupertas viduæ*, quæ numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduæ ea tantum de causa quod junior sit, atque in periculo incontinentiæ versetur ".

1068. 6) " *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum fœdera inter Regna et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Hæc causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quæ inter contrahentium consanguineos vel affines ortæ sunt, quæque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiæ graves viguerint, et licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret ".

Hæc causa ea est quæ a Dataria vocatur *propter inimicitias*, et duo supponit : inimicitias ortas esse aliunde quam ex causa matrimonii, atque spem fundatam adesse easdem optatis nuptiis extinguendi.

1069. 7) " *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quæ facile impediri non possit ".

Cujus ratio est ut *vitetur scandalum;* proinde necesse est ut *familiaritas* vel *cohabitatio* originem dederit suspicioni de turpi commercio carnali. Ad quam causam referri possunt aliæ quæ pariter scandalum præbere valeant, ut *inordinatus amor* et *periculum vitæ*,

quando puellæ parentes mortem minantur viro, nisi ducat eam quam suspicantur carnaliter cognovisse.

8) "*Copula cum consanguinea* vel *affini* vel alia persona impedimento laborante præhabita, et *prægnantia*, ideoque *legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quæ secus innupta maneret. Hæc profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio".

Cum hæc causa ob vitanda scandala admittatur, copula debet esse notoria, vel proxime divulganda. Si sit occulta, allegari potest ad confirmandum periculum incontinentiæ vel scandali. — Olim addebatur clausula : *dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis ;* sed hæc sublata est per decretum *S. Officii* [1], 25 jun. 1885.

"9) *Infamia mulieris ex suspicione orta* quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur".

"10) *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est : quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno præsertim fœminæ, *cap. 7 de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Concil. Trid. *sess. XXIV, cap. 5 de Ref. Matr.*"

Hodie vero hæc ultima restrictio non amplius viget, et, ob vitanda pejora mala, dispensatio datur etiam in casu malæ fidei utriusque partis, præsertim si proles jam nata fuerit, vel matrimonium civile contractum.

1070. "11) *Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis, ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiæ auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia

[1] *Collect. P. F.*, n. 1246.

adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi hæreses impune grassantur... Tantumdem dicendum de periculo quod pars catholica cum acatholica matrimonium celebrare audeat".

"12) *Periculum incestuosi concubinatus*... ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti æternæ salutis discrimine"...

"13) *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur probabile periculum, quod illi qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam".

"14) *Remotio gravium scandalorum*".

"15) *Cessatio publici concubinatus*".

"16) *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicæ hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus".

1071. Quando agitur de dispensationibus super impedimento *consanguinitatis in primo lineæ collateralis gradu mixto cum secundo*, non sufficiunt causæ *ordinariæ* quæ pro ceteris impedimentis etiam majoris gradus adducuntur (nisi simul junctæ tam grave pondus efforment ut dispensationem suadeant), sed requiruntur causæ *speciales*, ut sunt v. g. remotio notabilis scandali, compositio gravium quæstionum in successione bonorum, aut resolutio implexarum vel valde miserarum conditionum familiarum. Insuper supplices libelli ab Episcopo subscribi debent, et ab eo specialiter commendari. *Cong. de Sacr.*, 1 aug. 1931.

1072. Corollarium. Causa vera esse debet *tempore quo dispensatio fulminatur*, seu executioni mandatur; secus sine causa concederetur dispensatio ac proinde illicite et invalide, nisi ageretur de *minore* impedimento (c. 1054).

Cum autem hodie *Papales* dispensationes dentur tantum in *forma commissoria*, stricte loquendo necesse non est ut causa dispensationis vera sit [1] tempore quo S. Pontifex litteras dispensationis concedit, sed solum tempore executionis; nam S. Pontifex non expendit veritatem causarum, nec proprie dispensat, sed constituit

[1] Exclusa tamen *mala fide*, ut infra dicetur.

executorem (Ordinarium, vel confessarium) tamquam judicem, ut videat num causæ veræ sint, et, posita veritate causarum, dispensationem fulminet[1]. — Si vero dispensatio concedatur in *forma gratiosa* ab Ordinario, causa vera esse debet tempore concessionis (can. 41).

IV. De modo petendi dispensationes.

1073. 1° Ad quem spectet dispensationem petere? (A) Regulariter ad *ipsos contrahentes* qui dispensatione indigent; cum vero plerumque inhabiles sint ad id præstandum, generatim petitio fit ab oratorum *parocho* vel *confessario.*

(a) Pro foro *externo* petitio fiat a *parocho*, non ine oratorum. Si nupturientes diversæ sint parochiæ, dispensatio potest ab alterutrius parocho postulari, sed expedit ut petatur a parocho loci ubi matrimonium celebratur, regulariter videlicet a parocho sponsæ. Si tamen de matrimonio *mixto* agatur, petitio fieri debet a parocho catholicæ partis.

(b) Pro foro *interno sacramentali* petitio fiat a *confessario*, adhibito pseudo-nomine, v. g., Titio, Caia.

(c) Si dup ex sit impedimentum, unum *publicum* et alterum *occultum* duplex fieri debet petitio : una pro publico impedimento, cum oratorum nominibus; altera pro occulto, tacitis nominibus ut sic consulatur sigillo sacramenti ac famæ partium : prior ad Cong. de Sacramentis vel S. Officium, etc. mittatur; posterior ad Pænitentiariam, notando quod oratores, alio impedimento publico ligati, super illo obtinuerint vel petierint dispensationem[2].

(B) Quamvis *ore* petitio fieri valeat, melius ac tutius fit in scriptis. In praxi Rom. Congregationes nonnisi scriptas petitiones admittunt. Jussu *Leonis XIII*, 10 dec. 1891, dispensationes ordinarie non debent *telegraphice* peti, ob incommoda quæ ex hac

---

[1] Ita **Santi**, lib. IV, Append., n. 34, post **Pyr. Corradum**, lib. VII, c. 6, n. 25.

[2] Ut oratorum famæ consulatur, omnino decet duos esse *officiales* in Curia Episcopali, unus pro publicis, alter pro occultis impedimentis; nam, si idem utrumque libellum supplicem accipiat, facile cognoscere potest nomina oratorum qui pro occulto impedimento dispensationem petierunt. In diœcesibus ubi unus est tantum officialis, pro occultis impedimentis ad S. Pænitentiariam recurrendum est.

agendi ratione facile occurrere possunt; eadem regula in Episcopalibus curiis observari debet.

(C) Quando *componenda* aut *taxa* requiritur ad obtinendam dispensationem, expedit ut parochus vel confessarius supplicem libellum non mittat nisi prius solutis expensis; secus ad eas solvendas ipse teneri posset. Si vero oratores ita pauperes sint ut nullam pecuniam dare valeant, id in ipso libello supplici exponatur, ut gratis concedatur dispensatio.

1074. 2° A quo dispensatio obtineri debeat? Ab *Ordinario*, vel a *S. Sede.*

(A) Cum hodie plerique Ordinarii, præsertim in remotis regionibus, amplissimas facultates a S. Sede obtinere soleant, pro multis impedimentis directe ad Ordinarium recursus haberi solet, et quidem per epistolam latino aut vernaculo idiomate scriptam : si requisita facultate gaudet, dispensabit; secus ad S. Sedem recurret, aut in casu urgenti dispensabit, n. 1051.

(B) Quando agitur de impedimento in quo Ordinarius dispensare non valet, ad Rom. Congregationes recursus habeatur, juxta principia superius (n. 1047 sq.) exposita.

1075. Quando ad *Cong. de Sacramentis* vel ad *S. Officium* recursus fit, hæc aut similis adhiberi potest formula : —

Beneventan. (i. e., nomen diœcesis oratoris)

Beatissime Pater,

Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius Oratorum *Alphridi Santangelo* viri et *Mariæ Loiacono* mulieris *Beneventan. diœcesis*, quod cum dicta mulier in loco, ex quo ipsa et Orator præfatus orti sunt, in dicta diœcesi existente, propter illius angustiam, virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, ac cum dicta Oratrix quinque filiis ex alio viro procreatis gravata existat, et dictus Orator illam in uxorem ducere, dictosque ejus filios alere et gubernare intendat; cupiunt propterea Oratores præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed ... (*Hic exponitur speciale impedimentum inter oratores vigens*) . . . Supplicant igitur humiliter S. V. Oratores præfati, quatenus cum eisdem Oratoribus, quoad impedimentum . . . . . ex præmissis proveniens, ac aliis, bona fide, forsan reticitis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, libere et licite valeant, dispensare dignemini de gratia speciali, cum clausulis opportunis.

1076. Quando ad *S. Pænitentiariam* recursus habetur, supplicatio Majori Pænitentiario inscribitur[1], et latino, aut etiam vernaculo idiomate scribi potest.

Eminentissime Princeps[2],

Titius ... (*Hic exponitur impedimentum posteaque ratio propter quam petitur dispensatio*) . . . Quare supplex rogat Titius Eminentiam Vestram ut dispensationem in præfato impedimento benigne concedere dignetur.

Eminentiæ Vestræ placeat dirigere litteras ad me infra scriptum confessarium.

Humillimus Servus
N. N.

Ibi exprimantur nomen et cognomen confessarii, nomen oppidi vel civitatis, vulgari idiomate.

S. C. de Prop. Fide formulas edidit typis impressas, cum spatiis vacuis, in quibus scribi possunt quæ cuique casui specialia sunt[3]; unam subjicimus speciminis gratia : —

Beatissime Pater,

Oratores .....
suppliciter petunt a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento[4].....
ut matrimonium inter se contrahere valeant.

Causæ sunt[5] .....
et incestus habitus inter eosdem Oratores .....

1077. Litteræ ad *S. C. de Prop. Fide* directe scribi possunt lingua latina, gallica aut italica.

Aliquando etiam recursus haberi potest ad Delegatos Apostolicos, qui a S. Sede dispensandi facultatem obtinuerunt.

Quando parochus aut confessarius ad Rom. Congregationes scribunt, consultius est litteras mittere per Episcopalem Cancellariam, nisi quando periculum est violandi sacramentale sigillum aut oratores infamandi : petitio enim melius ac clarius exponetur ab

---

[1] *Eminentissimo Cardinale Maggiore Penitenziario,*
Palazzo della Cancellaria, *Roma, Italia*

[2] Quam formulam desumimus ex opere *Zitelli*, p. 198.

[3] Petitio dirigitur ad Eminentissimum Cardinalem Præfectum *S. C. de Prop. Fide*, Propaganda, Roma, Italia.

[4] Exempli gratia : super impedimento consanguinitatis in secundo gradu æquali lineæ collateralis, quo ligantur, ex eo quod ambo descendunt a communi stipite, ut constat ex sequenti stemmate (hic detur arbor genealogica).

[5] V. g., ætas oratricis quæ jam annum 25um attigit, et nullum alium invenit virum æqualis conditionis qui velit eam ducere.

officiali his negotiis assueto. Ceterum, pro impedimento publico, non admittuntur petitiones nisi Episcopali sigillo munitæ.

1078. 3° De iis quæ in libello supplici exprimi debent. Hæc declarata sunt in citata Instr. *S.C. de Prop. Fide*, cujus verba referre et exponere juvat, mutatis tamen iis quæ ex *Codice* aut recentioribus decisionibus mutari debent.

1) " *Nomen et cognomen oratorum*, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum ".

Quod quidem valet pro impedimentis *publicis;* nam quando scribitur ad *S. Pœnitentiariam* pro *occulto* impedimento, nomina oratorum tacentur, et eorum loco ponitur *N.* vel *Titius.* — Si una pars non est catholica, id exprimi debet. Ex can. 47 "rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personæ cui vel ■ qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, judicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio ".

2) " *Diœcesis actualis domicilii* " aut *quasi-domicilii.*

Si agitur de occulto impedimento, non fit mentio diœcesis, sed confessarius scribit suum nomen et nomen loci ad quem dirigi debet responsum, lingua vernacula, ac perspicuis characteribus. — Cum plures adsint in diversis regionibus diœceses quæ eodem vel fere simili nomine appellantur, expedit adjicere nomen regni, vel Status ad quem diœcesis pertinet.

1079. 3) " *Species etiam infima impedimenti* ", an sit consanguinitas (legitima vel illegitima), vel affinitas, publica honestas originem ducens ex concubinatu vel matrimonio invalido; in impedimento criminis utrum provenerit ex conjugicidio ex mutua opera, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii; in cognatione spirituali utrum sit inter levantem et levatum. — Error in *specie* impedimenti irritat dispensationem.

1080. " 4) *Gradus consanguinitatis vel affinitatis, aut honestatis ex matrimonio* ... et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior sed etiam propinquior; uti et linea an sit recta aut transversa, item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris quam ex parte matris ".

(a) *Gradus non solum remotior sed etiam propinquior;* si in petitione pro gradu *propinquiore* ponatur *remotior*, dis-

pensatio est invalida; siquidem difficilius a propinquiore quam a remotiore dispensatur.

Si vero gradus sint *inæquales*, non videtur omnino necessarium propinquiorem exponere, nisi agatur de gradu propinquiore primi gradus. — Immo, quoties *primus* gradus attingitur, necesse est exprimere, ad liceitatem, non ad validitatem, utrum nepos velit amitam ducere, vel avunculus neptem. Pro impedimento primi tangentis secundum consanguinitatis gradum, Ordinarii debent supplices libellos *propria manu* exarare, aut saltem subscribere, et specialiter commendare [1]. — Si quis ducere velit fratris defuncti viduam, exponere debet utrum hæc a defuncto viro prolem habuerit.

(b) Valet tamen dispensatio concessa in aliquo gradu, licet in petitione, vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum ejusdem speciei in æquali vel inferiori gradu. (*Codex*, c. 1052).

(c) Quoad *lineam*, exprimi debet utrum sit recta an obliqua; si id vero prætermittitur in consanguinitate, intelligitur obliqua, cum non concedatur dispensatio in recta.

1081. 5) " *Numerus impedimentorum*, e. g., si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si, præter cognationem, adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive impediens ".

(a) Proinde, si adsit impedimentum impediens voti, mixtæ religionis, etc., id exprimi debet saltem ad liceitatem; imo ad validitatem, quando dispensatio a *Pœnitentiaria* petitur, cum hanc clausulam apponere soleat : *dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum.*

(b) Si plura sint impedimenta, saltem publica, in *eodem* supplici libello omnia exprimenda sunt; quando enim plura *simul* inveniuntur, difficilius conceditur dispensatio. Neque valet pro uno impedimento ad Ordinarium recurrere, pro altero autem ad S. Sedem; exceptio datur quando invenitur simul impedimentum *publicum* et *occultum*, ut supra (n. 1056) expositum est. — Si tamen, obtenta dispensatione, novum detegitur impedimentum super quo Ordinarius dispensare potest, suis facultatibus uti poterit (*Codex*, c. 1050).

---

[1] *S. Cong. de Sacr.*, 1 aug. 1931.

Quando serio timetur ne, præter impedimenta expressa, aliud ignotum inveniatur in casu, id exponere juvat; recenter enim Rom. Congregationes dispensationem concesserunt, postulantibus Officialibus, non solum in impedimentis explicite manifestatis, sed in aliis, si quæ sint in casu, in quibus S. Sedes dispensare soleat.

(c) Qui dispensationem super crimen conjugicidii obtinuit, et postea, iterato crimine, nova indiget, debet prioris criminis mentionem facere, cum propterea difficilius concedatur dispensatio.

1082. 6) "*Variæ circumstantiæ*, scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an præmissis denuntiationibus; demum an sit consummatum, si mala fide saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti".

7) *Status œconomicus* oratorum exprimi debet.

Tridentinum quidem prohibuerat[1] ne dispensatio concederetur quando matrimonium attentatum et a fortiori consummatum fuerat cum *scientia* impedimenti: hodie autem dispensatio conceditur, sed hæ circumstantiæ exprimi debent; secus dispensatio esset subreptitia.

Olim pariter exprimi debebat *copula incestuosa* inter sponsos habita ante dispensationis executionem, etiam quando copula non erat dispensandi causa; sed hæc obligatio abrogata est decreto *S. Officii*, 25 jun. 1885[2].

1083. N. B. Quando Ordinarius *vi Indulti* dispensat, præfatas regulas sequi debet, quia agit ut delegatus Pontificis, ideoque dispensare nequit nisi eo modo quo Pontifex dispensat. Si vero jure *ordinario*, i. e., ex concessione *juris communis*, dispensat, ea quidem servare debet quæ ad substantiam dispensationis, non autem necessario quæ ad *stylum Curiæ* spectant.

1084. 4° **De vitiis dispensationum et eorum sanatione.** (A) Dispensatio invalida esse potest propter causas *extrinsecas*, v. g., defectum potestatis in concedente, defectum formæ consuetæ, rasuram litterarum in parte dispositiva rescripti, aliasque quæ a Canonistis exponuntur, ubi de

[1] Sess. XXIV, cap. 5 de Reformat. Matrim.

[2] *Collect. P. F.*, n. 1495. Si quis tamen obtinere velit legitimationem prolis ex incestu susceptæ, copula ad hunc effectum declarari debet.

Rescriptis; vel propter causas *intrinsecas*, nempe *obreptionem* et *subreptionem.*

Obreptio est *expressio falsi* in libello supplici, dum *subreptio* est *suppressio veri* quod exponi debuisset.

Jamvero si agitur de *minoribus* impedimentis, dispensationes, ex novo jure, erunt validæ, non obstante obreptione vel subreptione (can. 1054). Minora impedimenta sunt : 1) Consanguinitas in tertio gradu lineæ collateralis; 2) Affinitas in secundo gradu lineæ collateralis; 3) Publica honestas in secundo gradu; 4) Cognatio spiritualis; 5) Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum (can. 1042).

Quoad *majora* impedimenta, distinguendum est :

(**a**) Valet dispensatio, si error versatur tantum circa causam impulsivam, dummodo causa motiva proposita vera sit [1]; (**b**) e contra invalida est, si error versatur circa causam motivam quæ unice allegata est; nam conceditur sub conditione : *si vera sint exposita* [2]*;* (**c**) si vero plures allegatæ fuerunt causæ motivæ, quarum una saltem vera est, valet dispensatio, etsi aliæ sunt falsæ, quia una sufficit ad movendum Superiorem; (**d**) si *nonnisi* causæ *impulsivæ* propositæ fuerunt, et una ex illis vera non est, non valet dispensatio, si causæ remanentes non fuissent sufficientes ad obtinendum rescriptum; (**e**) in *dubio* utrum causa falso allegata sit motiva an impulsiva, dispensatio est valida, quia in dubio standum est pro valore actus (can. 84, § 2); (**f**) non valet dispensatio, si in petitione non expressa fuerunt quæ de stylo Curiæ sunt ad validitatem exprimenda. (Can. 42, § 1.)

Levis exaggeratio non invalidat dispensationem, quamvis multo consultius sit rem, prout est, candide exponere. — Si in ipso rescripto legitur clausa "*motu proprio, ex certa scientia*", valet rescriptum "si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo præscripto can. 1054" (can. 45).

---

[1] "Nec obstat expositio falsi, seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit". (Can. 42, § 2.)

[2] "In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio : *si preces veritate nitantur*, salvo præscripto can. 45, 1054".

Animadvertimus, ex *Codicis* can. 1052-1053, quasdam tolli difficultates quæ olim occurrebant ex *subreptione*. "Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera existens sit *inferior* (v. g., dispensatio petita fuit super impedimento consanguinitatis secundi gradus, dum impedimentum revera existens est tertii gradus mixti cum secundo); aut licet reticitum fuerit *aliud* impedimentum *ejusdem speciei* in *æquali* vel *inferiori* gradu" (v. g., petita est dispensatio in *secundo* gradu consanguinitatis, sed reticitum est aliud impedimentum consanguinitatis in *tertio* gradu vel secundo).

1085. (**B**) Vitium obreptionis vel subreptionis *sanari* potest litteris *perinde valere* aut *decreto reformatorio*: (**a**) si deprehenditur *postquam expeditum* est rescriptum, oratores in nova supplicatione exponere debent tenorem prioris concessionis, vitium detegere et humiliter exorare ut S. Sedes priorem gratiam revalidare dignetur; tunc expediuntur litteræ *perinde valere*, i. e., quibus prior dispensatio *perinde valet* ac si vitiata non fuisset; si vero novus defectus detegitur, nova gratia opus erit, quæ nuncupatur *perinde valere super perinde valere*.

(**b**) Quando rescriptum dispensationis *non fuit expeditum*, vitium reparari potest per *decretum reformatorium*; ad hoc sufficit ut nova scribatur supplicatio, in qua quod omissum fuerat suppletur, vel male expressum corrigitur; unde necesse non est ut jam exposita repetantur, quia duplex supplicatio simul S. Pontifici proponetur.

V. De modo exequendi dispensationes.

Dicemus tum de *ipsa executione*, tum de *clausulis* dispensationum.

1° De ipsa executione dispensationum.

1086. Prænotanda. Sedulo distinguendum est inter dispensationes in *forma gratiosa* et in *forma commissoria*: (**a**) priores jam a Superiore conceduntur, proindeque valent *absque fulminatione* a momento concessionis (c. 38); sufficit ut dispensatio *nota* fiat oratoribus ac serventur clausulæ; (**b**) posteriores nondum concessæ sunt, sed solum continent *facultatem dispensandi* aut *exequendi*, ita ut validæ non sint, nisi prius ab *executore fulminentur*, servatis clausulis.

1087. De dispensatione a S. Sede concessa. Hæc hodie semper conceditur in forma *commissoria*.

(A) Ex can. 1055, "dispensationes super publicis impedimentis *Ordinario* oratorum commissas, exsequatur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio aut quasi-domicilio, in aliam diœcesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt"[1]. Hæc tamen servanda sunt:

(a) *Invalida* esset fulminatio facta antequam *originale* rescriptum acceptum fuerit, etiamsi alia via certo cognosceretur dispensationem concessam fuisse; unde, si per telegraphum hæc innotescat, eadem uti valide et licite nequit, nisi notitia telegraphica auctoritate S. Sedis ex officio transmissa fuerit[2]. Proinde, post acceptum authenticum documentum, nova executio dispensationis necessaria est; si matrimonium jam fuerit contractum, revalidari debet.

(b) Rescriptum ut *genuinum* et *authenticum* agnosci debet.

(c) Postea *investigandum* est, non tamen sub pœna nullitatis, utrum preces veritati innitantur, si agitur de majoribus impedimentis. Potest tamen Ordinarius alium, generatim parochum, delegare ad hanc investigationem peragendam. Non requiritur forma *judicialis*, nisi hæc expresse in rescripto præscribatur, vel adsit contradictor; sed investigatio perfici potest ex actis authenticis, testibus, fama aut examine partium.

(d) Executor attente legere debet omnes clausulas rescripto insertas, et curare ut eædem fideliter adimpleantur. "Clausulæ quæ item pertinent ad *substantiam* dispensationis particula conditionali *si*, aliave simili, exprimuntur in Formulis"[3]. Idem dicendum de particulis *dummodo*, *postquam non aliter*, *si nec alio modo*, *secus irritum fiat;* vel aliis ejusdem significationis (can. 39).

(e) Fulminatio dispensationis in *scriptis* fieri debet, certo ad liceitatem, probabiliter etiam ad validitatem. Ordinarius videlicet declarare debet se, accepto rescripto, veritatem precum verificasse, et auctoritate apostolica dispensare super tali impedimento, ut sponsi valide ac licite contrahere valeant, ac prolem susceptam (excepta adulterina aut sacrilega) et suscipiendam legitimare; deinde nomen suum subscribat. Dispensatio valet eo momento

---

[1] Can. 1055. — Cf. can. 198.

[2] *Codex*, c. 53: "Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi prævia earumdem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa".

[3] *Dataria*, *Acta S. Sedis*, XXXIV, 34.

quo subscribitur decretum. "Rescriptum impetrari potest pro alio etiam præter ejus assensum; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet ante ejus acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat" (can. 37). — Præterea si sponsi forsan censuras incurrerint, ab eis absolvantur antequam dispensentur, pro utroque foro. A die 3 nov. 1908, validæ sunt dispensationes etiam censura irretitis concessæ, nisi sint *nominatim* excommunicati vel interdicti [1].

(f) Tandem dispensatio sedulo servatur in archivis diœcesanis, et ejus fulminatio oratorum parocho transmittitur, qui hanc eisdem notam facit, et in regestis notat [2].

1088. (B) Quando dispensatio conceditur a *S. Pœnitentiaria* pro foro *interno*, exequenda transmittitur "*discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario*", ab oratore eligendo. Servari debent ea quæ supra de receptione et recognitione rescripti, necnon de clausulis; sed insuper, —

(a) Generatim *Pœnitentiaria* præscribit ut dispensatio fulminetur *in ipso confessionis actu* "audita prius ejus confessione", vel "in actu confessionis tantum"; si hæc clausula desit, etiam extra confessionem fulminari potest. Hæc aut similis formula adhiberi potest: "Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata [3], dispenso tecum super impedimento (v. g., criminis ex adulterio et conjugicidio), ut, præfato impedimento non obstante, matrimonium valide ac licite contrahere valeas, et eadem auctoritate prolem susceptam et suscipiendam legitimam nuntio" [4].

(b) Fulminatio dispensationis *viva voce* perficitur; potest tamen confessarius scriptam formulam legere; authenticum vero documentum pœnitenti tradere non debet, sed lacerare vel comburere, saltem intra triduum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

(c) Investigatio de veritate precum ad liceitatem tantum requiritur: siquidem ipsis pœnitentibus credendum est, nisi confessarius aliunde, scientia extra-sacramentali, contrarium sciat.

(d) Si impedimentum unam tantum partem afficit, ut votum, vel in una tantum parte culpabile est, ut crimen, sufficit in eam partem dispensationem fulminare. Si vero est utrique commune, vel uterque sponsus reus et conscius criminis, saltem in unum ad validitatem, et in utrumque ad liceitatem fulminatio fieri debet sive ab eodem, sive a diverso confessario; quo ultimo casu, prior

---

[1] *Normæ peculiares*, c. III, n. 6; *Codex*, c. 36, § 2.

[2] *Codex*, cc. 1046, 1103. — [3] *Codex*, c. 1057.

[4] Confessarius sedulo in sua petitione *legitimationem prolis* postulabit; nam non conceditur *de jure* nisi in casibus recensitis in can. 1051, 1053.

confessarius, post dispensationem uni concessam, rescriptum eidem tradit, ut alteri comparti detur : hic autem rescriptum præbebit proprio confessario, qui, post fulminatam dispensationem, illud destruet.

(e) Si duplex dispensatio necessaria est, una pro impedimento publico, altera pro occulto, utraque fulminari debet (cf. *Gasparri*, I, p. 228).

(f) Post fulminationem, destruatur rescriptum; et si dispensatio concessa est in foro interno non sacramentali super impedimento occulto, adnotari debet in libro secreto Curiæ, nisi aliud ferat rescriptum (c. 1047).

1089. De dispensatione ab Ordinario concessa. (A) Si agitur de impedimento *publico*, generatim dispensatio conceditur in forma gratiosa, proindeque ab Ordinario; unde jam valeret matrimonium a tempore concessionis, etiamsi ejus notitia ad aures parochi non pervenisset; sed illicitum est contrahere ante acceptam notitiam, ne forte ante concessionem invalide contrahatur. Si res omnino urgeret, notitia concessionis *telegraphice* mitti posset. — Accepto autem authentico instrumento, pastor illud sponsis notum facit et in *regesto* matrimoniorum inserit et servat.

Potest tamen Ordinarius facultatibus quæ sunt communicabiles uti in forma *commissoria :* tunc pastor ipse dispensationem fulminare tenetur, ut fit in Pontificiis dispensationibus.

(B) Quando agitur de impedimento *occulto*, generatim Ordinarius dispensat in forma *commissoria*, quoties subdelegare potest : quo casu dispensatio a confessario ipso fulminari debet, clausulis sedulo servatis. — Si quæstio est de impedimentis pro quibus Ordinarius subdelegare nequit, debet dispensare in forma *gratiosa;* tunc confessarius, recepto instrumento, nihil amplius faciendum habet nisi id partibus notum facere, et clausulas executioni mandare. — Instrumentum autem destruatur, ut supra.

2° De præcipuis clausulis dispensationibus annexis.

1090. Quo facilius hujusmodi clausulæ serventur, breviter eas exponere juvat.

1° "*Eorum quemlibet a quibusvis ecclesiasticis censuris ad effectum præsentium consequendum absolventes*"; quibus verbis absolvuntur oratores a censuris forsan contractis, sed solum ut valide dispensationem suscipere valeant; unde alia absolutione indigent, ut, pro aliis effectibus, vere immunes sint a censuris.

2° "*Si vera sint exposita*"[1]; juxta declarationem Datariæ, hæc clausula "refertur, quoad validitatem, ad personas dispensandas, ad impedimentum dispensandum, ad causam motivam dispensationis, ad varias clausulas, ad alia quæ matrimonio possent forsan obstare"[2].

3° "*Vetito omnino ne aliquid muneris aut præmii exigere vel oblatum recipere præsumpseris*"; vel "*gratis dispensandi*"; id est nulla pecunia, nullum munus accipiatur, præter *taxam cancellariæ*, *componendam* aut eleemosynam, et *agentis* expensas. Cfr. can. 1056.

4° "*Prolem susceptam legitimam decernendo*". Unde, si forte dispensatio suum effectum sortiri non possit propter supervenientem mortem alterius Oratorum, valebit nihilominus potestas legitimandi prolem. Quare *dispensatio* et *legitimatio* exprimendæ sunt in decreto Ordinarii; si hæc omissa fuerit, poterit alio decreto fieri hujusmodi legitimatio. Proles legitima decernitur simpliciter, adeoque quoad omnes legitimationis effectus. — Dicitur etiam: "*Prolem susceptam, si qua sit, et quatenus opus sit, legitimam decernendo*". Stante matrimonio quidem invalido, sed ignoranter, publice legitima forma contracto, legitimatio non esset necessaria; unde fit *ad cautelam*, ad submovendam murmurationem ignorantium[3].

5° "*Remoto, quatenus adsit, scandalo, præsertim per separationem tempore tibi bene viso, si fieri potest*". Scandalum quidem removeri debet, et sæpe separatio sponsorum aliis modis præferri debet; attamen modus scandali reparandi prudenti arbitrio Ordinarii remittitur[4].

6° "*Imposita eis pro modo culpæ arbitrio tuo gravi pænitentia salutari*". Quæ pænitentia distincta est a pænitentia sacramentali. Si injungitur pænitentia gravis, sufficit confessio semel in mense per quatuor menses, recitatio rosarii bis vel ter in hebdomada per duos menses, *viam crucis* peragere semel in hebdomada per tres menses; si gravis et *diuturna* injungitur, per sex menses peragi debet; si gravissima et *perpetua*, usque ad mortem. Si pænitentia specifice determinatur in ipso rescripti tenore, huic standum est. Cæterum declaravit *S. Pœnitentiaria*, 8 apr. 1890, "neque severitatis, neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, ætatis, infirmitatis, officii, sexus, etc."[5]. Rescripsit pariter,

---

[1] Olim hæc clausula apponebatur: "Si per informationem eamdem preces veritate niti repereris", ideoque invalida erat dispensatio, si nulla fieret informatio, etiamsi preces veritate niterentur; hodie vero, ex decreto *S. Officii*, 28 aug. 1888, solum apponitur "*Si vera sint exposita*", ideoque valet dispensatio, etiam absque ulla informatione, dummodo vera sint exposita.

[2] *Acta S. Sedis*, XXXIV, p. 83. — [3] *Ibid.*, p. 82.

[4] Ita *S. Pœnitent.*, 12 apr. 1889, *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 509.

[5] *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 510.

14 dec. 1891, omissionem pænitentiæ impositæ pro dispensationibus eas non reddere invalidas [1]; imo nec eas invalidari etiamsi pænitentia excepta fuerit cum animo eam non adimplendi [2].

7° "*Erogata ab eis aliqua eleemosyna judicio ipsius Ordinarii taxanda*". Observantia hujus clausulæ non requiritur ad validitatem [3]. Nec necesse est, ad liceitatem, ut erogetur eleemosyna ante dispensationis fulminationem, sed sufficit ut sponsi promittant eam largiri; imo, si pauperes sint, aut nolint aliquid solvere, hoc prætermitti potest, juxta Ordinarii prudentiam.

8° "*Audita prius ejus vel eorum confessione*". Huic conditioni satisfit per confessionem, etiam sacrilegam, dummodo sit sacramentalis. Si prævidetur unam e partibus nolle confiteri, id in libello supplici statuatur, ut hæc clausula non inseratur.

1091. Scholion de taxis solvendis. Taxæ quædam exiguntur non quidem in *pretium* dispensationum, sed ad *sustentationem* officialium aut *expensas Cancellariæ*, vel per modum *mulctæ*, ad matrimonia inter consanguineos vel affines difficiliora et rariora reddenda. Tres sunt taxæ :

(a) *Taxa proprie dicta* pro expensis Cancellariæ, quæ determinatur pro quolibet impedimento, v. g., lib. 32 pro consanguinitate aut affinitate, pro secundo gradu tangente primum; lib. 26 pro secundo gradu; lib. 21 pro tertio tangente secundum; lib. 16 pro tertio [4].

(b) *Componenda*, quæ imponitur per modum mulctæ in opera pia impendendæ, diversa est pro oratorum fortuna : quæ proinde in libello supplici exponi debet. — Practice autem S. Sedes, jam diuturno tempore, acceptat oblationes sponte acceptas, quin sint omnino fortunæ oratorum proportionatæ. — *Pauperes* ab hac taxa eximuntur, ii præsertim qui *miserabiles* dicuntur [5]. Qui igitur *nihil solvere valent*, id in petitione exponendum curent, ut *gratis* omnino dispensatio concedatur.

(c) Pro *agentia* autem, i. e., pro labore *agentis* qui Romæ apud

---

[1] *Acta S. Sedis*, XXXI, p. 556.

[2] *Ibid.*, XXXI, p. 557.

[3] *S. Pænitent.*, 10 jun. 1876, *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 514.

[4] **P. Nic. Farrugia**, *De Matrimonio*, Romæ, 1924, n. 110.

[5] *Pauperes* olim reputabantur qui *ambo simul* non habebant plus quam 1500 francorum in Italia et, extra Italiam, 3000 fr.; *miserabiles* qui solo labore manuum vivebant; *quasi-pauperes* qui non possidebant plus quam 5000 circiter francorum in Italia, et, extra Italiam, 10000 fr. Sed hodie, mutato valore francorum, isti numeri valde augendi sunt. In computanda vero fortuna, ratio habenda est fortunæ *in spe*, quæ pro media parte computari solet, et redituum stabilium ex munere alterutrius sponsorum. — In praxi componenda sæpe relinquitur prudenti Ordinariorum judicio.

Congregationes suam operam præstat, modica taxa solvi debet, necnon pro expensis postalibus.

Animadvertatur autem hodie errorem aut fraudem circa fortunam oratorum validitati dispensationis minime obstare; sed esse culpam, plus minusve gravem, contra veritatem et justitiam, quæ ad restitutionem, positis ponendis, obligat.

Ordinarii locorum, ex titulo Cancellariæ, non possunt, præter modicam præstationem, emolumentum ullum exigere occasione dispensationum quas concedunt vel exsequuntur, ut constat ex can. 1056 : "Excepta modica aliqua præstatione ex titulo expensarum cancellariæ in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessæ dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi hæc facultas a Sancta Sede expresse eis data fuerit; et si exegerint, tenentur ad restitutionem".

VI. De effectibus dispensationum.

1092. Principium generale est *dispensatione habiles reddi ad matrimonium contrahendum eos qui antea inhabiles erant ob aliquod impedimentum.*

Quia vero difficultates aliquando oriuntur præsertim circa dispensationes pro foro *interno* concessas et legitimationem prolis, has solvere expedit.

1° De effectu dispensationis pro foro interno sacramentali concessæ.

1093. Hæc dispensatio (v. g., pro crimine *occulto*) tollit quidem inhabilitatem in foro *interno*, ideoque matrimonium, vi hujus dispensationis initum, validum est *coram Deo;* sed, in foro *externo*, in quo hujus dispensationis concessio probari nequit, matrimonium præsumitur esse invalidum, si impedimentum fit publicum ejusque validitas impugnari potest. Quo casu judex ecclesiasticus, juxta probata, nullitatem matrimonii declarare tenebitur; non enim in foro externo admittitur testimonium confessarii, etsi a vinculo sigilli soluti, ex can. 1757, § 3, 2°. Ad vitandum hujusmodi conflictum inter forum internum et externum, alia dispensatio necessaria est pro foro externo, statim ac impedimentum *ex se* occultum fit publicum.

Si vero hæc dispensatio non petita fuit et nullitas matrimonii declarata fuit a judice ecclesiastico, partes non pos-

sunt in conscientia ad alias nuptias convolare, cum in foro interno prius matrimonium validum sit.

2° De effectu dispensationis pro foro interno non sacramentali.

1094. Quando dispensatio conceditur in foro interno *non sacramentali*, sedulo servetur can. 1047 : " Nisi aliud ferat S. Pænitentiariæ rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiæ archivo asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit "... Tunc enim ex hoc libro probabitur dispensationem fuisse concessam ideoque matrimonium esse validum.

3° De effectu dispensationis pro foro externo concessæ.

1095. Quando dispensatio pro foro externo conceditur, directe et publice tollitur impedimentum. — Insuper, ex can. 1052, " dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum ejusdem speciei in æquali vel inferiori gradu ". — Præterea, ex can. 1053 " data a S. Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob præsumptam conjugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3 ", nempe in casu *conjugicidii*.

4° De legitimatione prolis.

1096. Hæc legitimatio sæpissime *indirecte* conceditur per ipsam dispensationem super impedimento dirimente concessam, excepta tamen adulterina vel sacrilega prole, ut ex can. 1051 constat : " Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per

rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur jam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega".

§ II. De Revalidatione Matrimonii [1].

Divisio { De Revalidatione *in genere.*
De Revalidatione *simplici.*
De Revalidatione per *sanationem in radice.* }

I. De Revalidatione in genere.

Revalidatio est actus quo matrimonium hucusque nullum redditur validum,

1097. 1° *De modo agendi quando sacerdos advertit matrimonium esse invalidum.* Quatuor possunt esse remedia : —

(**A**) Moneri possunt putativi conjuges de impedimento, et tolerari potest ut vivant sicut *frater et soror*, si nullum sit incontinentiæ periculum; quod vix possibile est in praxi, quando juniores sunt, nisi sint impotentes, aut revera frater et soror aut pater et filia, qui ex errore contraxerint.

(**B**) In bona fide relinqui possunt, si impedimentum sit indispensabile, et nullitas occulta, et aliunde manifestari nequeat sine periculo formalis fornicationis, vel partes separari non possint absque infamia aut scandalo [2].

(**C**) Quando partes pacifice cohabitare non possunt vel saltem nolunt, aut quando adest periculum fidei aut morum, peti potest a judice ecclesiastico *declaratio nullitatis*, si hæc juridice probari potest.

(**D**) Tandem revalidari potest matrimonium, si impedimentum est dispensabile; et hoc generatim consultius est tum ad vitanda scandala, tum ad providendum educationi prolis.

---

[1] **S. Alphons.**, n. 1109-1117; **Gasparri**, II, n. 1120-1161; **Genicot**, n. 534-542; **H. Ayrinhac**, n. 324-335; **Fourneret**, p. 321-333; **Wernz-Vidal**, n. 650-674; **Prümmer**, n. 884-892.

[2] Casum ad rem illustrandam refert **Gasparri**, n. 1121, not. 2. Titius rem habuit cum matre, inscio quidem Titio, sed non matre, quæ filiam peperit : hæc extra maternam domum educata fuit, et annos nata 17 ducta est in uxorem a Titio, ejus patre simul et fratre. Mater omnia confessario pandit; hic, Episcopo consulto, putativos conjuges in bona fide reliquit, ne matris turpitudo revelaretur.

1098. 2° *De separatione putativorum conjugum injungenda vel non, ante matrimonii revalidationem.* Maxima prudentia procedendum est, ne *scandalum* causetur, vel putativi conjuges *formali* periculo peccandi exponantur.

(**A**) Si matrimonii nullitas sit *publice nota*, v. g., quia matrimonium celebratum non fuit secundum *formam canonicam* (can. 1094), vel quia communitas scit conjuges esse consanguineos : (**a**) *regulariter* partes separari debent, non solum quoad torum, sed etiam quoad habitationem, ut vitetur vel reparetur scandalum. Si vero separatio quoad habitationem possibilis non sit, v. g., propter paupertatem partium, scandalum removeatur meliori quo fieri potest modo; et, si timeatur periculum incontinentiæ, partes non moneantur nisi jam obtenta dispensatione.

(**b**) Dispensatio autem quam citissime postuletur, si agitur de impedimento dispensabili; et, si partes noluerint aut nequiverint separari, id in supplici libello exponatur, ut in rescripto non ponatur clausula de prævia conjugum separatione.

1099. (**B**) Si matrimonii nullitas sit *occulta* (v. g., ob crimen) ita procedet confessarius : (**a**) dispensandi facultate gaudent tum parochus, tum confessarius, quando est periculum gravis mali in mora et ne loci quidem Ordinarius adiri potest vel nonnisi cum periculo violationis secreti [1].

(**b**) Si una vel utraque pars dubitet de matrimonii valore, confessarius prudenter rationem dubitandi exquirat; si, re maturius expensa, certa sit nullitas, agat ut supra; si dubia maneat, standum est pro valore, et dispensatio ad cautelam postuletur.

II. De simplici convalidatione.

Triplex datur casus : 1° ex defectu *consensus;* 2° ex defectu *formæ canonicæ;* 3° ex *alio* impedimento.

1° De Convalidatione matrimonii ob defectum consensus invalidi.

1100. Quando matrimonium nullum fuit ex *defectu naturalis consensus*, qui fuit ficte datus, vel ex errore, vi aut metu, non potest convalidari nisi per novum consensum rite præstitum, i. e., remoto errore vel metu, et cognita nullitate prioris matrimonii. Neque in hoc casu requiritur ulla dis-

[1] *Codex*, c. 1045, § 3.

pensatio. — Modus autem procedendi pro renovatione consensus diversus est pro diversis casibus qui occurrunt : —

(**A**) Si nullitas matrimonii ob defectum consensus sit *publice nota*, publice etiam renovari debet consensus, et quidem in facie Ecclesiæ, etiamsi prius matrimonium in forma præscripta celebratum fuerit [1].

(**B**) Quando autem nullitas est *occulta* : (**a**) si ex *utraque* parte consensus defecerit, ambo debent renovare consensum, signo *externo*, licet privato et secreto, et quidem postquam noverint priorem consensum esse nullum.

(**b**) Si consensus nullus fuerit ex *una* tantum parte, hæc novum consensum *libere* præstare debet perseverante consensu alterius partis; hic autem perseverare censetur dummodo actu positivo revocatus non fuerit [2]. — " Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quæ non consenserat, interius consentiat ". Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare [3], sed modo privato et secreto (can. 1137).

Nonnulli insuper dicebant alteram partem, quæ vere consensit, monendam esse de nullitate matrimonii, ut consensum renovet cum invaliditatis cognitione. Nunc certum est hoc non requiri, ex *Codice* [4], aliunde sufficit moralis unio inter consensum unius et consensum alterius, sicut in omni contractu; atqui talis unio existit in casu; nam consensus valide præstitus ab uno virtualiter perseverat, et manifestatur per cohabitationem et mutua conjugalis amoris signa, dum alter suum consensum libere renovat. — Neque obstat timor ne pars, quæ libere consensit ab initio, si moneretur de nullitate matrimonii, forsan consensum retractaret; hypothetica enim retractatio vim consensus antea præstiti destruere non valet.

2° De Revalidatione matrimonii ob defectum formæ invalidi.

1101. Matrimonium, ex hoc capite nullum, revalidari potest, absque dispensatione, tantummodo *renovando consensum coram parocho et testibus*. " Matrimonium nullum ob defectum formæ, ut validum fiat, contrahi debet denuo legitima forma " (can. 1137). (**a**) Quod quidem *publice* regu-

[1] *Codex*, c. 1136, § 3.
[2] *Codex*, c. 1136 — [3] *Codex*, c. 1136. — [4] *Codex*, c. 1136.

lariter fieri debet quando nullitas matrimonii *publice nota* est, ut sic scandalum reparetur; si tamen, propter speciales circumstantias, partes publice consensum renovare nolint, secreto illum iterare permitti possunt, assentiente Ordinario, ac remoto scandalo alia ratione.

(**b**) Quando nullitas *occulta* est, sufficit ut *secreto*, coram parocho et testibus, renovetur consensus, ad præcavendam conjugum infamiam.

(**c**) Si vero alteruter in ecclesia contrahere renuat, consensus renovari potest in quolibet loco decenti. Si unus coram parocho comparere consentiat, et alter nonnisi per procuratorem, aut si ambo coram confessario privatim contrahere voluerint, id fieri potest cum Ordinarii licentia. — Si unus consensum nullo modo renovare velit, putans id omnino esse inutile, sanatio *in radice* petenda est. Sed si uterque absolute renuat comparere coram parocho aut confessario, nil remanet nisi pro eis orare ut ad meliora se convertant : Ecclesia enim non solet dispensationem concedere eis qui ejus leges obstinate despiciunt, etsi id facere valeat (can. 1139, § 1).

3° De Revalidatione matrimonii ob impedimentum dirimens invalidi.

1102. Matrimonium, invalide contractum propter impedimentum dirimens, aliquando revalidari potest sine dispensatione, quando scilicet impedimentum cessat *ex se;* v. g., ligamen cessat mortuo conjuge, disparitas cultus baptismo partis infidelis; si vero impedimentum ex se non evanescit, necesse est ut prius dispensatio obtineatur. Insuper, "requiritur ut... *consensum renovet* saltem pars impedimenti conscia" [1]. Quibus positis, inquirendum manet quomodo consensus renovari debeat.

(**A**) Si impedimentum est *publicum* (n. 933), consensus publice iterari debet ab utraque parte in forma jure præscripta [2], etiamsi hæc in priori matrimonio servata fuisset : id enim requiritur tum ad reparandum scandalum, tum ut constet de validitate matrimonii. — Si tamen putativi con-

[1] *Codex*, c. 1133. — [2] *Codex*, c. 1135, § 1.

juges adduci nequeunt ut publice contrahant, eis permitti potest *occulte*, coram parocho et testibus, consensum renovare; postea tamen id tempore opportuno divulgandum est, ut amoveatur scandalum.

(B) Si vero impedimentum est *occultum*, sufficit ut consensus *privatim et secreto* renovetur, et quidem absque forma præscripta, si hæc jam prima vice servata fuerit.

(a) Quod quidem facile erit si impedimentum utrique parti notum est : ambo enim, *conscii nullitatis* prioris matrimonii, novum consensum exprimunt, qui omnino independens est a priori [1].

(b) Si vero impedimentum uni tantum parti notum est, non requiritur ut pars impedimenti inscia consensum renovet, sufficit renovatio consensus a parte impedimenti conscia facta, dummodo altera pars in consensu præstito perseveret. Ita *Codex* [2].

N. B. Quoad omnes casus simplicis revalidationis, hæc notentur : "Hæc autem renovatio consensus jure ecclesiastico requiritur *ad validitatem*, etiamsi initio utraque pars consensum præstiterit nec postea revocaverit" [3]. Quæ "renovatio consensus debet esse *novus voluntatis actus* in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse" [4].

III. De Revalidatione matrimonii per sanationem in radice.

1103. 1° **Notio.** "Matrimonii in radice sanatio est ejusdem convalidatio, secumferens, *præter dispensationem* vel cessationem impedimenti, dispensationem *a lege de renovando consensu*, et *retrotractionem*, per fictionem juris, circa *effectus canonicos ad præteritum*. — Convalidatio fit a momento concessionis gratiæ; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur. — Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia" [5].

Quod ita declarari potest : vi legis ecclesiasticæ, consensus matrimonialis naturaliter sufficiens, erat juridice inefficax, matrimonium nullum et filii illegitimi. Jamvero dispensatio in radice, legem abrogando in hoc particulari casu, sanat vitium quo consensus erat invalidus; proinde

[1] *Codex*, c. 1135, § 2. — [2] *Codex*, c. 1135, § 3; cf. *Codex*, c. 1133, § 1.
[3] *Codex*, c. 1133, § 2. — [4] *Codex*, c. 1134. — [5] *Codex*, c. 1138.

matrimonium eo ipso fit validum, et filii post dispensationem nati vere sunt legitimi. Sed insuper, *ex fictione legis*, Ecclesia habet consensum, proindeque matrimonium, tanquam ab initio validum; et ut legitimos agnoscit eos qui ab inito matrimonio usque ad dispensationis fulminationem concepti sunt. Hinc vere matrimonium sanatur *in radice*, i. e., in ipso consensu, et ab initio.

1104. 2° Conditiones requisitæ ad dispensationem in radice. Quatuor requiruntur : (**A**) ut impedimentum dirimens, de quo agitur, sit *juris mere ecclesiastici;* nam in aliis Ecclesia vitiatum consensum *sanare nequit*, ante cessationem impedimenti, *nec sanare solet* post cessationem impedimenti : " Matrimonium vero contractum cum impedimento juris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia *non sanat* in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti "[1].

(**B**) Ut consensus *matrimonialis* fuerit, seu cum affectu matrimonium ineundi datus : qui enim vult non inire matrimonium, sed tantum muliere abuti per fornicationem, nullum fundamentum ponit cuidam dispensationi in radice[2].

Generatim etiam Ecclesia exigit ut conjugum unio *extrinsecam matrimonii speciem* habuerit. Quæ certo existit, quando adhibita fuit forma canonica; et etiam cum matrimonium coram præcone acatholico vel civili magistratu celebratum est. Ubi vero forma juridico-ecclesiastica matrimonii requiritur, matrimonium *civile* non habet quidem strictam et canonicam formam, habet tamen *naturalem* figuram matrimonii[3]; unde S. Sedes *in radice* sanare potest et quandoque sanat propter urgentem rationem, v. g., quando unus e contrahentibus consensum renovare non vult.

(**C**) *Ut consensus datus perseveret in utraque parte virtualiter usque ad tempus concessæ dispensationis :* hinc concedi potest dispensatio, si unus e contrahentibus in amentiam inciderit; non autem si alteruter jam e vivis exierit : quo

---

[1] *Codex*, c. 1139, § 2. Cur in Codice dicitur *non sanat* (de facto), et non : *non potest sanare*, explicat *Gasparri*, ed. 1932, II, 264-266 : qui addit valde gravibus de causis aliquando concedi sanationem a momento cessationis impedimenti.

[2] Oportet scilicet ut matrimonium contractum fuerit " cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente ". (*Codex*, c. 1139).

[3] Conjuges scilicet *apparent* sufficienter consortium matrimoniale inire velle.

casu posset tamen matrimonium sanari non quidem *in se*, sed quoad effectus juridicos, nempe legitimitatem prolis.

"Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea præstitus fuerit, sanatio concedi potest a momento præstiti consensus" [1].

1105. (**D**) *Ut adsit ratio gravis*, quæ præsertim quadruplex esse potest: (**a**) si una pars ad renovandum consensum adduci nequit, quamvis in matrimonio permanere velit; (**b**) si nullitas matrimonii uni tantum parti nota est, et altera absque gravi incommodo moneri non potest; (**c**) si utraque pars inscia est nullitatis et gravis ratio existit non revelandi impedimentum, v. g., propter magnum numerum matrimoniorum quæ ex errore aliquo invalide contracta sunt, vel ob scandalum vitandum si nullitas oritur ex errore a parocho vel Ordinario commisso; (**d**) si utraque pars nullitatis conscia est, sed ad consensum renovandum ex insuperabili præjudicio induci nequit; aut si sanatio *in radice* necessaria est pro legitimatione prolis.

Aliunde "sanatio in radice concedi *unice* potest ab *Apostolica Sede*" [2].

1106. Quando confessarius dispensationem in radice fulminare debet, hac aut simili forma uti potest: "Auctoritate Apostolica, matrimonium a te nulliter contractum in radice sano et consolido prolemque susceptam et suscipiendam legitimam fore nuntio et declaro".

[1] *Codex*, c. 1140, § 2. — [2] *Codex*, c. 1141.

APPENDIX

DE LEGE CIVILI QUOAD MATRIMONIUM

Divisio:
- Principia de modo agendi quoad leges civiles de Matrimonio.
- Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in *Anglia* et *Statibus Amer. Fœderatis.*
- Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in *Gallia.*
- Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in *Italia.*
- Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in *Germania.*

I. Principia de modo agendi quoad leges civiles de Matrimonio[1].

1107. *Principium 1um :* **Nupturientes fideliter servare possunt ac regulariter debent legis civilis præscripta quoad matrimonii celebrationem, quæ juri divino aut ecclesiastico non adversantur,** præsertim si ab eis pendet valor matrimonii in foro civili.

(**A**) Id enim merito infertur ex Instructione *S. Pœnitentiariæ* de matrimonio civili, 15 jan. 1866, ubi dicitur[2] : " Attamen ad vexationes pœnasque vitandas, et ob prolis bonum, quæ alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiæ periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem Fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant, actum lege præscriptum executuri, ea tamen intentione (uti Benedictus XIV docet in Brevi diei 17 sept. anni 1746 *Redditæ sunt nobis*), sistendo se Gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem cæremoniam exequantur ".

(**B**) Etsi enim Status non possit proprio jure leges ferre, pro subditis christianis, circa matrimoniale vinculum, potest leges ecclesiasticas, sive omnes sive quasdam, civili sanctione

---

[1] **De Angelis**, lib. IV, tit. 1, n. 13-14; **Feije**, n. 780-785; **Haine**, q. 173-175; **Gasparri**, n. 1288-1303; **Aertnys**, n. 473; **Prümmer**, n. 894-898.

[2] *Acta S. Sedis*, I, p. 508-512. — Quod confirmatur ex decreto *S. Officii*, 12 jan. 1881 (*Collect. P. F.*, n. 1550) : " Curandum ■ missionariis ut matrimonium contracturi observent præscriptiones etiam civiles, quæ ad ordinem moralem, quoad effectus civiles matrimonii, conservandum conducant ".

munire; potest insuper, proprio jure, leges condere circa effectus civiles a vinculo matrimonii separabiles. Præterea si Status leges tulerit in re matrimoniali, quæ nonnullas solemnitates requirant ut matrimonium suis effectibus civilibus non careat, et quæ aliunde juri divino et ecclesiastico non obstent, sane sponsis *licet* his obedire; imo id *opportunum* et *expediens* videtur, ut ait *S. Pænitentiaria :* (**a**) ad vexationes pœnasque vitandas quas Status in legum violatores infligit; (**b**) ob prolis bonum, quæ alioquin a lege civili ut legitima non haberetur; (**c**) ad polygamiæ periculum avertendum, cum revera nonnulli ab hoc vitio deterreantur timore legum civilium.

1108. Corollaria : (**a**) *Ubi habetur matrimonium quod vocant civile*, non solum *licet*, sed *expedit* ut fideles se sistant coram magistratu civili, ut coram lege habeantur tanquam ut veri conjuges, eorumque filii ceu legitimi; dummodo tamen recte intelligant hoc non esse verum matrimonium, ubi forma solemnis viget, sed actum mere civilem, quo suum erga leges obsequium ostendunt.

Quando leges id permittunt, fideles prius coram Ecclesia contrahere debent, et postea civilem actum explere. Si vero lex præcipit inversum ordinem, ut in *Gallia*, aut gravis necessitas id postulat, possunt quidem sponsi prius se sistere coram civili magistratu; sed "tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia *quamprimum* contrahatur, atque interim contrahentes *sejuncti* consistant" [1].

In *Statibus Amer. Fœderatis*, matrimonium religiosum ut validum coram lege civili habetur; sed in plerisque Statibus requiritur licentia (*license*) a publico officiali antequam ad matrimonium licite procedatur; et insuper minister, coram quo nuptiæ celebratæ sunt, tenetur, infra definitum tempus, in scriptis certiorem facere officialem a lege designatum de matrimonio inito; quod quidem, utpote rationi consentaneum, sedulo servandum est.

1109. (**b**) *Ubi habentur civilia impedimenta*, præsertim *dirimentia*, quæ ab Ecclesia non ut talia agnoscuntur, pastores non facile admittant ad matrimonium contrahendum eos qui ut inhabiles a lege civili habentur : tum quia hi ut legitimi conjuges a Statu non existimantur, tum quia pasto-

[1] Instruct. *S. Pænitent.*, l. c., p. 511-512.

res talia connubia celebrantes lege puniri possunt, non sine fidelium scandalo. " Hac in re multa uti debebunt cautela et prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum; sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat " [1].

1110. *Principium 2um* : **Si præcepta legis civilis divino aut ecclesiastico juri intrinsece repugnant, ea active exequi non licet.** Id enim sequitur ex dictis in *Tr. de Legibus.* Hinc conjuges, qui, divortio civili obtento, ad novas convolant nuptias, graviter peccant, quamvis lege civili id facere valeant : nam lex hujusmodi omnino contrariatur legi divinæ indissolubilitatis matrimonii. Si vero divortium petitur absque intentione iterum nubendi, solvendus est casus ex principiis supra statutis, n. 781.

Si quis autem *passive* injustæ legis executioni cooperatur, v. g., si magistratus civilis *ex officio* assistit civili matrimonio, quando certo scit contrahentes nolle matrimonium coram Ecclesia inire, ubi forma *canonica* necessaria est, aut eos priori vinculo esse ligatos, controvertitur utrum hæc agendi ratio sit graviter illicita, ut jam dictum est n. 783.

II. Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in Anglia [2] et Statibus Fœderatis.

1111. 1° **Quoad sponsalia.** (A) In *Anglia*, de sponsalibus hæc notanda sunt : " A promise to marry at a future time, which, like other contracts, gives a right of action for damages in case of its violation, is not binding on the defendant unless he or she be of the full age which the law provides for other cases of contract, viz. twenty-one years and the parties are free and capable of marrying, and where there are mutual promises to marry made by two persons, one of the age of twenty-one, and the other under that age, the first is bound by the contract so as to be liable to an action if it be broken; but on the part of the minor, it used to be voidable; and it is now void " [3].

1112. (B) In *Statibus Amer. Fœderatis* [4] : (a) " If an infant below the marriageable age and a competent person agree to inter-

[1] Instr. *S. Pœnit.*, l. c., p. 511. — Quæ regula practica est in nonnullis *Statibus Amer. Fœderatis*, ubi strictissime prohibentur matrimonia inter albos et nigros vel indigenas. — [2] For useful modern books on this question, consult : On *Divorce:* **Watts and Latey** or **Browne**; on *Husband and Wife*, **Lush.** — [3] **Stephen's** *Commentaries*, 12th ed. London, 1895, vol. II, p. 252. — [4] **Bishop,** *New Comment. on Marriage, Divorce and Separation*, Chicago, 1891, vol. I, § 206.

marry, the contract is void because it is an attempted violation of the law. But after the marriageable age has arrived, a marriage by the infant may sometimes be beneficial to him; therefore, as to him, the agreement to marry with an adult will be, not void, but voidable. And within familiar principles it cannot be enforced against the infant, who may rely on his non-age to avoid it; but the infant's action for its breach by the adult is in no degree impaired by the fact of infancy".

(b) "Parties in too near consanguinity, being by law incapable of intermarriage, cannot bind themselves by a mutual promise to marry".

(c) "When marriageable persons conduct toward each other as engaged parties commonly do, and as those who are not engaged do not, the reasonable and fair inference is that they are in fact what they thus hold themselves out to be, engaged; and in a breach-of-promise suit the jury is justifiable in so finding".

(d) "When one party has agreed to marry the other under the presumable inducement of a controlling fact supposed to exist while it did not, or when such a fact existed at the time of the promise but was afterward reversed, or when the other's fraudulent representation of something even less important entrapped him into the promise, he may rescind the agreement, first giving an expressed or implied due notice, where the thing was not within the knowledge of the other". — "Any conduct by one of the parties, amounting to actual fraud, will justify the other, who has been entrapped by it, in withdrawing from the agreement". — "If parties to a marriage promise mutually to relinquish it, the release by each is a consideration for that by the other, and neither can afterward maintain a breach-of-promise suit". — "And after the bargain is entered into, ill conduct in one of them, of a nature and to a degree not quite definable, yet far less than would be required for a divorce after marriage, will justify the other in rescinding it. So likewise may either rescind it for any supervening incapacity in himself or in the other to fulfil the special duties of marriage".

(e) "*Damages* for the breach are not restricted to such as can be measured by the rule of dollars and cents, but, beyond this, the jury may give what seems reasonable in compensation for wounded feelings, for disgrace and shame, for loss of position in society and other like evils coming as natural and probable consequences of the breach, or of the special circumstances in which the breach was committed".

1113. 2° **De celebratione matrimonii.** (A) In *Anglia* multæ requiruntur conditiones ad celebrationem matrimonii, præ-

sertim quoad Catholicos, qui nubere nolunt in ecclesiis anglicanis [1].

(a) "Persons desiring to be married in a Catholic church must obtain the Registrar's certificate; they may also obtain from him a licence permitting the marriage to be solemnized with less delay, for a fee of thirty shillings and ten shillings stamp duty".

"In the first place, notice must be given in the form prescribed in the Act by one of the parties to the Superintendent Registrar of the District where they shall have dwelt for the preceding seven days, fifteen days if the marriage is to be by licence; or, if they dwell in different districts, then the Registrar of each District, unless the marriage is to be by licence, when notice to one Superintendent Registrar is sufficient. A copy of the notice is entered by the Registrar in the Marriage Notice Book, which is open, at all reasonable times, without fee to all persons desirous of inspecting it. Either the original notice, or a copy thereof, under the hand of the Superintendent Registrar, must be affixed in a conspicuous place in his office. And for every such notice he is entitled to a fee of one shilling (6 & 7 Will. 4, c. 85, SS. 4, 5; and 19 & 20 Vict. c. 119 S. 3)".

(b) "One whole day after the entry of this notice, if the marriage is to be solemnized by licence, or twenty-one days after, if it is to be solemnized without licence, the Superintendant Registrar, upon the demand of the party by whom notice was given, issues a certificate in the form provided by the Act, showing that the requisite notice has been given, and that the issue of the certificate has not been forbidden by any authorised person, and for this certificate a fee of one shilling is payable (6 & 7 Will. 4, c. 85, S. 7, and 19 & 20 Vict. c. 119, S. 4)".

(c) "The marriage may then be celebrated in the Catholic church duly registered for the solemnization of marriages, which is specified in the notice and which must, as a rule, be in the district of the residence of one of the parties. But it must be celebrated in the presence of a Registrar of the district in which the church is situated, and of two or more credible witnesses, and a fee of five shillings — ten if the marriage is by licence — is payable to the Registrar for his attendance (6 & 7 Will. 4, c. 85, SS. 18, 20, 22.) The Act further provides that in some part of the ceremony, and in the presence of the Registrar, each of the parties shall declare: "I do solemnly declare that I know not of any lawful impediment why I, A. B., may

[1] Has regulas desumimus ex opere : *A Manual of the Law specially affecting Catholics*, by **W. S. Lilly**, and **J. E. P. Wallis**, London, 1893, p. 54-57. Cum arduum sit pro pauperibus hæc omnia præscripta sequi, non pauci in concubinatu vivunt : hinc catholici Angliæ Episcopi enixe postularunt quædam ex eis abolenda vel mutanda esse, ibid., p. 191-195. — Cfr. **Stephen**, II, p. 252-265.

not be joined in matrimony to C. D.," and that each of the parties shall say to the other: "I call upon these persons, here present, to witness that I, A. B., do take thee, C. D., to be my lawful wedded wife (or husband)".

(d) The celebration of the marriage must take place within three calendar months next after the day of the entry of the notice. Should a certificate of marriage ("The *Marriage Lines*") be desired, it may be procured from the Registrar-General, or Superintendent Registrar, upon payment of a fee of two shillings and sixpence (6 & 7 Will. 4, c. 85. SS. 35, 36).

(e) "The clergy should take note that by S. 39 a priest would be guilty of felony if he knowingly solemnized a marriage in England in any other place than the registered building specified in the notice and certificate, or in a registered building in the absence of a Registrar of the district".

(f) It is provided by 19 & 20 Vict. c. 119, S. 12, that "if the parties to any marriage contracted at the registry office of any district shall desire to add the religious ceremony ordained or used by the church or persuasion of which such parties shall be members to the marriage so contracted, it shall be competent for them to present themselves for that purpose to a clergyman or minister of the church or persuasion of which such parties shall be members, having given notice to such clergyman or minister of their intention to do so; and such clergyman or minister, upon the production of their certificate of marriage before the Superintendent Registrar, and upon the payment of the customary fees (if any), may, if he shall see fit, in the church or chapel whereof he is the regular minister, by himself, or by some minister nominated by him, read or celebrate the marriage service of the persuasion to which such minister shall belong".

1114. (B) *In Statibus Americæ Fœderatis*, lege *communi* nulla requiritur solemnitas ad validitatem matrimonialis consensus; sed, lege *particulari* in plerisque Statibus ad liceitatem, sub variis pœnis, quædam conditiones præscriptæ sunt [1]:

(a) "At common law marriage is a civil contract, to which consent alone is essential. It requires no legal forms nor religious solemnities, nor special mode of proof. The common rule is, that in the absence of statutory regulation, consent *per verba de præsenti* with or without consummation, or *per verba de futuro* with consummation, constitutes a valid marriage... In New York,

[1] Summarium legis Americanæ mutuamur ex **Browne**, *Elements of the Law of Domestic Relations*, Boston, 1890, p. 9-12. — Cfr. **Bishop**, § 293-449.

Illinois, and Rhode Island, it is now held that mere *verba de futuro*, although followed by consummation, do not constitute a valid marriage".

(b) "Although in most if not all of the United States there are statutes regulating the celebration of marriage, and inflicting penalties on all who disobey the regulations, yet it is generally considered that in the absence of any positive statute declaring that all marriages not celebrated in the prescribed manner shall be absolutely void, or that none but certain magistrates or ministers shall celebrate a marriage, any marriage regularly made according to the common law, without observing the statutory regulations would be still a valid marriage".

(c) "An assent to a ceremony understood on both sides to be given in jest, even if the clergyman is in earnest, will not constitute a valid marriage; but otherwise, if one of the parties is in earnest; and where one party procures a mock ceremony to be performed by one falsely personating a clergyman, it will bind both if the other assents in good faith".

(d) "Intercourse illicit in its commencement will be presumed always so to continue, and no marriage can be presumed from it. Without express proof of words of consent a valid marriage may be predicated of cohabitation, acknowledgment of a marriage by the parties, receptions of them by relatives and friends and in society as husband and wife. Even though it may invalidate a subsequent marriage. But not as against a prior ceremonial marriage".

(C) Quando nuptiæ in *aliena* regione celebrantur ab Anglis vel Americanis, validæ sunt, dummodo servatus fuerit ritus in illa regione adhiberi solitus, et aliunde vere habiles sint ad contrahendum, juxta leges anglicas vel americanas [1].

1115. 3° De mutuis juribus et officiis viri et uxoris. Hæc substantialiter eadem sunt in Anglia ac in America [2]. (a) *Jura viri :* "The rights of a husband, in and over his wife, are two : *obedience* [3] and *service*. The husband has the legal *control* of the person of his wife, and may put moderate restraints upon her liberty, if her conduct be such as to require it. If he changes his domicile, it is her duty to follow him. If she elopes and abandons him without cause, he may compel her to return. But he has no right to chastise her or to use physical violence toward her, except so far as is necessary to prevent her from doing violence to himself or others. The *services* of the wife, and the

[1] **Browne**, p. 12; **Stephen**, p. 264-265.

[2] Horum summarium exhibet **W. C. Robinson**, *Elementary Law*. Boston, 1882, p. 112-113. — [3] Cf. However Appeal case in *Page* v. *Searle*, 1932.

result thereof, also belong to the husband, at common law; though in some States, by Statute, he is entitled to the result of her service only as a trustee, and holds them for her use.

(b) *Jura uxoris* : "The rights of the wife, in and from the husband, are also two : *protection* and *support*. Whatever he may lawfully do in his own *defence* he may do, and is naturally obliged to do, in defence of her. It is his duty to provide her with *necessaries* according to her station in life, and, if he refuses to do so, she may contract for them in his name, and she may still contract debts for her necessaries in his name. This right will be forfeited by the wife if she elopes with an adulterer, or if she abandons her husband without cause and does not repent and offer to return to him. But the husband is not bound to support the wife out of his family, if he provides for her and treats her properly there; and, in all cases, persons supplying a wife with necessaries, without the consent of the husband, are bound to make inquiries, and, even after such inquiries, if they supply her, they do it at their peril".

1116. 4° **De divortio semi-pleno, seu separatione a toro et mensa.** (A) In *Anglia* [1] : "A *judicial separation* (in lieu of the divorce *a mensa et toro)* may now be decreed, on the petition of either husband or wife; and this decree has all the effect that belonged to the old divorce *a mensa et toro;* and judicial separation may be decreed on the ground of adultery, or cruelty; or on the ground of desertion without cause for two years and upwards; and during the continuance of the decree, the wife acquires, as to property and for many other purposes, the condition of a *feme sole* [2].

1117. (B) In *Statibus Amer. Fœderatis*, divortium a *toro et mensa* non agnoscitur a lege *communi*, sed a Statutis multorum Statuum [3]. Causæ, propter quas conceditur, diversæ sunt secundum diversos Status [4]. Sequentes in omnibus fere agnoscuntur [5] :

(a) "*Cruel and inhuman treatment.* This must be such as renders the life or health of the plaintiff unsafe. Words of menace creating a reasonable apprehension of bodily violence will suffice. It need not be personal; unmercifully whipping her child in the wife's

---

[1] These laws are constantly being modified by law and cases : what we give, will suffice at present. — [2] **Stephen,** II, p. 285-286.

[3] "Limited divorce exists in tho following states : Alabama, Arkansas, Delaware, District of Columbia, Georgia, Kentucky, Louisiana, Maryland, Michigan, Minnesota (in favor of wife only), Nebraska, New Jersey, New York, North Carolina, Pennsylvania (in favor of wife only), Rhode Island, Tennessee (in favor of wife only), Virginia, West Virginia, Wisconsin". (*A report on Marriage and Divorce*, by **Carroll D. Wright,** Washington, 1891, p. 115).

[4] Quas recenset **C. D. Wright,** *op. cit.*, p. 89-112. — [5] **Browne,** p. 64-66.

presence and in spite of her entreaties will suffice. But mere bad temper, or conduct producing annoyance, discontent, and disgust, is not enough. Nor does mere intoxication, occasional or frequent, constitute cruel or inhuman treatment. Nor an angry expulsion of the wife under suspicion of infidelity. Nor refusal to permit her to attend her own church. A single cruel act does not constitute cruelty of treatment. But when accompanied by circumstances indicative of a probability of repetition, it may warrant a divorce ".

(b) " *Such conduct as renders it unsafe and improper to cohabit.* " Unsafe " means a reasonable apprehension of bodily injury. As subjecting the wife to excessive sexual intercourse ".

(c) " *Abandonment and refusal or neglect to provide.* These must concur. The neglect must be wilful. Denial of sexual intercourse is not utter desertion; nor desertion, nor cruelty. On a suit by a husband for separation for abandonment, the wife may be awarded a separation for cruelty ".

(d) Quoad uxoris *alimoniam* hæc etiam notentur : " Pending the suit the court may grant the wife a pecuniary provision from the husband to enable her to live separately from him, which is called alimony; and also compel him to pay her counsel fees to enable her to wage or defend the suit. On granting her a divorce the court may also impose alimony, and order the husband to make provision for supporting the children ".

1118. 5° De divortio pleno. (A) In *Anglia :* (a) " A *divorce* or dissolution of the marriage... may also now be obtained on the petition of either husband or wife; and where *he* is the petitioner, it may be on the ground that since the marriage she has been guilty of adultery; but where *she* is the petitioner, it may only be on the ground that he has since the marriage been guilty of incestuous adultery, or of bigamy with adultery, or of rape, or of unnatural crime, or of adultery coupled with such cruelty as would, without adultery, have formerly entitled her to a divorce *a mensa et toro;* or of adultery coupled with desertion, without reasonable excuse, for two years or upwards. But no divorce can be decreed, if the petitioner (whether husband or wife) has been accessory to, or connived at, or has condoned, the adultery; or if the petition is presented or prosecuted by collusion; and the court is not *bound* to decree the divorce, if the petitioner has been guilty of adultery during the marriage; or of cruelty; or of desertion or wilful separation; or of such wilful neglect or misconduct as has conduced to the adultery; or if there has been undue delay (remaining unexplained) in presenting the petition "[1].

[1] Stephen, p. 286.

(b) "A decree of *nullity of marriage* may also be obtained on any ground which would formerly have justified a divorce *a vinculo*"[1], viz. disability; lack of legal age, of mental capacity, etc.

1119. (B) In *Statibus Amer. Fœderatis* leges omnino diversæ sunt secundum diversos Status; ideoque ea solum tradere possumus, quæ magis communia sunt. (a) "*Nullity of contract*... For this divorce there are generally five causes : lack of legal age, former marriage, lack of mental capacity, force or fraud, and impotence... It may now be said generally, that marriages coming within these prohibitions are usually valid until pronounced void, and the children are legitimate. It has been held, however, that a judgment annulling a marriage contracted by an insane party is unnecessary. The lack of mental capacity and the impotence, to justifiy a divorce, must have existed at the time of the marriage"[2].

(b) Inter præcipuas causas, quæ in variis Statibus ad *divortium proprie dictum* sufficiunt, recensentur[3] : Adultery, a cause in all the states and territories; pregnancy of wife at time of marriage, unknown to husband; abandonment, desertion, wilful absence; disappearance, absence without being heard from; cruelty, actual violence or apprehension thereof, inhuman treatment[4]; failure or neglect of husband to provide for wife; drunkenness (habitual), conviction of felony or infamous crime, sentence to imprisonment.

(c) Relate ad *adulterium*, hæc notatu digna sunt : "But a divorce for this cause will never be granted where the offence was committed by the procurement or connivance of the complainant; or has been forgiven and the parties have voluntarily cohabited with knowledge of its commission, which is called condonation; or the complainant has also been guilty of the like offence, so that the defendant, if innocent, might have a divorce therefor, which is called recrimination"[5].

(d) "Generally the defendant, on judgment passing against him, is prohibited from remarrying during the plaintiff's life. But this provision has no extra-territorial effect. It is held that a marriage

---

[1] **Stephen**, p. 288. — [2] **Browne**, p. 62-63.

[3] Cfr. **C. D. Wright**, *op. cit.* p. 89-115.

[4] Quam late pateat hæc divortii causa intelligi potest e variis exemplis, quæ refert **C. D. Wright**, p. 172-178 : "Defendant does not wash himself, thereby inflicting on plaintiff great mental anguish... Defendant has accused plaintiff's sister of stealing, thereby sorely wounding plaintiff's feeling... Defendant violently upbraided plaintiff and said to him : You are no man at all; thus causing him mental suffering and anguish... Defendant pulled plaintiff out of bed by his whiskers, etc. etc.".

[5] **Browne**, p. 63.

within this State in violation of this injunction subjects the prohibited party to the penalties of bigamy"[1].

1120. De impedimentis matrimonialibus. (A) In *Anglia* ad quatuor reducuntur[2]: (a) "The first of them, namely, a *prior marriage still subsisting*, wants no particular observation, excepting this, that the second marriage is to all intents and purposes void".

(b) "*Insanity*, or want of reason, is the second civil disability... and accordingly, by our law, it is established that a marriage contracted under circumstances of duress overpowering the will is void; also, that the marriage of a lunatic, not being in a lucid interval, is absolutely void".

(c) "The third civil incapacity is that in respect of *proximity of relationship*, — whether of consanguinity or of affinity... The only marriages which are now illegal in respect of proximity of degree (as being either contrary to God's law or within the Levitical degrees), are the following, viz. — those between persons in the ascending and descending line *in infinitum*, — and those between collaterals to the third degree inclusive, according to the mode of computation in the civil law; which reckons the sum of the degrees from, (but exclusively of), one of the persons related, up to the common stock and so down to the other person. Moreover, the prohibitions in the case of collaterals extend not only to *consanguinei*, or those related by blood, but to *affines*, or those related by marriage; e. g., a man can marry neither his sister, nor his deceased wife's sister, for both are related to him in the second degree; nor his sister's daughter, nor his deceased wife's sisters's daughter, for both are in the third degree; but he may marry his first cousin, for she is in the fourth degree".

(d) "*The want of age*... It is not necessary to the contract of marriage that the parties should have attained their full age of twenty-one; for a male person is enabled by law to consent to matrimony at the age of fourteen, and a female at the age of twelve, subject (where subject) to the consent of their parents or guardians[3]; and, indeed, even though the male be under fourteen, or the girl under twelve, the marriage is not absolutely void, but is inchoate only and imperfect; and either of the parties, upon coming to the proper age for his or her consent, may in such latter case disagree to (and so avoid) the marriage; but a marriage between people, either of whom is under the age of seven years, is absolutely void".

---

[1] **Browne**, p. 64. — [2] Ap. **Stephen**, p. 248-252.
[3] There is a tendency now to raise this age.

1121. (B) In *Statibus Amer. Fœderatis* varia sunt impedimenta secundum varios Status; quæ sunt omnibus fere communia ad septem capita referuntur: — (a) Law forbids the marriage of *near relations*. The degrees of consanguinity called the *prohibited degrees* are defined by the laws of the different States. In Maryland, for instance, a man shall not marry his grandmother [1] grandfather's wife, wife's grandmother, father's sister, mother's sister, mother, stepmother, wife's mother, daughter, wife's daughter, son's wife, sister, son's daughter, daughters daughter, son's son's wife, daughter's daughter, or sister's daughter. A woman shall not marry her corresponding relatives [1].

(b) "*Social condition.* At common law, and in England, race color, and social rank constitute no impediment to marriage. In this country United States, in many States marriage is by statute forbidden between whites and negroes or Indians" [2].

(c) "*Mental capacity.* An intelligent consent is essential to a valid marriage. Hence an idiot or lunatic cannot contract marriage. So of other persons who have not the capacity to understand the duties and obligations of the relation. The test usually applied in the courts is that of fitness for the general transactions of life... Marriage contracted during *temporary insanity* is void; but marriage contracted during a lucid interval is valid; except when provided, as in England and in some of our States, by statute, that it is void during an unrevoked commission of lunacy. *Drunkenness* does not incapacitate, unless so great that the party does not know what he is about. *Deaf* and *dumb* persons, formerly classed as idiots, may now, it is held, contract a valid marriage".

(d) "*Physical capacity.* Where impotence exists there can be no valid marriage. But impotence means physical incapacity; not mere coldness, reluctance or unwillingness, or even absolute refusal to consent to sexual connection. Barrenness constitutes no incapacity, nor does any malformation not preventing copulation, nor any curable disability. The impotency must have existed at the time of the marriage".

(e) "*Age.* The common law fixes an age of consent for a valid marriage at 14 in males and 12 in females... A marriage, either party to which was under the age of consent, may be ratified, on arriving at that age, by consent implied from continued intercourse or slight circumstances. Consent of parents is not necessary to the marriage of minors. In some States such marriages are forbidden

---

[1] Cfr. **C. D. Wright**, p. 31-35, ubi recensentur leges variorum Statuum.

[2] Quas regulas desumimus ex opere **Browne**, p. 3-8.

without being declared void, and penalties are denounced for celebrating or contracting them".

(f) *Prior marriage.* Polygamy or bigamy is denounced as a crime by all christian communities... At common law the subsequent marriage is void *ab initio*, but statutes have relaxed this rule by declaring that such marriages shall be void only from the time when so pronounced by the decree of a competent court".

(g) "*Force or Fraud.* Kent says "a marriage procured by force or fraud is void *ab initio*, and may be treated as void by every court in which its validity may be incidentally drawn in question". So says Schouler. But this has recently been denied, and it has been held that such a marriage can only be avoided by the person defrauded, in his lifetime. Statutes have changed the rule in some States, and attached the invalidity of the time of a decree of nullity.

Force implies physical restraint; fraud implies deception. The generale rule is that the force must be such as would naturally serve to overcome the will. The question of the amount of force depends upon circumstances... A marriage procured by illegal arrest may be avoided, and so where the arrest was legal but malicious. But when a man under legal arrest for seduction reluctantly marries the woman the marriage will not be set aside.

The fraud which will avoid a marriage must go to the essence of the contract... So fraudulent representations by one party as to birth, age, social position, fortune, health, manners, or character will not suffice... A false personation would undoubtedly avoid the marriage".

III. Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in Gallia.[1]

1122. 1° **De Sponsalibus.** Codex civilis de sponsalibus tacet, et jurisperiti tenent promissiones futuri matrimonii vim obligatoriam non habere. "Néanmoins les tribunaux condamnent tous les jours à des dommages et intérêts celui des fiancés qui manque à sa promesse sans motifs légitimes : le juge apprécie souverainement la légitimité du motif. Les dommages et intérêts sont alloués par application de l'art. 1392. La promesse de mariage est nulle sans doute. Mais celui des fiancés qui, après avoir

[1] **Carrière**, II, n. 936-1026; **Gasparri**, n. 1211-1220; **Allègre**, *Code civil commenté*, 6e éd., Paris, 1897, I, p. 74-82; **Baudry-Lacantinerie**, *Précis de Droit Civil*, 7e édit., Paris, 1899, t. I, n. 483-936; **Planiol**, *Traité élémentaire de Droit Civil*, cujus editiones fere singulis annis vulgantur, paginis et numeris sæpe mutatis.

fait une semblable promesse, se retire capricieusement, se rend coupable d'un délit civil ou d'un quasi-délit : d'un délit civil, s'il y a dol de sa part, d'un quasi-délit, s'il y a seulement étourderie; il doit être condamné à réparer le préjudice matériel ou même moral dont il est l'auteur. Le préjudice matériel consistera dans les dépenses faites par le fiancé délaissé en vue de la conclusion du mariage; le préjudice moral, dans l'atteinte portée à sa réputation "[1].

1123. 2° **De celebratione matrimonii.** (A) Ante matrimonium, *banna* promulgari debent : (a) "Avant la célébration du mariage, l'officier de l'état civil fera une publication par voie d'affiche apposée à la porte de la maison commune. Cette publication énoncera les prénoms, noms, professions, domiciles et résidence des futurs époux, ainsi que le lieu où le mariage devra être célébré "[2].

(b) "L'affiche prévue en l'article précédent restera apposée à la porte de la maison commune pendant dix jours. Le mariage ne pourra être célébré avant le dixième jour depuis et non compris celui de la publication "[3].

(c) "Si le mariage n'a pas été célébré dans l'année, à compter de l'expiration du délai de la publication, il ne pourra plus être célébré qu'après une nouvelle publication faite dans la forme ci-dessus "[4].

1124. (B) Quoad ipsam *matrimonii celebrationem :* (a) "Le mariage sera célébré publiquement devant l'officier de l'état civil de la commune où l'un des époux aura son domicile ou sa résidence à la date de la publication prévue par l'art. 63, et, en cas de dispense de publication, à la date de la dispense prévue à l'art. 169 ci-après [5].

(b) "Le mariage sera célébré dans la commune où l'un des deux époux aura son domicile, ou sa résidence établie par un mois au moins d'habitation continue à la date de la publication prévue par la loi "[6].

(c) "Le jour désigné par les parties après les délais des publications, l'officier de l'état civil, dans *la maison commune*, en présence de *deux témoins*, parents ou non parents, fera lecture aux parties des pièces ci-dessus mentionnées, relatives à leur état et aux for-

---

[1] **Baud. Lac.**, n. 484.

[2] *Code civil*, art. 63 (modifié 8 avril 1927). — [3] Art. 64. — [4] Art. 65. — [5] Art. 165. — [6] Art. 74.

malités du mariage, ainsi que des art. 212, 213 et 214 du Code civil... Il recevra de chaque partie, l'une après l'autre, la déclaration qu'elles veulent se prendre pour mari et femme; il prononcera, au nom de la loi, qu'elles sont unies par le mariage, et il en dressera acte sur le champ" [1].

(d) "L'acte de mariage énoncera : 1° les prénoms, noms, professions, âge, dates et lieux de naissance, domiciles et résidences des époux; — 2° les prénoms, noms, professions et domiciles des pères et mères; — 3° le consentement des pères et mères, aïeuls ou aïeules, et celui du Conseil de famille, dans les cas où ils sont requis; — 4° les prénom et nom du précédent conjoint de chacun des époux; — [5° la mention qu'il n'existe aucune opposition pouvant empêcher le mariage] [2]; — 6° la déclaration des contractants de se prendre pour époux, et le prononcé de leur union par l'officier de l'état civil; — 7° les prénoms, noms, professions, domiciles des témoins, et leur qualité de majeurs; — 8° la déclaration faite sur l'interpellation prescrite par l'article précédent, qu'il a été ou qu'il n'a pas été fait de contrat de mariage, et, autant que possible, la date du contrat, s'il existe, ainsi que les noms et lieu de résidence du notaire qui l'aura reçu; le tout à peine contre l'officier de l'état civil de l'amende fixée par l'art. 50. .... Il sera fait mention de la célébration du mariage en marge de l'acte de naissance des époux" [3].

(e) "Le mariage contracté en *pays étranger* entre Français, et entre Français et étrangers sera valable, s'il a été célébré dans les formes usitées dans le pays, pourvu qu'il ait été précédé de la publication prescrite par l'article 63, au titre *des Actes de l'état civil*, et que le Français n'ait point contrevenu aux dispositions contenues au chapitre précédent. — Il en sera de même du mariage contracté en pays étranger entre un Français et une étrangère, s'il a été célébré par les agents diplomatiques ou par les consuls de France, conformément aux lois françaises. ... Dans les trois mois après le retour du Français sur le territoire de la République, l'acte de célébration du mariage contracté en pays étranger sera transcrit sur les registres publics des mariages du lieu de son domicile" [4].

(f) Hæc etiam a *sacerdotibus* notentur : "Tout ministre d'un culte qui procédera aux cérémonies religieuses d'un mariage sans

---

[1] Art. 75. — [2] Abrogé par L. 13 fév. 1932. — [3] Art. 76 (mod. 4 fév. 1928 et 13 fév. 1932).

[4] Art. 170-171. — Controvertitur inter jurisperitos utrum matrimonium initum absque hujusmodi conditionibus sit validum vel non.

qu'il lui ait été justifié d'un acte de mariage préalablement reçu par les officiers de l'état civil, sera, pour la première fois, puni d'une amende de 16 francs à 100 francs. — En cas de nouvelles contraventions de l'espèce exprimé en l'article précédent, le ministre du culte qui les aura commises sera puni, savoir : pour la première récidive, d'un emprisonnement de deux à cinq ans; et pour la seconde, de la détention "[1].

1125. 3° De mutuis juribus et officiis conjugum. "Les époux se doivent mutuellement *fidélité, secours, assistance.* — Le mari doit protection à sa femme; la femme, obéissance à son mari. — La femme est obligée d'habiter avec le mari, et de le suivre partout où il juge à propos de résider : le mari est obligé de la recevoir, et de lui fournir tout ce qui est nécessaire pour les besoins de la vie, selon ses facultés et son état "[2].

1126. 4° De impedimentis matrimonii. (A) *Aetas :* "L'homme avant dix-huit ans révolus, la femme avant quinze ans révolus ne peuvent contracter mariage. — Néanmoins il est loisible au Président de la République d'accorder des dispenses d'âge pour des motifs graves "[3]. — La cause la plus fréquemment invoquée est la grossesse de la femme : *malitia supplevit ætatem.*

(B) *Defectus consensus.* (a) Il n'y a point de mariage lorsqu'il n'y a point de consentement "[4].

(b) Jamvero *error circa personam* consensum invalidat : "Lorsqu'il y a eu *erreur dans la personne*, le mariage ne peut être attaqué que par celui des deux époux qui a été induit en erreur. — Dans le cas de l'article précédent, la demande en nullité *n'est plus recevable*, toutes les fois qu'il y a eu cohabitation continuée pendant six mois depuis que l'époux a acquis sa pleine liberté, ou que l'erreur a été par lui reconnue "[5].

(c) Pariter *amentia perpetua*, vi art. 489 : "Le majeur qui est dans un état *habituel* d'imbécillité, de démence ou de fureur, doit être interdit, même lorsque cet état présente des intervalles lucides ".

---

[1] *Code pénal*, art. 199-200.

[2] *Code civil*, art. 212-214. — Le *secours* dont il est question, consiste dans la prestation en nature ou en argent des choses nécessaires à la vie. L'obligation de payer une pension alimentaire s'impose, à la cessation de la vie commune, lorsque l'un des deux époux est sans ressources, — quand le mari refuse de recevoir sa femme au domicile conjugal, — quand le mari force sa femme à quitter le domicile conjugal par les mauvais traitements qu'il lui fait subir. Cfr. Baud. Lac., n. 715-716.

[3] *Code civil*, art. 144-145. — [4] Art. 146.

[5] *Code civil*, art. 180-181.

(d) Necnon *vis et metus :* "Ainsi un jeune homme surpris en flagrant délit avec une jeune fille promet de l'épouser, et l'épouse en effet, sous l'influence d'une menace de mort qui lui est faite par le père de la jeune fille. L'époux violenté pourra demander la nullité du mariage". — "Le rapt n'est plus aujourd'hui comme autrefois un empêchement dirimant de mariage. Seulement la personne ravie peut faire prononcer la nullité du mariage qu'elle aurait contracté avec son ravisseur, si elle parvient à démontrer que son consentement n'a pas été libre" [1].

(e) *Ligamen :* "On ne peut contracter un second mariage avant la dissolution du premier". — "Le mariage se dissout : 1° par la mort de l'un des deux époux; 2° par le divorce légalement prononcé". — "La femme ne peut contracter un nouveau mariage qu'après 300 jours révolus depuis la dissolution du mariage précédent". — "La femme divorcée pourra se remarier aussitôt après la transcription du jugement ou de l'arrêt ayant prononcé le divorce, si toutefois il s'est déjà écoulé 300 jours depuis qu'est intervenue, dans l'instance qui aura abouti au divorce, l'ordonnance prévue à l'art. 236," c. à d., l'ordonnance qui a autorisé l'époux demandeur à avoir une résidence séparée.

"Ce délai prend fin en cas d'accouchement survenu depuis la transcription du jugement ou de l'arrêt ayant prononcé le divorce" [2].

1127. (C) *Defectus consensus parentum :* (a) "Les mineurs ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère. En cas de dissentiment entre le père et la mère, ce partage emporte consentement. — Si l'un des deux est mort, ou s'il est dans l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement de l'autre suffit. — Si la résidence actuelle du père ou de la mère est inconnue, et s'il n'a pas donné de ses nouvelles depuis un an, il pourra être procédé à la célébration du mariage si l'enfant et celui de ses père et mère qui donnera son consentement en fait la déclaration sous serment. — Si le père et la mère sont morts, ou s'ils sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les aïeuls et aïeules les remplacent. S'il y a dissentiment entre l'aïeul et l'aïeule de la même ligne ou s'il y a dissentiment entre les deux lignes, ce partage emportera consentement" [3].

(b) "Le dissentiment [des ascendants] peut être constaté par un notaire requis par le futur époux... qui notifiera l'union projetée

---

[1] **Baudry-Lac.**, nn. 588, 590.

[2] *Code civil*, art. 147, 227, 228, 296. — Ligamen est quidem impedimentum *dirimens*, sed prohibitio nubendi ante decem menses a dissolutione prioris matrimonii est solum *impediens*. — Insuper bigamia gravibus pœnis plectitur. (*Code pénal*, art. 340).

[3] *Code civil*, art. 148-150 (modifiés 17 juillet 1927).

à celui ou à ceux dont le consentement n'est pas encore obtenu. "L'acte de notification énonce les prénoms, noms, professions, domiciles et résidences des futurs époux, de leurs pères et mères, ou, le cas échéant, de leurs aïeuls, ainsi que le lieu où sera célébré le mariage. Il contient aussi déclaration que cette notification est faite en vue d'obtenir le consentement non encore accordé, et que, à défaut, il sera passé outre à la célébration du mariage"[1].

(c) "Le dissentiment des ascendants peut également être constaté, soit par une lettre dont la signature est légalisée, et qui est adressée à l'officier d'état civil qui doit célébrer le mariage, soit par un acte dressé dans la forme prévue par l'art. 73, al. 2"[2].

(d) "L'enfant naturel légalement reconnu qui n'a pas atteint l'âge de 21 ans accomplis ne peut contracter mariage sans avoir obtenu le consentement de celui de ses père et mère qui l'a reconnu ou de l'un et de l'autre s'il a été reconnu par tous deux. — En cas de dissentiment entre le père et la mère, ce partage emporte consentement. Si l'un des deux est mort ou s'il est dans l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement de l'autre suffit"[3].

"L'enfant naturel qui n'a point été reconnu, et celui qui, après l'avoir été, a perdu ses père et mère, ou dont les père et mère ne peuvent manifester leur volonté, ne pourront avant l'âge de vingt et un ans révolus, se marier qu'après avoir obtenu le consentement du Conseil de famille"[4].

(e) "S'il n'y a ni père ni mère, ni aïeuls ni aïeules, ou s'ils se trouvent tous dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les mineurs de vingt et un ans ne peuvent contracter mariage sans le consentement du Conseil de famille"[4]. — "Si la résidence actuelle de ceux des ascendants du mineur de 21 ans dont le décès n'est pas établi est inconnue et si ces ascendants n'ont pas donné de nouvelles depuis un an, le mineur en fera la déclaration sous serment devant le juge de paix de sa résidence"[5].

---

[1] Art. 154, modifié par la loi du 2 février 1933.
[2] Art. 155, mod. 2 fév. 1933 et 4 fév. 1934.
[3] Art. 158, modifié par les lois des 17 juillet 1927 et 2 fév. 1933.
[4] Art. 159, loi du 10 mars 1913.
[5] Art. 160, modifié 7 février 1924.

1128. (D) *Cognatio et affinitas :* (a) " En ligne *directe*, le mariage est prohibé entre tous les ascendants et descendants légitimes ou naturels, et les alliés dans la même ligne " [1].

(b) " En ligne *collatérale*, le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels. Il est prohibé entre les alliés au même degré lorsque le mariage qui produisait l'alliance a été dissous par le divorce (L. 1er juil. 1914). — Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu. — Néanmoins il est loisible au Président de la République de lever, pour des causes graves, les prohibitions portées par l'article 162 aux mariages entre beaux-frères et belles-sœurs, et par l'article 163 aux mariages entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu " [2].

(c) " Le mariage est prohibé : entre l'adoptant, l'adopté et ses descendants; entre les enfants adoptifs du même individu; entre l'adopté et les enfants qui pourraient survenir à l'adoptant; entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté " [3].

(E) *Defectus legalis solemnitatis :* (a) " La déclaration des parties qui constate leur consentement libre et volontaire ; et celle de l'officier de l'état civil, qui prononce au nom de la loi, que l'union conjugale est formée, sont des formalités substantielles sans l'accomplissement desquelles il ne saurait y avoir de mariage " [4].

(b) " Tout mariage qui n'a point été contracté *publiquement*, et qui n'a pas été célébré devant *l'officier public compétent*, peut être attaqué par les époux eux-mêmes, par les père et mère, par les ascendants, et par tous ceux qui ont un intérêt né et actuel, ainsi que par le ministère public " [5].

1129. Exinde sequitur nonnulla esse impedimenta canonica quæ a lege civili non agnoscuntur ; qualia sunt *impotentia*, *cognatio spiri-*

---

[1] Art. 161. — L'alliance ne cesse pas par le décès du conjoint qui l'a produite.

[2] Art. 162-164. — La jurisprudence admet de plus en plus que l'art. 163 s'oppose aussi au mariage entre le grand-oncle et la petite-nièce, la grand'tante et le petit-neveu. Cfr. **Baud. Lac.**, n. 523. Mais la Cour de Cassation juge que le mariage est permis entre un oncle et sa nièce naturelle, de même qu'entre une tante et son neveu naturel. — [3] Art. 354.

[4] *Cour de Cassation*, ap. **Baud. Lac.**, n. 582, 3°.

[5] Art. 191. — " Toute contravention aux règles sur la publicité ne rend pas nécessairement le mariage nul comme clandestin. Le juge a ici un pouvoir d'appréciation qui ne lui appartient pas pour les autres causes de nullité ". — " L'incompétence de l'officier de l'état civil qui a célébré un mariage n'en entraîne pas *nécessairement* la nullité... Le juge est investi d'un pouvoir discrétionnaire pour apprécier la gravité de la violation soit des règles de la compétence, soit des règles de la publicité ".

tualis, *honestas publica*, *disparitas cultus*, *votum*, *ordo*[1], *crimen*, *raptus*, *clandestinitas*. Attamen si *impotentia* talis est ut sexus personæ determinari nequeat, matrimonium ut nullum declarari potest. Pariter si persona *rapta* probare potest ipsius consensum *vi* a raptore extortum fuisse, irritatur matrimonium. Alia autem quæ admittuntur, non eodem modo intelliguntur a lege civili ac lege canonica; aliunde sunt impedimenta civilia, ut consensus parentum, quæ Ecclesia ut dirimentia non habet. Ad quod attendere debent sacerdotes, ne facile matrimonium contrahatur in foro civili validum et in ecclesiastico invalidum, aut vice versa.

1130. 5° **De divortio pleno.** (A) *Des causes du divorce :* (a) " Le mari pourra demander le divorce pour cause d'adultère de sa femme. — La femme pourra demander le divorce pour cause d'adultère de son mari "[2].

(b) " Les époux pourront réciproquement demander le divorce pour excès, sévices ou injures graves de l'un d'eux envers l'autre "[3].

(c) " La condamnation de l'un des époux à une peine afflictive et infamante sera pour l'autre époux une cause de divorce "[4].

(d) " Lorsque la séparation de corps aura duré trois ans, le jugement sera de droit converti en jugement de divorce sur la demande formée par l'un des époux "[5].

(B) La *procédure* du divorce est clairement indiquée dans les articles 234-253 ; les *effets* dans les articles 295-304. Est abrogé l'article 298, qui établissait une sorte d'empêchement dirimant : " Dans le cas de divorce admis en justice pour cause d'adultère, l'époux *coupable* ne pourra jamais se marier avec son *complice* ".

1131. 6° **De divortio semi-pleno.** (a) " Dans le cas où il y a lieu à la demande en divorce, il sera libre aux époux de former une demande en séparation de corps "[6].

(b) " La séparation de corps emporte toujours la séparation de biens. Elle a en outre pour effet de rendre à la femme le plein exercice de sa capacité civile, sans qu'elle ait besoin de recourir à l'autorisation de son mari ou de justice "[7].

---

[1] Le 26 février 1878, la Cour de Cassation avait jugé que la prêtrise est un empêchement dirimant de mariage; un arrêt de la même Cour, en date du 25 janv. 1888, a rendu une décision contraire.

[2] Art. 229-230.

[3] Art. 231. — Par *excès* il faut entendre les attentats portés par un époux à la vie de son conjoint ou les actes mettant en danger la vie de celui-ci. Par *injures graves* on n'entend que celles qui sont l'expression manifeste d'un sentiment mauvais, réfléchi et permanent.

[4] Art. 232. — [5] Art. 310. — [6] Art. 306.

[7] Art. 311. Loi du 6 févr. 1893 complétant cet article.

IV. Præcipuæ leges civiles italicæ de Matrimonio.

1132. 1° **De sponsalibus.** (a) "La promessa scambievole di futuro matrimonio non produce obbligazione legale di contrarlo, nè di eseguire ciò che si fosse convenuto pel caso di non adempimento della medesima. — (b) Se la promessa fu fatta per atto pubblico o per iscrittura privata da chi sia maggiore d'età, o dal minore autorizzato dalle persone il concorso delle quali è necessario per la celebrazione del matrimonio, oppure consta dalle pubblicazioni ordinate dall'uffiziale dello stato civile, il promettente che ricusi di eseguirla senza giusto motivo, è obbligato a risarcire l' altra parte delle spese fatte per causa del promesso matrimonio. La domanda però non è più ammissibile dopo un anno dal giorno in cui la promessa doveva essere eseguita" [1].

1133. 2° **De celebratione matrimonii.** (a) "La celebrazione del matrimonio deve essere proceduta da due pubblicazioni da farsi per cura dell' uffiziale dello stato civile. — Le pubblicazioni devono essere fatte nel comune in cui ciascuno degli sposi ha la sua residenza. Se la residenza attuale duri da meno di un anno, le pubblicazioni devono pur farsi nel comune della residenza precedente. Le pubblicazioni si fanno alla porta della casa comunale in due domeniche successive. L'atto resterà affisso nell'intervallo tra l'una e l' altra pubblicazione, e per tre giorni successivi. — Il matrimonio non può essere celebrato prima del quarto giorno dall' ultima pubblicazione. — Le pubblicazioni si considerano come non avvenute, se il matrimonio non è celebrato nel termine dei cento ottanta giorni successivi" [2].

(b) "Il matrimonio deve essere celebrato nella casa comunale e pubblicamente innanzi all'uffiziale dello stato civile del comune, ove uno degli sposi abbia il domicilio o la residenza. — Nel giorno indicato dalle parti, l' uffiziale dello stato civile alla presenza di due testimoni, ancorchè parenti, darà lettura agli sposi degli articoli 130, 131 e 132 di questo titolo; riceverà da ciascuna delle parti personalmente, l'uno dopo l'altra, la dichiarazione che esse si vogliono ripettivamente prendere in marito e moglie, e di seguito pronunzierà in nome della legge che sono unite in matrimonio. — La dichiarazione degli sposi di prendersi rispettivamente in marito e moglie non può essere sottoposta ne a termine ne a condizione" [3].

(c) "Il matrimonio eseguito in paese estero tra cittadini, o tra un cittadino ed uno straniero è valido, purchè sia celebrato seconde le forme stabilite in quel paese, e il cittadino non abbia contravvenuto alle disposizioni contenute nella sezione seconda del capo

[1] *Cod. civile*, art. 53-54. — [2] Art. 70-72, 76-77. — [3] Art. 93-95.

primo di questo titolo. Le pubblicazioni devono anche farsi nel regno a norma degli articoli 70 e 71. Se lo sposo cittadino non ha residenza nel regno, le pubblicazioni si faranno nel comune dell' ultimo domicilio. — Il cittadino che ha contratto matrimonio in paese estero, deve, nei tre mesi dal suo ritorno nel regno, farlo inscrivere nel registri dello stato civile del comune dove avrà fissata la sua residenza, sotto pena di una multa estendibile a lire cento "[1].

1134. 3° **De mutuis juribus et officiis conjugum.** "Il matrimonio impone ai coniugi la obbligazione reciproca della coabitazione, della fedeltà et della assistenza. — Il marito è capo della famiglia : la moglie segue la condizione civile di lui, ne assume il cognome, ed è obbligata ad accompagnarlo dovunque egli creda opportuno di fissare la sua residenza. — Il marito ha il dovere di proteggere la moglie, di tenerla presso di sè e somministrarle tutto ciò che è necessario ai bisogni della vita in proporzione delle sue sostanze. La moglie deve contribuire al mantenimento del marito, se questo non ha mezzi sufficienti. — L'obbligazione del marito di somministrare gli alimenti alla moglie cessa quando la moglie, allontanatasi senza giusta causa dal domicilio coniugale, ricusi di ritornarvi "[2].

1135. 4° **De impedimentis matrimonii.** (a) "Non possono contrarre matrimonio l' uomo prima che abbia compiuto gli anni sedici, la donna prima che abbia compiuto gli anni quattordici "[3].

(b) "Non può contrarre altre nozze chi è vincolato da un matrimonio precedente "[4].

(c) "Non può contrarre nuovo matrimonio la donna, se non decorsi dieci mesi dallo scioglimento o dall' annullamento del matrimonio precedente, eccettuato il caso espresso nell'articolo 107, (impotenza). Cessa questo divieto dal giorno che la donna abbia partorito "[5].

(d) "In linea retta il matrimonio è vietato fra tutti gli ascendenti e discendenti legitimi o naturali e gli affini della medesima linea. — In linea collaterale il matrimonio è vietato 1° tra le sorelle e i fratelli legittimi o naturali, 2° tra gli affini nel medesimo grado, 3° tra lo zio e la nipote, la zia ed il nipote "[6].

(e) "Il matrimonio è proibito : tra l'adottante, l'adottato e i suoi discendenti; tra i figli adottivi della stessa persona ; tra l'adottato ed i figli sopravvenuti all' adottante; tra l' adottato ed il coniuge dell' adottante, e tra l' adottante ed il coniuge dell' adottato "[7].

---

[1] Art. 100-101. — [2] Art. 130-133. — [3] Art. 55. mod. 27 magg. 1929.
[4] Art. 56. — [5] Art. 57. — [6] Art. 58-59. — [7] Art. 60.

(f) "Non possono contrarre matrimonio gli interdetti per infermità di mente" [1].

(g) "Chi fu in giudizio criminale convinto reo o complice di omicidio volontario commesso, mancato o tentato sulla persona di uno dei coniugi non può unirsi in matrimonio coll' altro coniuge" [2].

(h) "Il minore non puo contrarre matrimonio senza il consenso del genitore che esercita la patria potestà o senza il consenso del tutore. Per il matrimonio dei figli naturali legalmente riconosciuti si richiede il consenso del genitore che esercita la tutela, o, in mancanza, del tutore. Per il matrimonio dei figli naturali non riconosciuti si richiede il consenso del tutore. Al matrimonio del figlio adottivo è necessario anche il consenso dell' adottante" [3].

(i) "Il matrimonio può essere impugnato da quello degli sposi, del quale non sia stato libero il consenso. Quando vi fu errore nella persona, l'azione di nullità può essere promossa da quello degli sposi che fu indotto in errore. — Non e più ammissibile la domanda di nullità per le cause expresse nell'articolo precedente, se vi fu coabitazione continuata per un mese dopo che lo sposo ha riacquistata la sua piena libertà o conosciuto l'errore" [4].

(j) "L'impotenza manifesta e perpetua, quando sia anteriore al matrimonio, può essere proposta come causa di nullità dall' altro coniuge" [5].

(k) "Quando concorrano gravi motivi, può essere accordata dispensa dagli impedimenti indicati negli articoli 57, 60, 62, et 68 del Codice civile" (L. 27 magg. 1929).

1135 bis. Juxta *Concordatum italicum*, (11 feb. 1929) "*lo Stato italiano riconosce al sacramento del matrimonio disciplinato dal diritto canonico gli effetti civili*" (art. 34). Proinde "i cattolici che intendono contrarre matrimonio sono gravemente obbligati a celebrare il solo matrimonio religioso" (Cong. de Sacr., 1 lugl. 1929). De hoc matrimonio canonico sic disponit *Concordatum* (art. 34):

"Le *pubblicazioni* del matrimonio come sopra saranno effettuate, oltre che nella chiesa parrochiale, anche nella casa comunale. Subito dopo la *celebrazione* il parroco spiegherà ai conjugi gli effetti civili del matrimonio, dando lettura degli articoli del Codice civile riguardanti i diritti e i doveri dei conjugi, e *redigerà l'atto* di matrimonio, del quale entro cinque giorni trasmetterà copia integrale al Comune, affinchè venga *trascritto* nei registri dello stato civile" [6].

---

[1] Art. 61. — [2] Art. 62. — [3] Art. 63 mod., 27 magg. 1929.

[4] Art. 105-106. — [5] Art. 107.

[6] Legge 27 mag. 1929; *S. Cong. de Sacr.*, **Istruzione** del 1 lugl. 1929; **Gasparri** (ed. 1932), p. 567-605; **G. Stocchiero**, *Il matrimonio in Italia*, 1929. **F. Cimetier**, *Le mariage canonique et ses effets civils d'après le concordat italien*, in periodico *Revue Apologétique*, juin 1933, p. 662-683.

1136. 5° **De separatione a toro et mensa.** (a) "La separazione può essere domandata per causa di adulterio e di volontario abbandono, e per causa di eccessi, sevizie minaccie e ingiurie gravi. Non è ammessa l' azione di separazione per l' adulterio del marito, se non quando egli mantenga la concubina in casa o notoriamente in altro luogo, oppure concorrano circostanze tali che il fatto costituisca una ingiuria grave alla moglie. — La separazione si può eziandio domandare contro il coniuge che sia stato condamnato ad una pena criminale, tranne il caso che la sentenza sia anteriore al matrimonio e l'altro conjuge ne fosse consapevole. — La moglie può chiedere la separazione quando il marito, senza alcun giusto motivo, non fissi una residenza, od avendone i mezzi, ricusi di fissarla in modo conveniente alla sua condizione" [1].

(b) "La reconciliazione estingue il diritto di chiedere la separazione; essa induce pure l' abbandono della domanda che fosse stata proposta" [2].

Nullum hucusque permittitur divortium plenum.

V. Præcipuæ leges civiles de Matrimonio in Germania [3].

N. B. "§ 1588. Die kirchlichen Verpflichtungen in Ansehung der Ehe werden durch die Vorschriften dieses Abschnittes nichtberührt".

1137. 1° **De Sponsalibus.** "§ 1297. Aus einem Verlöbnisse kann nicht auf Eingehung der Ehe geklagt werden. Das Versprechen einer Strafe für den Fall, dass die Eingehung der Ehe unterbleibt ist nichtig".

1138. 2° **De impedimentis matrimonii.** (A) *Impedimenta dirimentia.* (a) *Defectus solemnitatis :* "§ 1324. Eine Ehe ist nichtig, wenn bei der Eheschliessung die im § 1317 vorgeschriebene Form nicht beobachtet worden ist. Ist die Ehe in das Heirathsregister eingetragen worden und haben die Ehegatten nach der Eheschliessung zehn Jahre oder falls einer von ihnen vorhergestorben ist, bis zu dessen Tode, jedoch mindestens drei Jahre, als Ehegatten miteinander gelebt, so ist die Ehe als von Anfang an gültig anzusehen. Diese Vorschrift findet keine Anwendung, wenn bei dem Ablaufe der zehn Jahre oder zur Zeit des Todes des einen Ehegatten die Nichtigkeitsklage erhoben ist".

---

[1] Art. 150-152. — [2] Art. 153.

[3] Summarium novæ legis civilis de rebus matrimonialibus, in Germania vigentis, legere est ap. **Pelt,** *Canoniste,* XXIII, 1900, p. 321-331.

(b) *Defectus habilitatis.* "§ 1325. Eine Ehe ist nichtig, wenn einer der Ehegatten zur Zeit der Eheschliessung geschäftsunfähig war oder sich im Zustande der Bewusstlosigkeit oder vorübergehender Störung der Geistesthätighet befand. — Die Ehe ist als von Anfang an gültig anzusehen, wenn der Ehegatte sie nach dem Wegfalle der Geschäftsunfähigkeit, der Bewusstlosigkeit oder der Störung der Geistesfähigkeit bestätigt, bevor sie für nichtig erklärt oder aufgelöst worden ist. Die Bestatigung bedarf nicht der fur die Eheschliessung vorgeschriebenen Form".

(c) *Ligamen:* "§ 1326. Eine Ehe ist nichtig, wenn einer der Ehegatten zur Zeit der Eheschliessung mit einem Dritten in einer gültigen Ehe lebte".

(d) *Consanguinitas et affinitas:* "§ 1327. Eine Ehe ist nichtig, wenn sie zwischen Verwandten oder Verschwägerten dem Verbote des § 1310 Abs. 1 zuwider geschlossen worden ist".

(e) *Crimen:* "§ 1328. Eine Ehe ist nichtig, wenn sie wegen Ehebruchs nach § 1312 verboten war. Wird nachträglich Befreiung von der Vorschrift des § 1312 bewilligt, so ist die Ehe als von Anfang an gültig anzusehen".

(f) *Defectus ætatis:* "§ 1331. Eine Ehe kann von dem Ehegatten angefochten werden, der zur Zeit der Eheschliessung oder im Falle des § 1325 zur Zeit der Bestätigung in der Geschäftsfähigkeit beschränkt war, wenn die Eheschliessung oder die Bestätigung ohne Einwilligung seines gesetzlichen Vertreters erfolgt ist".

(g) *Error* et *dolus:* "§ 1332. Eine Ehe kann von dem Ehegatten angefochten, werden, der bei der Eheschliessung nicht gewusst hat, dass es sich um eine Eheschliessung handle, oder dies zwar gewusst hat, aber eine Erklärung, die Ehe eingehen zu wollen, nicht hat abgeben wollen. — § 1333. Eine Ehe kann von dem Ehegatten angefochten werden, der sich bei der Eheschliessung in der Person des anderen Ehegatten oder über solche persönliche Eigenschaften des anderen Ehegatten geirrt hat, die ihn bei Kenntniss der Sachlage und bei verständiger Würdigung des Wesens der Ehe von der Eingehung der Ehe abgehalten haben würden. — § 1334. Eine Ehe kann von dem Ehegatten angefochten werden, der zur Eingehung der Ehe durch arglistige Täuschung über solche Umstände bestimmt worden ist, die ihn bei der Kenntniss der Sachlage und bei verständiger Würdigung des Wesens der Ehe, von der Eingehung der Ehe abgehalten haben würden. Ist die Täuschung nicht von dem anderen Ehegatten verübt worden, so ist die Ehe nur dann anfechtbar, wenn dieser die Täuschung bei der Eheschliessung gekannt hat. Auf Grund einer Täuschung über Vermögensverhältnisse findet die Anfechtung nicht statt".

(h) *Metus :* " § 1335. Eine Ehe kann von dem Ehegatten angefochten werden, der zur Eingehung der Ehe widerrechtlich durch Drohung bestimmt worden ist ".

N. B. " § 1343. Wird eine anfechtbare Ehe angefochten, so ist sie als von Anfang an nichtig anzusehen.

Die Nichtigkeit einer anfechtbaren Ehe, die im Wege der Klage angefochten worden ist, kann, solange nicht die Ehe für nichtig erklärt oder aufgelöst ist, nicht anderweit geltend gemacht werden ".

1139. (B) *Impedimenta impedientia.* (a) *Defectus ætatis :* " § 1303. Ein Mann darf nicht vor dem Eintritte der Volljährigkeit, ein Frau darf nicht vor der Vollendung des 16ten Lebensjahres, eine Ehe eingehen. — Einer Frau kann Befreiung von dieser Vorschrift bewilligt werden ".

(b) *Defectus consensus parentum :* § 1305. Ein eheliches Kind bedarf bis zur Vollendung des einundzwanzigsten Lebensjahres zur Eingehung einer Ehe der Einwilligung des Vaters, ein uneheliches Kind bedarf bis zum gleichen Lebensalter der Einwilligung der Mutter. An die Stelle des Vaters tritt die Mutter, wenn der Vater gestorben ist oder wenn ihm die sich aus der Vaterschaft ergebenden Rechte nach § 1701 nicht zustehen. Ein für ehelich erklärtes Kind bedarf der Einwilligung der Mutter auch dann nicht, wenner der Vater gestorben ist. — Dem Tode des Vaters oder der Mutter steht es gleich wenn sie zur Abgabe einer Erklärung dauernd ausser Stande sind oder wenn ihr Aufenthalt dauernd unbekannt sist ".

(c) *Affinitas et consanguinitas illicitæ :* " § 1310, 2°. Eine Ehe darf nicht geschlossen werden zwischen Personen, von denen die eine mit Eltern, Voreltern oder Abkömmlingen der anderen Geschlechtsgemeinschaft gepflogen hat.

§ 1310, 3°. Verwandtschaft im Sinne dieser Vorschriften besteht auch zwischen einem unehelichen Kinde und dessen Abkömmlingen einerseits und dem Vater und dessen Verwandten andererseits ".

(d) *Cognatio legalis :* " § 1311. Wer einen Anderen an Kindesstatt angenommen hat, darf mit ihm oder dessen Abkömmlingen eine Ehe nicht eingehen, solange das durch die Annahme begründete Rechtsverhältniss besteht ".

(e) *Quædam specialia quoad viduas, minores, milites, banna :* " § 1313. Eine Frau darf erst zehn Monate nach der Auflosung oder Nichtigkeitserklärung ihrer fruheren Ehe eine neue Ehe eingehen, es sei denn, dass sie inzwischen geboren hat. Von dieser Vorschrift kann Befreiung bewilligt werden.

§ 1314. Wer ein eheliches Kind hat, das minderjährig ist oder unter seiner Vormundschaft steht, darf eine Ehe erst eingehen, nachdem ihm das Vormundschaftsgericht ein Zeugniss darüber ertheilt hat, dass er die im § 1669 bezeichneten Verpflichtungen erfüllt hat oder dass sie ihm nicht obliegen. — Ist im Falle der fortgesetzten Gütergemeinschaft ein antheilsberechtigter Abkömmling minderjährig oder bevormundel, so darf der überlebende Ehegatte eine Ehe erst eingehen nachdem ihm das Vormundschafsgericht ein Zeugniss darüber ertheilt hat, dass er die in § 1493 Abs. 2 bezeichneten Verpflichtungen erfüllt hat oder dass sie ihm nicht obliegen.

§ 1315. Militärpersonen oder solche Landesbeamte, für die nach den Landesgesetzen zur Eingehung einer Ehe eine besondere Erlaubniss erforderlich ist, dürfen nicht ohne die vorgeschriebene Erlaubniss eine Ehe eingehen.

Ausländer, für die nach den Landesgesetzen zur Eingehung einer Ehe eine Erlaubniss oder ein Zeugniss erforderlich ist, dürfen nicht ohne diese Erlaubniss oder ohne dieses Zeugniss eine Ehe eingehen.

§ 1316. Der Eheschliessung soll ein Aufgebot vorhergehen. Das Aufgebot verliert seine Kraft, wenn die Ehe nicht binnen sechs Monaten nach der Vollziehung des Aufgebotes geschlossen wird.

Das Aufgebot darf unterbleiben, wenn die lebensgefährliche Erkrankung eines der Verlobten den Aufschub der Eheschliessung nicht gestattet.

Von dem Aufgebote kann Befreiung bewilligt werden".

1140. 3° **De divortio.** (a) Adulterium, bigamia et peccatum impuritatis contra naturam sunt sufficiens causa divortii, dummodo tamen alter conjux his criminibus non consenserit vel cooperatus fuerit: "§ 1565. Ein Ehegatte kann auf Sheidung klagen, wenn der andere Ehegatte sich des Ehebruchs, oder einer nach den §§ 171, 175 des Strafgesetzbuches strafbaren Handlung schuldig macht.

Das Recht des Ehegatten auf Scheidung ist ausgeschlossen, wenn er dem Ehebruch oder der strafbaren Handlung zustimmt, oder sich der Teilnahme schuldig macht".

(b) "§ 1566. Ein Ehegatte kann auf Scheidung klagen, wenn der andere Ehegatte ihm nach dem Leben trachtet".

(c) "§ 1567. Ein Ehegatte kann auf Scheidung klagen, wenn der andere Ehegatte ihn böslich verlassen hat. Bösliche Verlassung liegt nur vor: 1° Wenn ein Ehegatte, nachdem er zur Herstellung der häuslichen Gemeinschaft rechtskräftig verurtheilt worden ist, ein Jahr lang gegen den Willen des anderen Ehegatten in böslicher Absicht dem Urtheile nicht Folge geleistet hat;

2° Wenn ein Ehegatte sich ein Jahr lang gegen den Willen des anderen Ehegatten in böslicher Absicht von der häuslichen Gemeinschaft fern gehalten hat und die Voraussetzungen für die öffentliche Zustellung seit Jahresfrist gegen ihn bestanden haben. — Die Scheidung ist im Falle des Abs. 2 N° 2 unzulässig, wenn die Voraussetzungen für die öffentliche Zustellung am Schlusse der mundlichen Verhandlung, auf die das Urtheil ergeht, nicht mehr bestehen".

(d) "§ 1568. Ein Ehegatte kann auf Scheidung klagen wenn der andere Ehegatte durch schwere Verletzung der durch die Ehe begründeten Pflichten oder durch ehrloses oder unsittliches Verhalten eine so tiefe Zerrüttung des ehelichen Verhältnisses verschuldet hat, dass dem Ehegatten die Forsetzung der Ehe nicht zugemuthet werden kann. Als schwere Verletzung der Pflichten gilt auch grobe Misshandlung".

(e) "§ 1569. Ein Ehegatte kann auf Scheidung klagen, wenn der andere Ehegatte in Geiteskrankheit verfallen ist, die Krankheit während der Ehe mindestens drei Jahre gedauert und einen solchen Grad erreicht hat, dass die geistige Gemeinschaft zwischen den Ehegatten aufgehoben, auch jede Aussicht auf Wiederherstellung dieser Gemeinschaft ausgeschlossen ist.

N. B. "§ 1570. Das Recht auf Scheidung erlischt in den Fällen der § 1565 bis 1568 durch Verzeihung".

"§ 1571. Die Scheidungsklage muss in den Fällen des § 1565 bis 1568 binnen sechs Monaten von dem Zeitpunkt an erhoben werden, in dem der Ehegatte von dem Scheidungsgrunde Kenntniss erlangt. Die Klage ist ausgeschlossen, wenn seit dem Eintritte des Scheidungsgrundes zehn Jahre verstrichen sind. Die Frist läuft nicht, solange die häusliche Gemeinschaft der Ehegatten aufgehoben ist. Wird der zur Klage berechtigte Ehegatte von den anderen Ehegatten aufgefordert, entweder die häusliche Gemeinschaft herzustellen oder die Klage zu erheben, so läuft die Frist von dem Empfange der Aufforderung an. Der Erhebung der Klage steht die Ladung zum Sühnetermine gleich. Die Ladung verliert ihre Wirkung, wenn der zur Klage berechtigte Ehegatte im Sühnetermine nicht erscheint oder wenn drei Monate nach der Beendigung des Sühneverfahrens verstrichen sind und nicht vorher die Klage erhoben worden ist. Auf den Lauf der sechsmonatigen und der dreimonatigen Frist finden die für die Verjährung geltenden Vorschriften der §§ 203, 206 entsprechende Anwendung".

1141. 4° De separatione quoad torum et habitationem. "§ 1575, 1° Der Ehegatte der auf Scheidung zu klagen berechtigt

ist, kann statt aut Scheidung auf Aufhebung der ehelichen Gemeinschaft klagen. Beantragt der andere Ehegatte, dass die Ehe, falls die Klage begründet ist, geschieden wird, so ist auf Scheidung zu erkennen.

§ 1586. Wird nach 1575 die eheliche Gemeinschaft aufgehoben, so treten die mit der Scheidung verbundenen Wirkungen ein, die Eingehung einer neuen Ehe ist jedoch ausgeschlossen. Die Vorschriften über die Nichtigkeit und Anfechtbarkeit der Ehe finden Anwendung, wie wenn das Urtheil nicht ergangen wäre.

"§ 1575, 2° Für die Klage auf Aufhelbung der ehelichen Gemeinschaft gelten die Vorschriften der §§ 1573-1574. — § 1576. Ist auf Aufhebung der ehelichen Gemeinschaft erkannt, so kann jeder der Ehegatten auf Grund des Urtheils die Scheidung beantragen, es sei denn, das nach der Erlassung des Urtheils die eheliche Gemeinschaft wiederhergestellt worden ist. Die Vorschriften der § 1570 bis 1574 finden keine Anwendung; wird die Ehe geschieden, so ist der für schuldig erklärte Ehegatte auch im Scheidungsurtheile für schuldig zu erklären".

1142. Juris civilis expositionem et Tractatum *de Matrimonio* concludimus his *Leonis XIII* verbis[1] : "Quæ cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiæ adjumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiæ, et in falsam atque iniquam violati juris civilis insimulationem".

[1] Encycl. *Arcanum*.

DE ORDINE[1]

1143. Ad complenda quæ diximus in tractatu dogmatico *De Ordine*, exponendæ manent, servato *Codicis* ordine, practicæ quæstiones : I de *ministro;* II de *subjecto* ordinationis; III de *ipsa ordinatione.*

De *Ministro* { quoad validitatem. / quoad liceitatem.

De *subjecto* {
- Principia { quoad validitatem. / quoad liceitatem.
- Vocatio ad statum clericalem.
- Requisita in subjecto rite vocato.
- Irregularitates et impedimenta.

De ipsa *ordinatione* {
- De iis quæ præcedunt
- De iis quæ comitantur
- De iis quæ sequuntur

} ordinationem.

Scholion : De pœnis contra violatores legum de ordinatione.

CAPUT I.

DE MINISTRO SACRÆ ORDINATIONIS.

Cum quis *valide*, sed *illicite* ordinare possit, agendum est de requisitis ex parte ministri ad *validitatem* et *liceitatem* ordinationis.

Art. I. De Ministro validæ ordinationis.

1144. Minister *validæ* ordinationis est vel *ordinarius*, i. e., jure *divino* deputatus, potestate qua vi ordinationis

---

[1] **Card. Gasparri,** *Tr. can. de Sacra ordinatione*, 1895; **S. Many,** *Prælect. de Sacra ordinatione*, 1905; *Commentatores Codicis*, inter quos : **Blat,** 1920; **Vermeersch-Creusen,** *Epitome*, t. II; **Cappello,** *De sacra ordinatione*, 1935; *Theologi recentiores :* **Genicot-Salsmans,** *Institutiones theol.*, 1922; **Marc-Gestermann,** *Instit. morales*, 1920; **Noldin,** *De Sacramentis*, 1920.

Christo sacerdoti in æternum conformatur, *vel extraordinarius*, i. e., carens prædicta potestate et tanquam *per exceptionem* deputatus.

1145. 1° **Minister ordinarius.** "*Sacræ ordinationis minister ordinarius est episcopus consecratus*" [1] : qua consecratione constituitur in gradu quo "est presbyteris superior, habens potestatem confirmandi et ordinandi, quam illi non esse cum presbyteris communem" dogmatice definivit *Tridentinum* [2]. Quapropter, cum hæc potestas ex divina ordinatione per consecrationem derivetur, sequitur hanc contineri sub sacramento ordinis quatenus characterem indelebilem imprimit, ac proinde valide exerceri posse ab omni episcopo rite consecrato, nonobstantibus excommunicatione, suspensione, interdicto, irregularitate, degradatione, imo hæresi aut infidelitate; unde nunquam fuerunt irritæ ordinationes ab hæreticis aut schismaticis factæ, dummodo servata fuerint servanda, i. e., ritus ad validitatem requisiti et intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia [3].

1146. 2° **Minister extraordinarius.** Ille est minister sacræ ordinationis extraordinarius "qui, licet charactere episcopali careat, a jure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi" [4].

Jamvero *aliqui ordines* pro quibus conferendis dari potest potestas extraordinaria ministro charactere episcopali carenti sunt ordines *minores* et *subdiaconatus:* disputatur autem num presbyter habilis reddi possit ad conferendum *diaconatum* [5].

---

[1] *Codex*, c. 951.

[2] Sess. XXIII, can. 7, **D. B.**, 967.

[3] De *fide est* valere ordinationem a ministro *impio*, sed *catholico*, collatam, ob definitionem *Tridentini :* "Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, a. s." De validitate autem ordinationis a ministro hæretico aut schismatico collatæ, non licet catholico dubitare, *in præsenti Ecclesiæ disciplina ;* utrum autem illæ ordinationes semper ut validæ habitæ fuerint, quæstio inter eruditos agitatur. Cfr. **Gasparri**, II, n. 776-780; **Many**, n. 18-26; **L. Saltet**, *Les réordinations*, (1907). — [4] *Codex*, c. 951.

[5] De hac quæstione cf. **Gasparri**, *op. cit.*, n. 798-799; **Many**, *op. cit.*, n. 59, qui tenet Romanis Pontificibus probabilius competere jus delegandi pres-

De facto, *jure communi*, potestas conferendi *tonsuram et minores ordines* conceditur : 1) *Vicariis ac Præfectis Apostolicis, Abbatibus vel Prælatis nullius*, dummodo fiat ordinatio in *proprio territorio, durante munere*, pro subditis propriis aut aliis litteras dimissorias exhibentibus; secus ordinatio irrita esset [1]; 2) *Abbatibus regularibus de regimine*, dummodo ipsi sint presbyteri et benedictionem abbatialem legitime acceperint, et promovendus sit subditus vi professionis saltem simplicis, secus ordinationes essent irritæ [2]; 3) *Cardinalibus* dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras, sine quibus invalida esset ordinum collatio [3].

Art. II. De Ministro licitæ Ordinationis.

I. Normæ generales de ministro licitæ ordinationis.

1147. 1° *Summus Pontifex*, cum sit proprius totius Ecclesiæ episcopus, non solum valide, sed etiam licite potest ordines conferre ubique terrarum, sive *per se* sive *per delegatum*. Sed "nemini licet ordinatum a Romano Pontifice ad altiorem ordinem promovere sine Sedis Apostolicæ facultate" [4].

2° "*Consecratio episcopalis* reservatur Romano Pontifici ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato [5]. Episcopus consecrator debet alios duos Episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit" [6].

3° "Unusquisque *a proprio Episcopo* ordinetur aut cum legitimis ejusdem *litteris dimissoriis* [7]. Episcopus proprius, justa causa non impeditus, per se suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest" [8].

---

byteros ad conferendum diaconatum; præcipua autem ratio desumitur ex Bulla *Exposcit* qua *Innocentius VIII*, 5ª idus april. 1489, abbati generali Cisterciensium pro omnibus monachis sui ordinis, et quatuor primariis ejus abbatibus pro religiosis suorum monasteriorum concessisset potestatem conferendi subdiaconatum *et diaconatum*. — Cf. **Tixeront**, *L'Ordre et les Ordinations*, 1925, pp. 191-196. — Ampliores etiam facultates forsan fuisse *Bonifacio IX* concessas constare videtur ex Bulla recenter inventa hujus Pontificis; cfr. *N. R. T.*, juin 1924, 332 sq.

[1] *Codex*, c. 957, § 2. — [2] *Codex*, c. 964, 1°. — [3] *Codex*, c. 239, 22°.

[4] *Codex*, c. 952. — [5] *Codex*, c. 953.

[6] *Codex*, c. 954. — [7] *Codex*, c. 955, § 1. — [8] *Codex*, c. 955, § 2.

II. De proprio Episcopo pro sæcularibus ordinandis.

1148. 1° " Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem sæcularium, est tantum Episcopus diœcesis in qua promovendus habeat *domicilium* una *cum origine* aut simplex *domicilium sine origine;* sed in hoc altero casu promovendus debet animum in diœcesi perpetuo manendi jurejurando firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui diœcesi per primam tonsuram jam incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alius diœcesis destinatur ad normam can. 969, § 2, vel de promovendo religioso professo, de quo in c. 964, n. 4 "[1].

1149. (a) Hinc *beneficium* et *familiaritas*[2] jam non sufficiunt, sicut in jure veteri, ut quis obtineat proprium Episcopum a quo ordinationem accipiat; sed semper requiritur *domicilium canonicum* in diœcesi[3], *conjunctum cum origine*[4], vel cum jurejurando, vel cum incardinatione jam obtenta per primam tonsuram, vel cum destinatione ordinandi servitio alius diœcesis, prius obtenta legitima excardinatione et incardinatione; cum vero requiratur tantum *simplex* domicilium, non amplius exiguntur determinationes quæ antea ex Constit. *Speculatores* Innocentii XII (1694) erant necessariæ ad constituendum domicilium *qualificatum*[5].

---

[1] *Codex*, c. 956.

[2] Ex jure veteri, ratione beneficii, ille fiebat alicujus Episcopi subditus qui in hujus diœcesi jam pacifice possidebat beneficium ecclesiasticum quod, detractis oneribus, ad congruam ejus sustentationem sufficiebat, independenter a patrimonio, aliisque opibus; ratione autem familiaritatis, Episcopus proprius ille dicebatur qui, per integrum et completum triennium, aliquem ordinandum in suo actuali servitio secum retinuerat, ac suis sumptibus aluerat, dummodo infra terminum unius mensis a die ordinationis, eidem conferret beneficium ad ejus sustentationem *per se* sufficiens. — Hoc privilegio gaudebant Episcopi clerum et populum habentes, non vero *titulares*. Triennium de quo agitur incipere poterat ante adeptum Episcopatum. Episcopus familiarem suum ordinare poterat etiam titulo patrimonii, vel pensionis, si judicasset id expedire necessitati vel utilitati suæ Ecclesiæ.

[3] Ex c. 92, " domicilium acquiritur commoratione in aliqua parœcia aut quasi parœcia, aut saltem in diœcesi, vicariatu apostolico, præfectura apostolica; quæ commoratio vel conjuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum ".

[4] Juxta c. 90, " locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater, vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater. — Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus : si de exposito, est locus in quo inventus fuerit ".

[5] Ex jure veteri, acquirebatur domicilium plenum seu qualificatum in diœcesi

(b) Proinde si quis nullibi domicilium habeat, nequit ordines recipere, nisi prius domicilium acquisierit. Quia vero minor necessario retinet domicilium illius cujus potestate subjicitur, si parentes vel tutores canonico domicilio carent, etiam primam tonsuram recipere nequit usquedum major factus domicilium in aliqua diœcesi sibi acquisierit.

(c) Alumnus autem qui, *relicto domicilio*, in aliena diœcesi studia peragit pro servitio tertiæ cujusdam diœcesis, ut haud raro fit in seminariis pro missionibus exteris aut dissitis regionibus, non potest licite ordinari sine indulto apostolico, quia nullibi domicilium habet.

1150. 2° *Episcopo diœcesano æquiparantur*, quod pertinet ad ordinationem, *Vicarius* ac *Præfectus Apostolicus*, *Abbas* vel *Prælatus nullius*, si charactere *episcopali* polleant; si vero episcopali charactere careant, possunt nihilominus, in proprio territorio et durante tantum munere, conferre primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis sæcularibus ad normam c. 956, tum aliis qui litteras dimissorias jure requisitas exhibeant; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est [1].

III. De litteriis dimissoriis.

1151. 1° **Notio.** Dimissoriæ dicuntur litteræ quibus Episcopus vel Superior competens subditum suum mittit ad alienum Episcopum ut ab hoc ordinetur, testimoniis simul exhibitis de promovendi qualitatibus.

1152. 2° **Auctores.** "Litteras dimissorias pro sæcularibus dare possunt, quamdiu jurisdictionem in territorio retinent: 1) *Episcopus proprius*, postquam possessionem suæ diœcesis legitime ceperit ad normam c. 334, § 3, licet nondum consecratus; 2) *Vicarius generalis*, ex *speciali* tamen Episcopi mandato; 3) de Capituli consensu *Vicarius Capitularis* post annum a Sede vacante; infra annum vero solis

(a) per continuam commorationem decem annorum, cum intentione ibi perpetuo manendi juramento firmata, quæ tamen habitatio non censetur interrupta si quis per breve tempus alibi commoratur, dummodo animum redeundi habuerit; (b) transferendo majorem bonorum suorum partem in aliquam diœcesim, ibique per notabile tempus habitando cum intentione manendi juramento firmata. — Juramentum emittebatur ab ipso ordinando, si sui juris erat; secus, a patre ordinandi. — [1] *Codex*, c. 957

arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicujus officii, cui propter necessitatem diœcesis sine dilatione sit providendum; 4) *Vicarius* ac *Præfectus Apostolicus*, *Abbas* vel *Prælatus nullius*, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines majores"[1]. Sed "Vicarius Capitularis litteras dimissorias ne concedat iis qui ab Episcopo rejecti fuerint"[2].

1153. 3° **Potestas dimittentis.** "Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse si necessariam ordinis potestatem habeat"[3].

1154. 4° **Testimonia prærequisita.** — "Litteræ dimissoriæ ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis quæ jure exiguntur ad normam can. 993-1000"[4], de quibus infra agitur, n. 1174 sq.

Si post datas ab Ordinario litteras dimissorias nova testimonia necessaria sint ad normam c. 994, § 3 (quia post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus in eodem territorio moratus est tribus aut sex mensibus), Episcopus alienus ne ordinet, antequam eadem receperit[5]. — Quod si promovendus tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum, ad normam can. 994, transegerit in ipsa diœcesi Episcopi ordinantis, hic testimonia directe colligat[6]

1155. 5° **Missio litterarum dimissoriarum.** "Litteræ dimissoriæ mitti possunt ab Episcopo proprio, etiam Cardinali Episcopo suburbicario, ad quemlibet Episcopum, communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi"[7].

1156. 6° **Genuinitas litterarum agnoscenda.** "Quilibet Episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, alienum subditum licite ordinat, dummodo ipse de germana litterarum fide dubitare nullatenus possit, salvo præscripto can. 994, § 3"[8].

1157. 7° **Vigor litterarum dimissoriarum.** "Litteræ dimissoriæ possunt ab ipso concedente vel ab ejus successore limitari aut revocari, sed semel concessæ non extinguuntur resoluto jure dantis"[9].

---

[1] *Codex*, c. 958, § 1. — [2] *Codex*, c. 958, § 2.
[3] Can. 959. — [4] *Codex*, c. 960, § 1.
[5] *Codex*, c. 960, § 2. — [6] *Codex*, c. 960, § 3. — [7] *Codex*, c. 961.
[8] *Codex*, c. 962. — [9] *Codex*, c. 963.

Quoad *formam* litterarum dimissoriarum, hæc sunt tenenda : Non sufficit consensus episcopi proprii *præsumptus* aut *tacitus*, sed requiritur *expressus*, quamvis non necessario exigatur scriptura; nec in genere requiritur ut designetur unus certus et determinatus episcopus; nec, si designatus fuerit unus episcopus determinatus, necessario requiritur ut hic faciat ordinationem, sed, si dimissoriæ concessæ sint *in gratiam ordinandi* (ut plerumque fit), dimissus potest ordinari ab alio episcopo qui tempore opportuno faciat ordinationem, quia substantia gratiæ est licentia recipiendi ordinationem [1].

Continere autem *debent* claris verbis licentiam ordinandi vel recipiendi ordinationem, ac continere *solent* varias clausulas de dispensatione in interstitiis, ætate, ac de testimoniis præhabitis, etc.; aliunde variæ restrictiones apponi possunt ita ut litteræ non valeant nisi adimpletis conditionibus expressis.

---

[1] **Many**, n. 63. — Hanc formulam litterarum dimissoriarum tradit **J. P. Mothon**, O. P., *Institutions Canoniques*, III (1924), pp. 296-298.

Nos N. N., gratia Dei et auctoritate Apostolicæ Sedis Episcopus N.,
Dilecto in Christo N. N. salutem et in Domino benedictionem.

1) Cum tuum propositum suscipiendi primam tonsuram (*vel :* ordinem....) Nobis formaliter et expresse aperueris, ac cæterum ea ratione quod — *indicatio ordinis recipiendi* — ,.. in diœcesi tuæ incardinationis commode ordinari nequeas;

2) Nos plane conscii quod tuum servitium Nostræ diœcesi (*vel :* diœcesi N.) in futurum erit perutile; 3) quod sufficienti et canonica ætate ad prædictum ordinem recipiendum polles; 4) quod hactenus es commoratus in seminario N., cujus rector de bonis tuis moribus testimonium, juxta canones, Nobis jam transmisit, ad effectum tuæ ordinationis; 5) canonico de annis cursus theologiæ, ad tramitem juris, documento Nobis exhibito; 6) examine de studiis coram..... feliciter peracto (*vel :* coram..... peragendo); 7) canonica lege interstitiorum te servata;

8) (*pro prima tonsura*) testimonio accepti baptismatis et confirmationis susceptæ jam producto — (*pro ordinibus*), testimonio ultimæ tuæ ordinationis jam producto; 9) (*si agatur de ordine subdiaconatus*) cum titulo canonico..... fruaris Nobis recognito;

Post professionem fidei (et jusjurandum contra errores modernistarum) regulariter emissam; 10) publicationibus de tua futura ordinatione in ecclesia S... loci N... regulariter factis; 11) postquam spiritualibus exercitiis per tempus jure præscriptum vacavisti;

Cum sic igitur tua persona, nulla irregularitate, nullo quoque impedimento Nobis cognitis detenta, qualitatibus insuper ad normam sacrorum canonum requisitis prædita Nostro judicio existimetur, datis etiam testimonialibus litteris Ordinariorum locorum, ubi tam diu moratus es ut canonicum impedimentum contrahere potueris;

Ut ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N. N. Episcopo N. ordinem..... recipere possis et valeas, tibi auctoritate Nostra ordinaria, virtute præsentium, licentiam concedimus et facultatem impertimur; reverenter rogantes

IV. De ministro licitæ ordinationis pro religiosis.

1158. 1° Potestas Abbatum Regularium. "Quod attinet ad ordinationem religiosorum, Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio nullius, potest conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat" [1].

1159. 2° Litteræ dimissoriæ (a) dari debent a proprio Superiore majori pro religiosis *exemptis* qui vota solemnia perpetua emiserunt, nec dari possunt nisi ad primam tonsuram et ordines minores religiosis *exemptis* qui vota tantum temporaria emiserunt [2], et tradi nequeunt ceteris omnibus alumnis cujusvis religionis quorum ordinatio regitur jure sæcularium [3]; (b) mitti debent ad Episcopum diœcesis, in qua sita est domus religiosa, ad cujus familiam pertinet ordinandus [4], nisi Episcopus diœcesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2 (i. e., sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto), aut diœcesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat [5]; quæ variæ exceptiones in singulis casibus episcopo ordinaturo constare debent ex authentico Curiæ episcopalis testimonio [6].

Tandem "caveant Superiores religiosi ne in fraudem episcopi diœcesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes" [7].

---

prædictum Illustrissimum et Reverendissimum in Christo Patrem, ut ordinem ut supra tibi conferre dignetur.

Datum N., sub signo et sigillo Nostris et subscriptione Nostri cancellarii, die..... mensis..... anni.....

Quæ tamen formula, nimis forsan intricata, in multis casibus multo brevior esse potest.

[1] *Codex*, c. 964, 1°. — [2] *Codex*, c. 964, 2°, 3°.

[3] *Codex*, c. 964, 4°. "Ordinatio cæterorum omnium alumnorum cujusvis religionis regitur jure sæcularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines majores".

[4] *Codex*, c. 965. — [5] *Codex*, c. 966, § 1. — [6] *Codex*, c. 966, § 2.

[7] *Codex*, c. 967.

CAPUT II.

DE SUBJECTO SACRÆ ORDINATIONIS.

Declaratis conditionibus ex parte subjecti requisitis ut *valide* recipiatur ordinatio, dicemus præsertim de conditionibus *licitæ* ordinationis, nempe de *vocatione ad statum clericalem*, *de requisitis in subjecto rite vocato*, de *irregularitatibus* et *impedimentis*.

Art. I. Principia de requisitis in subjecto sacræ ordinationis.

1160. Ex *Codice*, c. 968, § 1, "sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus; licite autem, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, judicio proprii Ordinarii, præditus sit, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento".

1° Ad **valide** suscipiendos ordines requiritur ergo ut quis sit : (**a**) *masculini sexus*, cum mulieres semper in Ecclesia a sacris ordinibus prohibitæ fuerint [1]; (**b**) *baptizatus*, cum baptismus sit janua omnium sacramentorum; (**c**) ut in *adultis* sit intentio seu voluntas habitualis expressa recipiendi ordines, i. e., quæ actualis fuit et non est revocata.

Nec videtur sufficere consensus ordinandi in ritum externum, sed etiam requiritur, juxta communissimam et probabiliorem sententiam [2], ut *interne* consentiat, ita ut, si acceptet quidem ritum externum, intra se autem dicat : Nolo recipere ordinem, irrita sit prorsus ordinatio.

---

[1] De mulierum capacitate quoad ordinationes recipiendas hæc tradit **S. Many**, n. 75 : "1° Mulieres, *jure divino*, incapaces sunt presbyteratus, et hæc propositio videtur esse de fide; 2° Mulieres, *eodem jure divino*, incapaces sunt *veri* diaconatus a Christo instituti...; 3° Quoad ordines inferiores *aut aliquem diaconatum* (seu ministerium) *improprie dictum*, non videtur femina radicaliter incapax esse ad hos suscipiendos" quia probabilius ordines inferiores sunt institutionis ecclesiasticæ; sed "Ecclesia nunc et a multis jam sæculis arcere solet feminas a quolibet ministerio rituum et sacramentalium, sicut arcuit eas Christus a quolibet ministerio sacrificii et sacramentorum". Hinc *diaconissæ* constanter repulsæ sunt a vero ministerio altaris.

[2] Juxta **C. Gasparri**, *op. cit.*, I, 644, sufficere videtur consensus in applicationem ritus sacri, quia sacramentum operatur *ex opere operato;* sed plerique auctores contrariam tenent sententiam, cui favent responsa *S. Offic.*, 2 mart. 1842 (*Coll. P. F.*, I, 946), 28 nov. 1900 (*Coll. P. F.*, II, n. 2096).

1161. Hinc *valide* ordinantur *infantes, perpetuo amentes* et qui *metu gravi coacti sunt.* Clericus vero "qui, metu gravi coactus, ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subjicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia judicis redigatur, sine ullis cælibatus ac horarum canonicarum obligationibus. Coactio autem et defectus ratihabitionis probari debent ad normam cc. 1993-1998"[1]. Infans autem ordinatus nulla obligatione tenetur, nisi ordinationem suam plene sui compos ratam habuerit post pubertatem, imo, si agatur de ordine sacro, post annum vigesimum primum[2].

1162. 2° Ad **licitam** vero susceptionem ordinum, multæ requiruntur conditiones ex parte subjecti : 1° *vocatio divina et canonica;* 2° *status gratiæ;* 3° *necessitas vel utilitas pro Ecclesia;* 4° *animus ascendendi ad presbyteratum;* 5° *recepta confirmatio;* 6° *mores ordini recipiendo congruentes;* 7° *ætas canonica;* 8° *debita scientia;* 9° *ordinum inferiorum susceptio;* 10° *interstitiorum observatio;* 11° *titulus canonicus* si agatur de ordinibus *majoribus;* 12° *immunitas ab irregularitate aliove impedimento :* de quibus infra.

1163. Notanda. 1) "Proprius Episcopus vel Superior religiosus major potest suis clericis, ex quavis *canonica* causa, occulta quoque, etiam extrajudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo jure recursus ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis"[3].

2) "Nefas est quemquam, quovis modo, ob quam libet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere"[4].

---

[1] *Codex*, c. 214.

[2] Ita, juxta **Maroto**, *Instit. Juris Can.*, 1921, I, n. 736, qui idem tenet de eo qui post usum rationis, sed ante pubertatem ordinem sacrum recepit, imo de eo qui *bona fide* ordinem sacrum ante ætatem canonicam recepit.

Ratio est quia **Benedictus XIV** (Instr. *Eo quamvis*, 1 maii 1745, § 28), casum solvens de Coptis, qui infantibus diaconatum conferebant, jussit ut sic ordinati post completos 16 annos de eorum intentione interrogarentur, quia hac ætate professio religiosa irrevocabilis fieri poterat. Cum vero hodie ex Codice ætas 21 annorum requiratur ad perpetuam professionem, dicendum videtur optionem de statu clericali differendam esse ad eam ætatem, quæ aliunde pro recipiendo subdiaconatu exigitur.

[3] *Codex*, c. 970. — [4] *Codex*, c. 971.

3) "Episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de ejus canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis"[1].

Art. II. De vocatione ad statum clericalem[2].

1164. 1° **Ejus notio et necessitas.** (A) Vocatio sacerdotalis spectari potest ex parte Dei, et ex parte Ecclesiæ. — Ex parte Dei definiri potest : *actus Providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis ad sacerdotium per Ecclesiam vocandos disponit eosque dotibus congruis exornat ad sacerdotii officia laudabiliter obeunda.*

(a) Est *actus Providentiæ supernaturalis;* si enim Deus omnia entia, sed præsertim creaturas rationales ad finem proprium dirigit, maxime et speciatim de iis curat quos ministros Ecclesiæ futuros esse prænoscit, cum ab eorum agendi ratione pendeat non solum ipsorum salus, sed etiam bonum Ecclesiæ et animarum. Et sane, cum status sacerdotalis sit supernaturalis dignitas et ad finem supernaturalem tendat, clericalis vocatio ad Providentiam supernaturalem spectat.

(b) *Quo Deus aliquos præ aliis per Ecclesiam vocandos disponit;* non enim omnes ad sacerdotium destinantur, sed ii solum quos Deus ab æterno, ex sua bonitate ac libera voluntate, absque ullo præviso merito, in sua mente seligit ad hoc munus sacerdotale.

(c) *Eosque congruis dotibus exornat...* Cum enim Deus sit sapiens et providus, quos eligit ad sublimia et ardua sacerdotii munera, iis ab æterno paravit omnes dotes ad hæc munera digne ac laudabiliter obeunda necessarias, sive naturales, ut corpus et ingenium aptum, sive supernaturales, ut donum continentiæ, zelum animarum aliasque virtutes, sine quibus vocatus sacris ministeriis idoneus non esset. — Hæc tamen vocatio non tollit humanam libertatem, sed solum eam juvat ac perficit; sicut igitur homo divinæ gratiæ resistere potest, ita pariter divinam vocationem mediaque ad eam sequendam divinitus præparata respuere valet, ita agendo ut *indignum* vel *inhabilem* ad sacerdotalia munera seipsum reddat : tunc dicitur *amittere vocationem*, non quidem eo sensu quod Deus revocat æternum decretum quo ille ad sacerdotium præelectus fuerat, sed quia merito a clericali dignitate repellit eos qui jam

---

[1] *Codex*, c. 973, § 3.

[2] **Hallier**, *op. cit.*, col. 357-396; **Habert**, *De Ordine*, III[a] Pars, cap. 1; **S. Alphons.**, n. 802-803; **Icard**, II, n. 316-319; **Gasparri**, n. 110-119; **Tronson**, *Méditations ecclésiastiques*, 3e Médit.

neque digni neque idonei sunt. Hinc etiam qui male agendo vocationem suam amiserunt, sæpe sincera conversione ac perseverantia in virtutum praxi eam recuperare valent.

Ex parte autem *Ecclesiæ*, vocatio est actus jurisdictionis supernaturalis, quo Superiores ecclesiastici seligunt et assumunt quos idoneos et divinitus vocatos judicant ad statum clericalem. Cum enim vices Dei gerant in terris, ejus decreta, relate ad ministrorum Ecclesiæ vocationem, explorare ac authentice interpretari valent.

1165. (B) Divina vocatio necessaria est ad ordines licite suscipiendos eorumque munera rite obeunda.

Scriptura constat : (a) *Christi agendi ratione :* ipse enim speciali cura discipulos ad se vocavit quos destinavit ad speciale munus homines sanctificandi : "Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum" [1]; deinde inter discipulos, quosdam elegit quos et *apostolos* nominavit [2]; et in ultima Cœna aperte mentem suam duodecim apostolis declaravit, dicens : "*Non vos me elegistis*, sed *ego elegi vos*, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat" [3]. Ex quo infertur eos qui ad munus prædicandi Evangelium deputantur, non a seipsis, sed ab ipso Christo eligendos esse : ipsi enim debent a Christo mitti, sicut et Christus a Patre missus est [4].

(b) *Modo agendi et loquendi Apostolorum :* cum enim eligere vellent unum ex discipulis in locum Judæ, statuerunt duos, Joseph et Mathiam, et orantes dixerunt : "Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et apostolatus" [5]. Pariter, quando Saulus et Barnabas ad ministerium apostolicum consecrati sunt, ab ipso Spiritu Sancto designati fuerunt : "Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis *Spiritus Sanctus :* Segregate mihi Saulum et Barnabam, *in opus ad quod assumpsi eos*" [6].

(c) *Aperta declaratione auctoris Ep. ad Hebræos :* hic enim de sacerdotio N. Legis ex professo disserens, ait : "Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum : Filius meus

[1] *Matt.*, IV, 19. — [2] *Luc.*, VI, 13; *Matt.*, X, 2-4; *Marc.*, III, 13-19.
[3] *Joan.*, XV, 16. — [4] *Joan.*, XX, 21. — [5] *Act.*, I, 24-25. — [6] *Act.*, XIII, 2.

es tu, ego hodie genui te"[1]. Quæ propositio, utpote universaliter negans, nullam patitur exceptionem. Revera si quæ exceptio admitti posset, sane pro Christo, qui plenus erat gratiæ et veritatis, et in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ erant absconditi; jamvero, teste Apostolo, Christus seipsum non clarificavit, i. e., dignitatem et gloriam sacerdotii non ambivit, neque usurpavit, sed ad eam a Patre evectus est. Ergo divina requiritur vocatio.

(d) Ex *Codice*, can. 1353, implicite, sed clare constat: "Dent operam sacerdotes, præsertim parochi, ut pueros, qui *indicia præbeant ecclesiasticæ vocationis*, peculiaribus curis a sæculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant, *divinæque in eis vocationis germen foveant*".

1166. *Rat. theologica* confirmatur. (a) In *Tr. de Ecclesia* probatum est nullum habere potestatem docendi et regendi in rebus spiritualibus, nisi a Deo missus fuerit, mediantibus eis qui successores sunt Apostolorum: illi enim et quidem soli potestate docendi ac regendi gaudent. Porro qui non vocati a Deo, nec a Superioribus ecclesiasticis electi, sese ingerunt in sacrum ministerium, sane dici nequeunt a Deo missi; in ovile ovium non intraverunt per *ostium*, sed aliunde; siquidem Christus ipse est ostium, et si quis per ipsum non introierit, i. e., ab eo non vocatus, fur est et latro. Fur autem non venit nisi ut furetur, et mactet et perdat[2]; seu, aliis verbis, qui non est a Deo vocatus, non solum reus est usurpationis, sicut fur et latro, sed etiam fit aliis causa ruinæ spiritualis.

(b) Divina Providentia suaviter ac fortiter omnia regit ac moderatur, præsertim in ordine supernaturali, et distribuit officia, dignitates et honorum gradus secundum consilium sapientiæ suæ; ita tamen ut cuicumque datur aliquod munus, eidem pariter conferantur gratiæ, virtutes ac dona ut rite officia status adimplere valeat. Si quis proinde ad sacerdotium divinitus eligitur, eo ipso ipsi parantur gratiæ ac dotes quibus munera clericalia laudabiliter obire possit. Si vero minime a Deo vocatur, ex una parte multa officia, et quidem multo magis ardua quam ea quæ fidelibus incumbunt, sub gravi obligantia, adimplere debet; et ex altera, caret illis specialibus gratiis quæ moraliter necessariæ sunt ad hujusmodi munera rite exercenda, et iis solis conferuntur, ex lege Dei generali, qui legitime vocati sunt.

---

[1] *Hebr.*, V, 4-5.
[2] Totam legas parabolam boni pastoris, *Joan.*, X, 1-18.

(c) Quod facilius intelligitur si præcipua officia sacerdotis breviter percurruntur : hic enim *mediator* est inter Deum et homines, offerens preces et sacrificia Deo pro plebe christiana, divinaque sacramenta dispensans; atqui nemo *mediatoris* partes assumere potest, nisi admittatur a partibus quarum interest; nemo potest mediator esse apud Deum, nisi prius ipsi acceptus fiat; nullus divina mysteria dispensare potest nisi divinitus electus fuerit. — Insuper sacerdos est veluti *præco divinus*, et pro Christo *legatione* fungitur, tanquam Deo exhortante per illum [1]; porro nemo potest Dei verbum tanquam potestatem habens annuntiare, nisi auctoritatem a Deo accipiat, nemo legatus divinus esse valet nisi ab ipso Christo deputetur. Et ita de ceteris officiis.

1167. 2° Signa divinæ vocationis. Hic non agitur de signis *extraordinariis*, quibus Deus modo præternaturali suam voluntatem manifestat; sed de signis *ordinariis*, quibus divinum decretum viro prudenti innotescere potest. Hæc autem tria sunt : 1) *idoneitas* ad sacrum ministerium; 2) *intentio recta* seu supernaturale desiderium recipiendi sacerdotium eo fine quo institutum est a Christo; 3) *electio a superioribus ecclesiasticis* regulariter facta. — Ratio est quia, quando Deus ad aliquod munus hominem eligit, eum *idoneum* facit ut officia eidem adnexa implere valeat; ac simul gratia eum *movet* ad hoc munus amplectendum ob finem a Christo institutum; et, quando agitur de clericali statu, ad quem electio requiritur, *superiorum mentes* ita *flectit* ut vocatos eligant.

1168. (A) IDONEITAS in eo consistit ut quis, tum ex parte corporis tum ex parte animæ, immunis sit a vitiis quæ eum inhabilem reddunt ad ecclesiastica munera, simulque præditus illis dotibus quæ ad ea rite obeunda necessariæ sunt.

Jamvero inter vitia, quædam sunt congenita vel tam penitus radicata, ut vix corrigi possint, ideoque aliquem ineptum reddant ad sacerdotalia munera. Talia sunt : (a) *ingenium obtusum* et plumbeum, scientiæ ecclesiasticæ acquirendæ minime idoneum; vel *carentia rectitudinis judicii*, quæ sæpe magis nocet quam ignorantia; (b) *agrestis et ferox indoles*, contentionibus ac rixis dedita, quæ gregis oves fugabit potiusquam alliciet, et discordias seminabit; (c) *levis et instabilis indoles* quæ eo ipso quod ad omnem auram versatilis est, onera sacerdotii, quæ perpetua sunt ac constantiam requirunt,

[1] II Cor., V, 20.

diu portare non valebit; (d) *mollis et ignava*, quæ fortitudine ac patientia caret necessariis ad superandas difficultates sæpe in sacro ministerio occurrentes; (e) *iracunda et ebriosa;* nam, ut ait *Habert*[1], "iracundia et vinolentia nonnunquam referendæ sunt ex parte ad vitia naturæ, vixque penitus abradi queunt".

Alia autem sunt vitia, quæ aliquem indignum quidem reddunt sacris ordinibus, quamdiu perseverant, sed, quia corrigi possunt, utpote voluntaria, non in perpetuum a sacerdotio arcent; talia sunt peccata contra castitatem aliasque virtutes; videlicet qui ea commiserunt debent tamdiu probari, quamdiu necesse est ut fundata spes habeatur eos in eadem vitia non esse relapsuros; diuturnitas autem et natura probationis a multis circumstantiis pendent, quas exponere longius esset[2].

Neque sufficit immunitas a vitiis, sed requiritur *sanctitas vitæ;* juxta *S. Thomam*[3], ad ministerium altaris "requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status"; secundum *S. Alphonsum* (n. 803), Episcopus, antequam sacros ordines conferat, certus fieri debet "non solum quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non fuerit rixosus, non dederit scandalum, frequentando ludos, pravas conversationes, etc., sed etiam quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in Ecclesiis, sacramenta frequentet et orationem, vivat a sæcularibus segregatus, sociis morigeratis comitetur, studio vacet, modesta utatur veste, etc." — Nec dicatur non inveniri in sufficienti numero clericos qui talibus virtutibus sint ornati; nam "Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni repellerentur"[4]; aliunde "melius est pauciores habere ministros, sed probos atque utiles, quam plures qui nequidquam sunt valituri"[5].

1169. (B) Requiritur insuper INTENTIO RECTA, quæ non consistit necessario in quadam sensibili adspiratione subjecti, sed in *supernaturali* ac *deliberata voluntate* recipiendi sacerdotium quale a Christo institutum est[6].

---

[1] **Habert**, *l. cit.*, § III.

[2] Cfr. **S. Alphons.**, lib. VI, n. 63-77; *Vindic. Alphons.*, p. 778-785.

[3] **S. Thom.**, 2ª 2ª, q. 184, a. 8. — [4] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 36, a. 4 ad 2.

[5] **Benedict. XIV**, Bulla *Ubi primum.*

[6] Hæc intentio, quamvis sincera et deliberata, non excludit quamdam reluc-

Quæ intentio *supernaturalis* esse debet :

(a) *Ratione objecti*, i. e., versari circa munera sacerdotii quatenus Dei gloriam et salutem animarum promovere possunt. Unde qui cupiunt sacros ordines suscipere, quia temporalia commoda ambiunt, lucrum, honores, quietam vitam, etc., minime ostendunt se a Deo vocari. E contra si quis ad sacros ordines accedit, quia cupit sacrificium missæ offerre, sacramenta ministrare, parvulos catechizare, infirmos visitare, etc., quatenus hæc omnia ad Dei gloriam ac fidelium sanctificationem tendunt, signa divinæ vocationis exhibet.

(b) *Ratione motivi*, quod primario et principaliter debet esse seria et efficax voluntas orandi, laborandi et seipsum impendendi propter Deum et salutem animarum, juxta illud Apostoli : "Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos... Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar"[1]. Divina igitur vocatione carent qui eo solum fine sacerdotium suscipiunt, quo pinguius et commodius vivant; vel quo pluris æstimentur, aut præesse valeant. — Si vero quis tum propter animarum sanctificationem, tum propter temporalia commoda statum sacerdotalem ambiat, vocatio divina erit si prior intentio prævaleat; sed ordinandus conari debet ignobiles fines paulatim excutere; et sane eo certior erit illius vocatio quo liberior ab omni terrenarum rerum cogitatione. — Zelus autem animarum, quo movetur, debet esse efficax, i. e., non in sola phantasia existere, sed operibus manifestari, nempe orationibus, laboribus, virtutumque actibus Deo oblatis pro proximi sanctificatione, peccatorum, hæreticorum ac infidelium conversione.

(c) *Ratione modi;* cum enim Deus suaviter simul et fortiter operari soleat, hæc intentio sacerdotium accipiendi debet esse *suavis*, animæ pacem minime disturbans, Superioribus obedire parata, ac proinde a vanis anxietatibus libera; et *fortis*, i. e., efficaciter movens ordinandum ad virtutes ecclesiasticas adipiscendas scientiamque theologicam assidue colendam; necnon *constans* : si enim solummodo fugax, videtur esse signum transeuntis fervoris potiusquam divinæ vocationis, quæ ex se permanens est.

Ne sibi illudat candidatus, necesse est generatim ut *consilium* exquirat a sapiente *confessario*, cui cordis sui abscondita aperiet de sua interna aptitudine et intentione, quique rem judicabit secundum leges de discretione spirituum : imprudenter enim ageret qui proprio judicio ordines reciperet.

---

tantiam ex humilitate, sacerdotii oneribus aliave causa ortam, quæ ceteroquin divina gratia et piis confessarii hortationibus sæpe superabitur.

[1] *II Cor.*, XII, 14-15.

1170. (C) ELECTIO A SUPERIORIBUS ECCLESIASTICIS regulariter facta. Nemo siquidem jus ullum ad ordinationem habet antecedenter ad liberam electionem episcopi, qui, sive per se, sive per delegatos, quales sunt Seminarii directores, de candidatorum idoneitate sive absoluta sive relate ad suam diœcesim *authentice* judicat, eosque *eligit* quos suæ diœcesi utiles fore judicat. Hæc autem canonica electio *non creat* divinam vocationem, nec aptitudinem aut rectam intentionem, sed supponit hæc omnia jam esse in candidato [1].

Quid vero, si spiritualis moderator et Episcopus, de alicujus vocatione dubitant? Cum ad primam tonsuram et minores ordines sufficiat vocatio probabilis, ordinandus potest hos suscipere, et interea voluntatem Dei melius scrutari. Quando autem agitur de sacris ordinibus, "episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de ejus canonica idoneitate..." [2]. — Insuper quo efficacius indignos a sacris ordinibus removere valeat, potest ex quavis causa occulta quoque, etiam extrajudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo jure recursus [3].

1171. 3° **Obligatio clericalem vocationem sequendi.** (A) Quando extraordinaria adsunt vocationis signa, et quidem certa, vel quando intercedit positivum S. Pontificis præceptum, post maturam rei considerationem, adest obligatio *sub gravi* statum sacerdotalem amplectendi : nam in hoc casu, voluntas Dei ita certo manifestatur, ut sit vere imperativa. Id docet *S. Thomas* [4] relate ad episcopatum, et ratio quam affert valet etiam quoad presbyteratum : "Sicut ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis proprio motu feratur in hoc quod aliorum gubernationi præficiatur,

---

[1] Quam doctrinam ita proponit *specialis Cardinalium Commissio* in decreto 20 Junii 1912, a *Pio X* approbato (*A. A. S.*, IV, 485), ubi declaratur "neminem habere unquam jus ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi... nihil plus in ordinando, ut *rite vocetur ab episcopo*, requiri quam *rectam intentionem* simul cum *idoneitate* in iis gratiæ et naturæ dotibus reposita, et per eam vitæ probitatem ac doctrinæ sufficientiam comprobata, quæ spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte obire ejusdemque obligationes sancte servare queat..." — [2] *Codex*, c. 973, § 3.

[3] *Codex*, c. 970. — [4] **S. Thom.**, 2. 2., q. 185, a. 2.

ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis omnino contra superioris injunctionem, prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo : primo quidem, quia hoc repugnat caritati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco et tempore...; secundo, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subjicit ". — Episcopus autem nulli absolute præcipere debet ordinum susceptionem, nisi gravis urgeat Ecclesiæ necessitas.

(B) Quando communia tantum sunt vocationis signa, nec ullum habetur Superiorum mandatum, *suadet* quidem christiana *prudentia* ut quis judicio superiorum obsequatur, sed *non datur stricta* obligatio sub gravi. Nam *S. Pœnitentiaria*[1], 27 aug. 1829, declaravit non esse cogendum ad suscipiendos sacros ordines clericum, qui, licet a suis superioribus electus, et a confessario dignus sacro ministerio judicatus, obtemperare illorum monitis renuebat, humilitatis causa, vel timore periculorum. Ratio est quia nemo sub gravi tenetur amplecti statum, cui annexa est praxis evangelicorum consiliorum, nisi clare constet de voluntate Dei hanc obligationem imponentis; atqui, positis solum ordinariis vocationis divinæ signis, prudenter quidem, sed non certo constat de voluntate Dei absoluta.

(C) Graviter peccat qui sacros ordines suscipit, quando conscius est se non esse divinitus vocatum, vel temere accedit sine debita investigatione, aut cum gravi dubio de vocatione : Deo enim et Ecclesiæ injuriam facit, et seipsum animasque sibi committendas ruinæ spiritualis periculo exponit, ut constat ex dictis de necessitate vocationis. Attamen de propria salute non debet desperare; sed, peracta de peccatis pœnitentia, orationibus et clericalium virtutum exercitatione a Deo ulteriora gratiæ auxilia indesinenter petat; suis obligationibus rite satisfacere omnibus viribus studeat; et Deus, qui nullum, etiam gravissimi peccati reum, dummodo pœnitentem, vult perire, ei gratias suppeditabit quibus adjutus munera sua implere ac seipsum salvum facere valeat.

---

[1] Ap. **Icard**, n. 319; **Gasparri**, n. 114. Cfr. *Codex*, c. 973. " Ordinatus qui superiores ordines recipere recuset, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur, aliave gravis, judicio Episcopi, obsit causa ". (*Codex*, c. 973, § 2).

Art. III. De requisitis ad licitam ordinationem in subjecto rite vocato.

Posita vocationis necessitate, seclusisque irregularitatibus et impedimentis de quibus infra dicetur, aliæ sunt conditiones jam enumeratæ *licitæ* ordinationis ex parte subjecti, de quibus sigillatim est breviter dicendum.

1172. 1° **Status gratiæ** requiritur pro suscipiendo Ordine, qui est sacramentum vivorum; sed obligatio non videtur esse gravis pro iis ordinibus qui, juxta multos, non sunt sacramenta.

1173. 2° **Necessitas vel utilitas Ecclesiæ.** "Nemo ex sæcularibus ordinetur qui judicio proprii Episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis diœcesis. — Non prohibetur tamen Episcopus proprium promovere subditum, qui in futurum, prævia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius diœcesis destinetur"[1].

1174. 3° **Propositum ascendendi ad presbyteratum.** "Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito conjicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros". — "Ordinatus tamen qui superiores ordines recipere recuset, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, judicio Episcopi, obsit causa"[2]. Fraus in hac re non videtur esse gravis ex parte ordinati, nec voluntas positiva exercendi ordines inferiores videtur esse præcepta.

4° **Recepta confirmatio**[3], cujus tamen obligatio forsan non est gravis.

5° **Mores ordini recipiendo congruentes**[4], quibus deficientibus jam partim saltem deficeret ipsa *idoneitas* ad veram vocationem requisita, nec posset ordinandus sanctiorem ducere præ laicis vitam interiorem et exteriorem. — Ut autem facilius adspirantes ad sacros ordines congruos mores induant, "curandum est ut in Seminario inde a teneris annis recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacræ theologiæ curriculum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata ejus conscientia, dispensaverit"[5]. Qui autem extra Seminarium legitime morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet[6].

---

[1] *Codex*, c. 969, §§ 1, 2. — [2] *Codex*, c. 973, §§ 1, 2. — [3] *Codex*, c. 974, § 1, 1°.
[4] *Codex*, c. 974, § 1, 1°. — [5] *Codex*, c. 972, § 1. — [6] *Codex*, c. 972, § 2.

1175. 6° Ætas canonica. "Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum"[1]. Pro episcopatu requiruntur saltem triginta anni[2].

Nulla ætas canonica præfinitur pro tonsura et minoribus ordinibus, sed vetat *Codex* ne conferatur tonsura iis qui cursum theologicum nondum inceperunt[3].

N. B. Solus R. Pontifex potest *propria potestate* super defectu ætatis dispensare. Pro subdiaconatu nunquam conceditur dispensatio; pro diaconatu, raro; pro presbyteratu, facile, si solum tredecim menses deficiunt; raro et nonnisi gravi de causa, si decem et octo vel etiam viginti menses deficiunt ad legitimam ætatem.

1176. 7° Debita scientia. Salva lege de ætate canonica, ordinationes ne conferantur nisi incepto saltem cursu theologico juxta studiorum rationem can. 1365 determinatam[4]; prima enim tonsura postulat inceptum cursum theologicum; subdiaconatus non est suscipiendus nisi tertio cursus theologici anno exeunte, i. e., ad finem vergente quando duæ tertiæ anni partes transiere; diaconatus, nisi anno quarto incepto ab inchoatis lectionibus; presbyteratus, nisi post medietatem ejusdem quarti anni[5]. Præterea quilibet promovendus prævium et diligens examen subire debet juxta cc. 996-997, de quibus infra agitur.

1177. 8° Ordinum inferiorum susceptio. (a) "Ordines gradatim conferendi sunt ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur"[6], et quidem sub gravi ex parte conferentis et recipientis, quod adeo urgetur ut S. Sedes jubeat suppleri omissas ordinationes etiam minores in eo qui majores suscepit ordines.

---

[1] *Codex*, c. 975.

[2] *Codex*, c. 331, § 1, 2°. — [3] *Codex*, c. 976, § 1.

[4] Juxta c. 1365, § 1. "In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis alumni per integrum saltem biennium incumbant — § 2. Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et, præter theologiam dogmaticam et moralem, complecti præsertim debet studium sacræ Scripturæ, historiæ ecclesiasticæ, juris canonici, liturgiæ, sacræ eloquentiæ et cantus ecclesiastici. — § 3. Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus præsertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis".

Cursus autem theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem præcedenti canone determinatam ex c. 976, § 3.

[5] *Codex*, c. 976, § 2. — *S. C. de Religiosis* dispensationes religiosis concedit super curriculo studiorum, ea conditione ut "præscriptum quadriennium rite compleatur, vetito quocumque animarum ministerio". Declar. *S. C. de Rel.*, 27 oct. 1923. — [6] *Codex*, c. 977.

(b) Attamen ordines, *per saltum* recepti, validi sunt, excepto forsan *episcopatu*. Etenim singuli ordines in se completi sunt, et suos effectus producunt independenter ab aliis; imo presbyteratus in se eminenter continet ac confert omnes facultates ac gratias in diaconatu, subdiaconatu et minoribus ordinibus collatas. — Dictum est *excepto forsan episcopatu*, de quo inter theologos controvertitur; alii contendunt episcopatum non esse ordinem a presbyteratu distinctum, sed solum ejus complementum, ideoque non valide suscipi nisi prius suscepto presbyteratu; alii autem tenent episcopatum esse ordinem distinctum, in quo eminenter continetur ordo sacerdotalis, et ex antiquis documentis constare aliquando hunc ordinem fuisse collatum, ceteris ordinibus prætermissis.

1178. 9° Interstitiorum observatio. Juxta *Tridentinum* [1], interstitia inter varios ordines servari debent, ut "promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi præscriptum, sese exerceant" [2] et, dum de gradu in gradum ascendunt, in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescant. "Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti Episcopi judicio committuntur; acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliud exposcat.

"Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu, duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus, neque omnes ordines minores una simul" [3].

1179. 10° Titulus canonicus. (A) *Notio et origo.* Titulus ad ordinationem requisitus dicitur *cautio qua providetur clerico de sufficienti ac perpetua sustentatione;* ne secus, cum ordinis dedecore, mendicare, aut sordidum quæstum exercere cogatur.

In primævis temporibus nemo ordinabatur nisi certæ adscriberetur ecclesiæ, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste sustentaret; unde clerici dicebantur *de titulo* talis vel talis ecclesiæ, sicut hodie Cardinales etiam nominantur *ad titulum* alicujus ecclesiæ. Aliquando tamen ordinabantur clerici qui nulli ecclesiæ adscripti erant, et *vagi* aut *acephali* vocabantur. Cum vero hi augerentur in dedecus status ecclesiastici, *Conc. Lateranense III* statuit ut presbyteri vel diaconi, absque titulo ordinati, Episcopi expensis alerentur, donec alicui ecclesiæ adscri-

[1] Sess. XXIII, de Reformat., Cap. XI, XIII, XVII; cf. *Codex*, c. 2374.
[2] *Codex*, c. 978, § 1. — [3] *Codex*, c. 978, § 2, 3.

berentur; quod *Innocentius III* ad subdiaconos extendit. — *Tridentinum* vero rem magis explicite determinavit, statuendo ut titulus *ordinarius* ordinationis esset *beneficium*, et ex titulo *patrimonii* vel pensionis non admitterentur nisi illi quos Episcopus necessarios vel utiles ecclesiæ suæ judicaverit. Titulus requiritur pro sacris ordinibus, non autem pro minoribus.

1180. (B) *Varii ordinationis tituli eorumque necessitas.* — Plures distinguuntur tituli ordinationis, nempe : pro *sæcularibus*, tituli *beneficii*, *patrimonii* aut *pensionis*, *servitii diœcesis* aut *missionis;* et pro *religiosis*, tituli *paupertatis*, *Congregationis* aliusve similis [1].

Jamvero, ex *Codice*, c. 979, § 1 "pro clericis sæcularibus titulus canonicus est titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis" et ex c. 981, § 1, "si ne unus quidem ex titulis de quibus in c. 979, § 1, præsto sit, suppleri potest titulo servitii diœcesis, et, in locis *S. Cong. de Propag. Fide* subjectis, titulo missionis, ita tamen ut ordinandus, jurejurando interposito, se devoveat perpetuo diœcesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate". — "Pro regularibus titulus canonicus est solemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, *paupertatis*" (c. 982, § 1). "Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensæ communis*, *Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum" (c. 982, § 2). "Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, jure sæcularium reguntur" (c. 982, § 3).

(a) Titulus *beneficii* est jus perpetuum percipiendi reditus ex dote officio sacro adnexos [2]; titulus *patrimonii* est jus fruendi ex bonis clerico propriis, ita ut ordinatus congrue subsidium vitæ habere possit; titulus *pensionis* est jus ad censum aut rite impositum alicujus beneficii fructibus vel aliis bonis ecclesiasticis, aut præstandum per personam ecclesiasticam vel laicam aut communitatem, in clerici sustentationem. Titulus patrimonii et pensionis est subsidiarius et non admittitur nisi deficiente beneficii titulo [3], et, si ipse deficiat, suppleri potest titulo servitii diœcesis aut missionis.

1181. (b) Titulus autem beneficii, patrimonii aut pensionis "debet esse et vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam ejusdem sustentationem, secundum normas ab Ordi-

---

[1] Hi omnes tituli, præter titulum patrimonialem, ad quem reducitur titulus pensionis *civilis*, sunt *ecclesiastici*.

[2] Cf. cc. 145, 1409-1410.

[3] Si tamen beneficii reditus sint insufficientes, compleri possunt, quatenus opus est, per bona patrimonialia.

nariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adjunctis dandas"[1], i. e., *verus*, *securus*, *perpetuus*, *sufficiens* ad congruam sustentationem.

1) *Verus* est titulus qui non est falso suppositus aut mere expectatus, ita ut non sufficiant bona ficte donata, beneficium promissum, futura patris hereditas.

2) *Securus* est titulus qui *certus* est ex natura rei aut ex legitima cautione; unde non sufficiunt stipendia manualia missarum, industria personalis clerici (quæ in casu morbi vana est), bona evictioni obnoxia, v. g., hypothecis gravata, annui reditus qui percipiuntur vi obligationis mere personalis (quæ cum persona extinguitur); sed sufficiunt bona immobilia frugifera, et generatim *census publici* (*rentes sur l'Etat*) sive perpetui, sive vitalitii, et census privati *reales* (i. e., fundati super bonis immobilibus quorum sint onus)[2]. Quæ tamen Ordinarii arbitrio relinquuntur.

3) *Perpetuus* est titulus qui *ex se* durare debet per totam ordinati vitam; quare non licet ordinato ad titulum beneficii resignare hoc beneficium nisi in actu resignationis fiat expressa mentio "clericum illius titulo promotum fuisse, eique de consensu Ordinarii alium legitimum ordinationis titulum substituisse"; nec licet ordinato ad titulum patrimonii illud alienare sine licentia episcopi antequam aliud medium sustentationis adeptus fuerit (et quidem sub pœna nullitatis). Si vero ordinatus in sacris titulum amittat, "alium sibi provideat, nisi, judicio Episcopi, ejus congruæ sustentationi aliter cautum sit"[3].

4) *Sufficiens* dicitur ad congruam sustentationem titulus qui præstat necessaria ad victum, vestitum, habitationem aliaque hujusmodi secundum taxas diœcesanas.

1182. (c) Titulus *servitii diœcesis*, antea dictus servitii Ecclesiæ, ille est vi cujus aliquis ordinatur ea lege ut alicui diœcesi sit mancipatus et ex ejus servitio sustentari possit, et ab ea amoveri nequeat, nisi aliter ei provisum fuerit, unde "Ordinarius presbytero quem promoverit titulo servitii ecclesiæ vel missionis, debet beneficium vel officium vel subsidium, ad congruam ejusdem sustentationem sufficiens, conferre"[4].

Titulus missionis admittitur pro iis qui ordines exercere debent in locis S. Cong. de Prop. Fide subjectis. Uterque ille titulus est

---

[1] *Codex*, c. 979, § 2.

[2] Quoad *constitutionem* tituli patrimonii, ordinandus in scripto determinare debet bona quæ in patrimonium sacrum sibi constituere proponit et si bona accipiat ab aliis, requiritur ut translatio bonorum fiat vere, absque ulla fraude et in forma juris valida.

[3] *Codex*, c. 980, § 1. — [4] *Codex*, c. 981, § 2.

suppletorius et firmari debet jurejurando [1] quo excluditur, quando agitur de titulo missionis, ingressus in Religionem aut transitus in aliam diœcesim, sine licentia S^a Sedis.

Art. IV. De Irregularitatibus.

Ab ordinibus arceri possunt candidati tum propter *censuras* [2], tum propter *irregularitates*, de quibus nunc agendum est.

I. De irregularitatibus in genere.

1183. 1° Notio. (a) In *Codice* distinguuntur irregularitates *proprie dictæ*, *quæ ex se* sunt perpetuæ, ab *impedimentis simplicibus* quæ non sunt perpetua et ab ordinibus non arcent nisi quamdiu perdurant.

(b) Irregularitas proprie dicta est impedimentum *ex se perpetuum* seu *inhabilitas prohibens ne quis ordines suscipiat aut exerceat* [3], *jure canonico statutum propter reverentiam divini ministerii.*

1184. 2° Species. (a) Ratione *causæ*, irregularitas est vel *ex defectu* vel *ex delicto :* prior oritur ex aliquo naturali

---

[1] Ab ordinando titulo servitii diœcesis, juramentum canonice requisitum sequenti modo aliove simili præstari potest :

Promitto sub juramenti fide, coram Deo, ac spondeo me in perpetuum servitio diœcesis N. velle addici sub jurisdictione Episcoporum dictæ diœcesis pro tempore.

Pro iis autem *qui titulo missionis* ordinantur, juxta *Instr. S. C. de Propaganda Fide*, 27 apr. 1871, hæc est formula juramenti præstandi :

Ego N., filius N. et N., diœcesis N., spondeo, et juro, quod postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et juro, quod in hac diœcesi aut vicariatu, vel in missione cui S. Sedi vel *S. C. de Prop. Fide* me destinari placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam ; quod etiam præstabo, si cum prædictæ Sedis Apostolicæ licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo et juro, me prædictum juramentum et ejus obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia.

N. B. Qui hoc juramentum emittunt, indulgentiam plenariam defunctis applicabilem lucrari possunt non solum prima vice, sed singulis annis si illud renovant anniversaria die præstiti juramenti.

[2] *Codex*, cc. 2260, 2175, 2279, § 2, n. 5. — [3] *Codex*, c. 968.

vitio quo quis inhabilis est ad ordines suscipiendos aut exercendos; posterior oritur ex culpa personali, quæ ministerium sacerdotale dedecet. Hinc prior non est pœna, nec supponit delictum proprium, ac proinde incurritur etiam ab insciis; posterior, quamvis non sit pœna, *ad instar pœnæ* contrahitur, ac culpam supponit.

(**b**) Ratione *effectuum*, irregularitas est *totalis*, quando ab omni ordine et officio ordinis excludit; *partialis*, quando, post ordinem legitime receptum (c. 984, 2°), ab aliquo tantum ordine aut aliqua sacri ministerii functione prohibet : ita sacerdos qui sine culpa pollice caret, a celebratione missæ, sed non a confessionibus audiendis excluditur.

1185. 3° De subjecto irregularitatis et impedimenti. (**A**) Ii omnes masculi contrahere possunt irregularitatem aut impedimentum ex delicto qui legi ecclesiasticæ subduntur. Unde nondum baptizati [1], pueri ante septennium completum, non sunt subjectum irregularitatis, quia Ecclesiæ legibus non ligantur.

(**B**) *Multiplicari* possunt irregularitates et impedimenta "ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione ejusdem causæ, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario" [2]. Quando petitur dispensatio, singula indicanda sunt [3].

(**C**) Ut contrahantur irregularitates et impedimenta, quædam conditiones requiruntur : (**a**) Ut sint *certa;* nam si est dubium *grave* et *prudens* de eorum existentia, stricte loquendo non incurruntur, si agatur de dubio *juris;* si de dubio *facti*, "potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare potest" (can. 15).

(**b**) Ut id, propter quod contrahuntur, sit *externum* et *consummatum* in sua specie; et insuper *graviter culpabile*, si ex delicto oritur : quamvis enim non sint pœnæ, ad instar pœnæ latæ sententiæ incurruntur.

(**D**) *Quæritur num ignorantia ab irregularitate* et *impedimento* excuset? "Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat" [4].

---

[1] *Codex*, c. 986. — [2] *Codex*, c. 989.
[3] *Codex*, c. 991. — [4] *Codex*, c. 988.

II. De irregularitatibus ex defectu [1].

1186. 1° *Ex defectu natalium :* " Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota solemnia professi ".

Ratio propter quam hæc irregularitas statuta est, triplex præsertim affertur : (**a**) reverentia clericali dignitati debita; nam, ut ait *S. Thomas* [2], " quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo toro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur, et tanto difficilior est dispensatio, quanto eorum origo est turpior "; (**b**) periculum ne filii paternam incontinentiam imitentur; (**c**) ut paterna incontinentia aliquo modo puniatur. — Hinc non expedit dispensationem concedere, nisi illegitimi filii specialibus dotibus præfulgeant.

1187. 2° *Ex defectu corporis :* " Corpore vitiati qui *secure* propter debilitatem, vel *decenter* propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt " [3].

1188. Quare irregulares sunt :

(**A**) Propter *impotentiam* vel *debilitatem :* (**a**) Morbo *gravi* et *insanabili* laborantes, quo inhabiles sunt ad rite quædam officia ecclesiastica obeunda : ut sunt *paralytici*, qui vasa sacra tenere aut sacras species frangere non valent; qui propter *cubiti rigorem* brachium flectere nequeunt [4]; *abstemii*, qui vinum bibere nequeunt sine periculo evomendi; *possessi* aut *obsessi* a diabolo.

(**b**) *Mutilati*, qui carent pede, brachio, manu vel tribus ultimis digitis in quacumque manu; aut indice vel pollice, ita ut hostiam frangere non possint consuetis digitis; claudi qui sine baculo ad altare accedere et stare nequeunt; nimium claudicantes, etiamsi baculo non indigeant, qui pedem habent *varum*, seu inclinatum versus pedem alterum; qui amputatum pedem habent, quamvis utantur artificiali pede; hodie tamen, cum artificiales pedes tam

---

[1] *Codex*, c. 984. — [2] *Supplem.*, q. 39, a. 5.
[3] *Codex*, c. 984, 2°.
[4] *S. C. Concil.* in *Brixin.*, 26 jan. 1867.

apte disponantur ut eis utentes decenter functiones sacras obire valeant, saltem post susceptos ordines hæc irregularitas non amplius urgenda videtur [1]; item suppleri potest defectui brachii, per brachium affabre factum, ad ordines exercendos.

(c) *Cæci*, qui facultate visiva in utroque oculo carent; imo *cæcutientes*, qui decenter legere nequeunt in missali. Ex sola privatione unius oculi, certo jam non incurritur irregularitas, dummodo auferatur deformitas per oculum vitreum.

N. B. Cæcutiens sacerdos, qui legere non potest nisi typos valde crassos, dispensationem obtinere potest celebrandi missam votivam de *B. M. V.* aut Missam quotidianam defunctorum secundum normas a *S. R. C.*, 13 jan. 1921, promulgatas [2].

(d) *Surdi* ex utraque aure, qui vocem respondentis ministri minime audiunt; si vero surditas sacerdotio suscepto superveniat, non impedit missæ celebrationem.

(e) *Muti* aut *balbutientes*, qui verba integra proferre nequeunt, vel nonnisi modo inintelligibili aut ridiculoso.

(B) Propter *deformitatem*, irregulares sunt omnes generatim qui ita sunt deformes, præsertim *vultu*, ut absque dedecore, aut fidelium risu vel horrore sacrum ministerium exercere nequeant; v. g., (a) qui faciem *ustulatam* aut valde *maculatam* habent; quibus abscissa sunt labia, nares, vel aures, nisi hic ultimus defectus capillis tegi possit; (b) *leprosi*, aut alio morbo nimis repugnante laborantes; (c) *monstruosi*, enormiter *gibbosi*, *pygmæi*, aut qui crura habent adeo distorta ut ne veste quidem talari hic defectus tegi valeat; quibus unus oculus erutus est, nisi difformitas demissis palpebris vel oculo vitreo tegatur : quod hodie facillimum est.

In his omnibus casibus, quando dubitatur utrum quis sit irregularis, res Ordinarii judicio relinquitur, qui rem determinabit, postquam Magister cæremoniarum sedulo expenderit ac retulerit quomodo candidatus clericalia munia exercere valeat.

Præterea notandum est, in æstimanda deformitate, rationem esse habendam illius causæ, quæ, si nobilis sit, v. g., bellum, persecutio, id præstabit ut ordinis exercitium a mutilatis potius Ecclesiæ conciliet majorem considerationem.

1189. 3° *Ex defectu mentis.* " Qui *epileptici* vel *amentes* vel a dæmone possessi *sunt vel fuerunt;* quod si post receptos ordines tales evaserint et jam liberos esse certo constet,

---

[1] Clerico professo Ordinis Fratrum Minorum, qui pede mechanico deambulabat, a *S. C. Concilii*, 5 maii 1865, permissum est ordinari, ap. **Gasparri**, n. 265.

[2] *A. Ap. S.*, XIII, 1921, pp. 154 ss.

Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere" [1].

Irregularitas ista dicitur esse ex defectu *mentis* etiam pro epilepticis forsan quia olim epileptici pro dæmoniacis habebantur. Si nulla signa morbi dederit per plures annos qui ante pubertatem epilepsi correptus est, censent graves auctores [2] eum non esse irregularem.

1190. 4° *Ex defectu sacramenti :* "Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt" [3].

Quare non amplius est irregularitas bigamia *interpretativa* quam contrahebat qui alterum matrimonium etiam invalidum consummabat, vel viduam non virginem ducebat et cognoscebat, vel ad propriam uxorem prius ab alio corruptam accedebat, nec bigamia *similitudinaria* ejus qui, post votum castitatis solemne, matrimonium, etsi invalidum, contraxisset et consummasset. — Videtur hæc irregularitas afficere ipsos non baptizatos.

1191. 5° *Ex defectu famæ :* "qui infamia juris notantur" [4]. Jamvero infamia juris est pœna *vindicativa* [5] quæ casibus jure expressis statuitur [6].

Hæc autem pœna in *Codice*, et quidem *ipso facto* decernitur contra : (**a**) eos qui species consecratas abjecerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint [7]; (**b**) eos qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverint [8]; (**c**) eos qui violentas manus injecerint in personam R. Pontificis, S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis [9]; (**d**) duellantes eorumque patrinos [10]; (**e**) bigamos, i. e., eos qui, obstante conjugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, attentaverint [11]; (**f**) laicos legitime damnatos ob delicta contra sextum cum minoribus infra ætatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium [12]; (**g**) sectæ acatholicæ nomen dantes vel publice adhærentes [13].

---

[1] *Codex*, c. 984, 3°. — [2] **Gasparri**, I, n. 278; **Noldin**, III, n. 666.
[3] *Codex*, c. 984, 4°. — [4] *Codex*, c. 984, 5°. — [5] *Codex*, c. 2291, n. 4.
[6] *Codex*, c. 2293, § 2. — [7] Can. 2320. — [8] Can. 2328. — [9] *Codex*, c. 2343.
[10] *Codex*, c. 2351, § 2. — [11] *Codex*, c. 2356. — [12] *Codex*, c. 2357.
[13] *Codex*, c. 2314, § 1, 3° : ex declarat. 16 oct. 1919 de candidatis religionum (*A. Ap. S.*, XI, 1919, p. 477, 7) restringi potest irregularitas ad apostatas qui a fide catholica totaliter defecerunt.

1192. Præterea, ex *Codice*, ut *infames declarari* debent: apostatæ, hæretici et schismatici obstinati [1]; necnon clerici in sacris qui enormia quædam committunt delicta contra castitatem [2].

Irregulares etiam sunt ad alterutrum delictum *vere cooperantes* (ad sensum canonis 2209), ideoque mandantes vel opem proximam præstantes ut crimen patretur, judices ac testes injusti, crimen aut modum illud patrandi consulentes.

1193. 6° *Ex defectu lenitatis*: "Judex qui mortis sententiam tulit; qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiæ" [3]. Itaque testes, accusatores, procurator generalis qui sententiam mortis requirit, judex instructionis vel jurati irregularitatem non incurrunt, et a fortiori milites qui in bello quasi ex necessitate mortem inferunt.

In decreto quidem *S. C. Consist.* Redeuntibus, 25 oct. 1918 (A. Ap. S. X (1918) p. 481) facultas conceditur dispensandi *ad cautelam saltem*, ex irregularitate ex *defectu lenitatis* sacerdotes et clericos qui mortem in bello vel mutilationem forsan intulerunt; sed hic non agitur, ut videtur, nisi de dispositione speciali qua solvi debebant anxietates forte orituræ, seu dubia circa cessationem irregularitatis vel ejus naturam [4].

III. De irregularitatibus ex delicto.

1194. Delicta quæ irregularitatem pariunt debent esse *gravia, post baptismum* perpetrata (excepto delicto baptismi illicite ab acatholicis recepti extra casum extremæ necessitatis), et externa, sive publica sive occulta (can. 986).

1195. Irregulares autem sunt ex delicto [5]: "1° Apostatæ a fide, hæretici, schismatici". Nomine hæreticorum veniunt non solum qui in hæresi baptizati fuerint, sed catholici qui vera fide defecerint, etiam post eorum conversionem.

"2° Qui præterquam in casu extremæ necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt";

---

[1] *Codex*, c. 2314, § 1, n. 2; c. 2315.
[2] *Codex*, c. 2359, § 2. — [3] *Codex*, c. 984, 6°, 7°.
[4] Ita Vermeersch, *Epitome J. C.*, II, n. 261. — [5] *Codex*, c. 985.

i. e., petierunt aut tolerarunt ut acatholici, scilicet saltem hæretici aut schismatici, sibi ministrarent quocumque modo baptismum; proinde iteratio etiam illicita baptismi non amplius irregularitatem constituit.

1196. "3° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido conjuncta";

"4° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes" *positive* ad alterutrum delictum; hodie igitur non amplius distinguitur inter fetum animatum et inanimatum.

Hinc, neque ex delicto neque ex defectu (lenitatis), fiunt irregulares milites qui hostes occidunt in bello probabiliter justo, unde clerici militare *coacti* nullam irregularitatem contrahere videntur propter legitima facta bellica sed aliter est dicendum de iis qui *ultro* dimicarunt.

1197. "5° Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt".

Mutilatio autem proprie dicitur *abscissio alicujus membri* quod *proprium* et a ceteris *distinctum officium* habet. Ita manus, brachium, pes, oculus, lingua, ambo testiculi in viro, membrum virile, etc., sunt totidem membra; non autem unus vel duo digiti, pars linguæ, etc., quia, iis ablatis, non tollitur facultas res apprehendendi aut loquendi. Strictior est autem Ecclesia quoad eos qui *seipsos* mutilant quam quoad eos qui alios mutilant.

1198. "6° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, (sine indulto apostolico, cf. c. 139, § 2, et extra casum necessitatis) si exinde mors sequatur"; agitur de *clericis* jam a prima tonsura.

1199. "7° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab ejus exercitio pœna canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti". Ita irregulares sunt v. g., subdiaconi evangelium cantantes in missa cum

stola, sacerdotes calicem consecrantes sine speciali delegatione [1].

IV. De simplicibus impedimentis.

1200. Ex Codice sunt simpliciter impediti [2] :

" 1° Filii (i. e., descendentes in primo gradu [3]) acatholicorum, quamdiu parentes (i. e., pater vel mater) in suo errore permanent "; etiamsi alter tantum parens sit acatholicus, i. e., hæreticus aut schismaticus [4];

2° Viri uxorem habentes;

3° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cujus rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint;

4° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem;

5° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint [5];

6° Neophyti (i. e., neo-conversi) donec, judicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint;

7° Qui infamia *facti* laborant, dum ipsa, judicio Ordinarii, perdurat ", etiamsi sint innocentes.

---

[1] " Permittitur tamen... ut clericus inferior, saltem ergo tonsuratus, deficientem subdiaconum in missa solemni supplere videatur. Sed clericus iste nec manipulum induere potest, nec, ad offertorium, ipse aqua vinum miscere, nec, post consecrationem, calicem discooperire, nec, post communionem, calicem interius abstergere. Hos tamen solos irregularitate notatos arbitramur qui cum gravi culpa " omni munere subdiaconatus, ut ait CERATO (*Censuræ*, n. 161), in missa solemni fungerentur cum paramentis subdiaconi ", ita ut ii qui illicite manipulum sumpserint, sed abstinuerint miscenda aqua, etc., atque hi qui hæc quidem fecerint, sed sine manipulo, æque ab irregularitate immunes putemus. Nec irregularis censetur qui, sine stola, mere evangelium canat... Itaque... nec munus diaconi, subdiaconi, nec munus diaconi exerceri possunt ab iis qui ordine carent. Toleratur tamen, propter necessitatem, *partialis* quædam ministratio subdiaconi in missa ". **Vermeersch**, *Theol. Moralis* Principia, Resp. Consilia (1923), III, n. 711. — [2] *Codex*, c. 987.

[3] Et non ultra, ne quidem in linea paterna, *Com. Int. Cod.*, 14 jul. 1922 (*A. A. S.*, XIV, p. 528).

[4] Ita ex declar. 16 oct. 1919 (*A. A. S.*, XI, p. 478.

[5] *Impediti* dicuntur, etiam quoad tonsuram, ex *Commiss. ad Cod. interpret.* 3 jun. 1918, qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto non sunt vocati, vel quia ætate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati. Quare, in regionibus in quibus experientia compertum est adolescentes ad perseverandum in sua vocatione receptione tonsuræ et minorum ordinum maxime juvari, indulta a S. Sede enixe petenda sunt.

V. De cessatione irregularitatum et impedimentorum.

1201. 1° Triplici modo cessare possunt irregularitates : (**a**) *cessatione causæ* quoad impedimenta simplicia; (**b**) *professione religiosa* quoad irregularitatem ex *defectu natalium;* (**c**) *dispensatione* quoad irregularitates et impedimenta.

1202. 2° **Quis dispensare possit?** (**A**) *S. Pontifex* in omni irregularitate dispensare valet [1]. Quædam tamen sunt in quibus raro dispensat, nempe : (**a**) irregularitates ex bigamia, (**b**) ex homicidio voluntario, nisi omnino sit occultum, (**c**) ex defectu corporis valde notabili.

1203. (**B**) *Ordinarius* per se vel alium dispensare potest : 1) in omnibus irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario vel abortu, exceptisque aliis ad forum contentiosum deductis [2]; 2) in irregularitatibus *dubiis* dubio *facti*, sive ex *delicto* sive ex *defectu* oriantur; et si postea constiterit irregularitatem certo contractam fuisse, alia dispensatione opus non erit.

Potestate *delegata* seu vi Indultorum Episcopi ampliores solent obtinere facultates.

1204. Ex *Codice* [3], quilibet confessarius ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, exceptis homicidio aut abortu et irregularitate quavis deducta ad forum judiciale, dispensare potest in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiæ, sed ad hoc duntaxat ut pænitens ordines jam susceptos exercere licite valeat.

1205. 3° **De modo petendi dispensationem.** In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis bona fide (excepto homicidio vel abortu aliave irregularitate ad forum judiciale deducta), non autem pro reticitis in mala fide. Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam

---

[1] In casibus occultis omnes recurrere possunt et ad *S. Pænitentiariam;* in casibus publicis, recurritur a sæcularibus ad *C. de Sacramentis*, et a religiosis ad *C. de Religiosis.* — [2] *Codex*, c. 990. — [3] *Codex*, c. 990, § 2.

numerus delictorum exprimendus est sub pœna nullitatis concedendæ dispensationis [1]; quod non valet pro abortu.

" Dispensatio, in foro interno non sacramentali concessa, scripto consignetur; et de ea in secreto Curiæ libro constare debet " [2].

4° **Valor dispensationis.** " Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque majoribus, et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Prælatus *nullius*, Superior major in religione clericali exempta " [3].

CAPUT III.

DE IPSA ORDINATIONE.

Dicemus de iis quæ *præcedunt*, *comitantur* et *sequuntur* sacram ordinationem.

Art. I. De iis quæ ordinationi præire debent.

1206. Ante ordinationem sex sunt præstanda : 1° *declaratio* qua promovendus Ordinario exponit propositum recipiendi ordines; 2° *testimonia* prærequisita; 3° *examen canonicum;* 4° *banna;* 5° *Ordinarii investigatio;* 6° *spiritualia exercitia.*

1207. 1° **Declaratio Ordinario facta :** " Omnes tum sæculares tum religiosi ad ordines promovendi per se ipsi vel per alios Episcopo aliive qui Episcopi in hac re vices gerat, suum propositum ante ordinationem opportuno tempore aperiant " [4].

1208. 2° **Testimonia prærequisita.** (a) *Sæculares* et *religiosi* qui, quod pertinet ad ordinationem, *jure sæcularium* reguntur afferre debent; 1) Testimonium *ultimæ* ordinationis, aut, si de prima tonsura agatur, *recepti baptismatis et*

---

[1] *Codex*, c. 991, § 1, ■ et c. 989.
[2] *Codex*, § 4. — [3] *Codex*, § 3. — [4] *Codex*, c. 992.

confirmationis; 2) Testimonium de *peractis studiis*, pro singulis ordinibus, ad normam c. 976, requisitis; 3) Testimonium rectoris Seminarii, aut sacerdotis, cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit de *bonis ejusdem candidati moribus;* 4) *Testimoniales litteras* [1] Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit; 5) Testimoniales Superioris majoris religiosi, si cui religioni promovendus adscriptus sit [2].

1209. Jamvero "tempus quo promovendus potuit canonicum impedimentum (i. e., irregularitatem aut simplex impedimentum) contrahere est, regulariter, pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem [3]; sed Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus, et ob tempus quoque quod pubertatem antecessit. — Si loci Ordinarius neque per se, neque per alios promovendum satis noverit, ut testari possit eum, tempore quo in suo territorio moratus est, nullum canonicum impedimentum contraxisse, aut si promovendus per tot diœceses vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat *Ordinarius* saltem per juramentum suppletorium a promovendo præstandum. Si post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus prædicto temporis spatio in eodem territorio rursus moratus sit, novæ litteræ testimoniales Ordinarii loci necessariæ sunt" [4].

---

[1] Proprie dicuntur litteræ testimoniales illæ quæ impedimenta canonica respiciunt.

[2] *Codex*, c. 993. Religiosi non videntur teneri dare testimonia recepti baptismatis et confirmationis, nec testimonia rectoris Seminarii cui religiosus forsan fuit subditus, si hæc exhibita fuerint ante novitiatum (cf. cc. 544, § 2, 1, 3; 545, § 4).

[3] Tempus commorationis intelligitur *moraliter*, non autem physice continuum, ita ut non interrumpatur per discessionem e loco cum animo revertendi, ut constat ex Responso *S. C. Concilii*, 25 jun. 1904.

[4] *Codex*, c. 964, §§ 1, 2, 3.

Juxta **P. Mothon**, *Institutions canoniques*, III (1924), testimonium Rectoris Seminarii prærequisitum ita exprimi potest :

Ego infrascriptus N. N... Rector seminarii N... testimonium perhibeo de bonis moribus N. N... alumni seminarii N..., ad effectum prædicti alumni ad ordinem... promovendi, juxta sacros canones.

Insuper attestor eumdem ut supra cursum theologiæ per... annos peregisse, ad tramitem juris requisitum, ut ad ordinem... rite promoveri possit et valeat. In quorum fidem præsentes litteras subscribo die... mensis... anni...

N. N...
rector seminarii N.

(b) *Religiosi qui jure sæcularium non reguntur* afferre debent litteras dimissorias Superioris religiosi, quibus is "non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisisse et esse de familia domus religiosæ sibi subditæ, sed etiam de studiis peractis deque aliis jure requisitis. Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis testimonialibus litteris non indiget" [1].

Testimoniales autem litteræ ab Episcopo tradendæ sequenti formula scribi possunt.

Nos, N. N., gratia Dei et auctoritate Apostolicæ Sedis, Episcopus N... omnibus quorum interest præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Facta diligenti inquisitione, testamur N. N., nullum, quod sciamus, canonicum impedimentum vel irregularitatem contraxisse tempore quo in diœcesi Nostra commoratus est.

Datum N., sub signo sigilloque Nostris, et subscriptione Nostri cancellarii, die... mensis... anni.

N. N. Episcopus N.

† sigillum

De mandato Ill^{mi} ac R^{mi} Episcopi

N. N. Cancellarius

[1] *Codex*, c. 995, §§ 1, 2 Hac aut simili formula Superior religiosus uti potest.

Nos N. N.,

Dilecto in Christo salutem et in Domino benedictionem.

Proposito tuo suscipiendi primam tonsuram (*vel* ordinem...) Nobis formaliter aperto riteque approbato juxta consuetudines et constitutiones nostras, Nos cæterum plane conscii quod canonica ætate ad suscipiendum prædictum ordinem polles, peractis a te studiis de jure requisitis ad normam c. 976, examine de ordine suscipiendo et de aliis canonice requisitis coram... feliciter peracto (*vel* peragendo), canonica lege interstitiorum a te servata, testimonio accepti baptismatis et susceptæ confirmationis jam producto (*vel, si non agatur de prima tonsura*, testimonio ultimæ ordinationis jam producto), cum titulo religiosæ paupertatis a Nobis recognito (*vel* mensæ communis, Congregationis nostræ) fruaris, professione fidei regulariter emissa (vel emittenda) emissoque (vel emittendo) jurejurando contra errores modernistarum, postquam spiritualibus exercitiis jure præscriptis vacavisti (vel vacaveris),

Cum igitur nulla irregularitate nulloque impedimento Nobis cognitis detinearis et qualitatibus ad normam sacrorum requisitis sis Nostro judicio præditus, datis etiam testimonialibus litteris ordinariorum locorum jure præscriptis,

Tibi, auctoritate Nostri officii, virtute præsentium, ut ab Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patre Domino N. N. Episcopo N. in cujus diœcesi domicilium habes, ordinem... recipere possis et valeas licentiam concedimus et facultatem impertimur, reverenter rogantes prædictum Illustrissimum ac Reverendissimum in Christo Patrem, ut ordinem ut supra tibi conferre dignetur.

Datum N... sub signo et sigillo Nostri officii (et subscriptione nostri Secretarii), die... mensis... anni...

N. N.

† sigillum

(De mandato Reverendi N. N.

N. N. Secretarius).

1210. 3° **Prævium examen.** — Quilibet promovendus diligens examen subire debet circa ordinem recipiendum, et, si ordines sacri suscipiendi sint, periculum facere in aliis tractationibus de sacra theologia, servatis Episcopi hac in re statutis [1].

1211. 4° **Banna.** — Nomina promovendorum ad singulos ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis, ita publice denuntianda sunt ad normam sacrorum canonum [2] ut omnes fideles possint obligationem revelandi impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, adimplere.

5° **Ordinarii investigatio.** — Ordinarius percontationes faciat et fieri præcipiat ad normas Codicis (c. 1000) [3] et Instruct. *Congr. de Sacr.*, 27 dec. 1930.

6° **Exercitia spiritualia.** — Omnibus, etiam religiosis, imponuntur ante ordines suscipiendos exercitia spiritualia ad normam sacrorum canonum peragenda [4].

---

[1] *Codex*, cc. 996, 997. "Quilibet promovendus sive sæcularis, sive religiosus debet prævium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum" 996, § 1. "Promovendi vero ad sacros ordines in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant" 996, § 2. "Episcoporum est statuere qua methodo, coram quibus examinatoribus et quibus in tractationibus sacræ theologiæ promovendi periculum facere debeant", 996, § 3. "Hoc examen sive pro clericis sæcularibus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius qui jure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras; qui tamen potest quoque, ex justa causa, illud Episcopo ordinaturo committere qui id oneris suscipere velit", c. 997, § 1. "Episcopus alienum subditum sive sæcularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam § 1 et idoneum repertum, potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur; et si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat", c. 997, § 2.

[2] "Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis, sive solemnibus, sive simplicibus, publice denuntientur in parœciali cujusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest tum ab hac publicatione dispensare ex justa causa, tum præcipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiæ affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur", c. 998, § 1. "Publicatio fiat die festo de præcepto in ecclesia inter Missarum solemnia aut alia die et hora quibus major populi frequentia in ecclesia habeatur", c. 998, § 2. "Si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, repetatur, publicatio nisi aliud Ordinario videatur", 998, § 3. "Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante sacram ordinationem revelandi", 999.

[3] "Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii, si id expedire videatur, Ordinarius committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter exquirat, et litteras testimoniales, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad Curiam transmittat". Codex, c. 1000, § 1. "Idem Ordinarius alias percontationes etiam privatas, si id necessarium aut opportunum judicaverit, facere ne omittat", 1000, § 2.

[4] "Qui ad primam tonsuram et ordines minores promovendi sunt, spiritualibus

Art. II. De iis quæ ordinationem ipsam comitantur.

Quæ ordinationem comitantur respiciunt : 1° *ritum et cæremonias*, 2° *tempus*, 3° *locum* sacræ ordinationis.

1212. 1° **Ritus et cæremoniæ.** — " In quovis conferendo ordine, minister proprios ritus in Pontificali Romano aliisve ritualibus libris ab Ecclesia probatis descriptos, adamussim servet, quos nulla ratione licet præterire vel invertere "[1]. Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari[2]. Si quis, ritu orientali ad aliquos ordines jam promotus, a Sede Apostolica indultum obtinuerit superiores ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit[3]. Omnes ad majores ordines promoti obligatione tenentur sacræ communionis in ipsa ordinationis Missa recipiendæ "[4].

1213. 2° **Tempus.** — " Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum solemnia, die dominico vel natalitio Apostolorum[5]. Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum solemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato

---

exercitiis per tres saltem integros dies; qui vero ad ordines sacros, saltem per sex integros dies vacent; sed si qui, intra semestre, ad plures ordines majores promovendi sint, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies ", 1001, § 1. " Si vero sacri ordines sive beneplacito apostolico, sive decreto Episcopi ad normam can. 1006, § 3, gravi interveniente causa, servatis tamen servandis, præsertim cc. 975-978, distinctis et subsequentibus vel proximis diebus, alicui conferantur, ita ut tempus non suppetat servandi præscriptum can. 1001, § 1, præmissis semper sacro ordini, qui primus erit conficiendus, spiritualibus exercitiis saltem per sex integros dies, ceteris ordinibus, si fieri potuerit, judicio episcopi, ad normam can. 1001, § 2, una saltem dies spiritualis recessus præmittatur ". *C. de Discipl. S.*, 2 maii 1928 (*A. A. S.*, 1928, p. 359). " Si, expletis exercitiis, sacra ordinatio qualibet de causa ultra semestre differatur, exercitia iterentur : secus judicet Ordinarius utrum iteranda sint, necne ", 1001, § 2. " Hæc exercitia spiritualia religiosi peragant in propria domo vel in alia de prudenti Superioris arbitrio; sæculares vero in Seminario, aut in alia pia vel religiosa domo ab Episcopo designata ", 1001, § 3. " De peractis spiritualibus exercitiis Episcopus certior fiat testimonio Superioris domus, in qua peracta fuerint; vel, si de religiosis agatur, attestatione proprii Superioris majoris ", 1001, § 4.

[1] *Codex*, c. 1002. — [2] *Codex*, c. 1003. — [3] *Codex*, c. 1004.

[4] *Codex*, c. 1005. — [5] *Codex*, c. 1006, § 1.

ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto [1]. Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de præcepto [2]. Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen [3]. Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora præcedentibus paragraphis præscripta; quæ servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis aut contra" [4]

"Quoties ordinatio iteranda sit vel aliquis ritus suppiendus, sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora ac secreto" [5], omni die nempe quo missa celebrari potest.

1214. 3° **Locus.** (a) Episcopus extra proprium territorium, sine Ordinarii loci licentia, nequit ordines conferre in quorum collatione pontificalia exercentur i. e., ordines majores, et ordines minores intra Missarum solemnia conferendos, salvo Cardinalium privilegio pontificalia peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario præmonito si Ecclesia sit cathedralis [6]. (b) "Ordinationes *generales*" (i. e., quæ habentur in sex sabbatis quæ sunt proprium tempus pro ordinationibus in sacris) [7] "in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ecclesiæ canonicis, publice celebrentur; si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri potuerit, ecclesia adeatur [8] Non prohibetur autem Episcopus, justa suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam eclesiis itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosæ domus [9]. Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis" [10].

---

[1] *Codex*, c. 1006, § 2.

[2] *Codex*, c. 1006, § 3. Cum nihil dicatur de festis *suppressis*, ut in c. 399, § 1, hic intelligenda sunt sola festa quæ ubique sunt *per se* de præcepto ex c. 1247, § 1.

[3] *Codex*, c. 1006, § 4. — [4] *Codex*, c. 1006, § 5. — [5] *Codex*, c. 1007.

[6] **Augustine**, O. S. B., *A. Commentary*, IV, in c. 1009, censet nomine ordinationum generalium etiam venire eas quæ in uno ex sex sabbatis jure determinatis debuissent celebrari, sed in diem festum, in quo gravi de causa possunt haberi ex c. 1006, § 3, dilatæ sunt.

[7] *Pontific. Rom.*, Ia Pars, t. II, De ordinibus conferendis, § 21.

[8] *Codex*, c. 1000, § 1. — [9] *Codex*, c. 1009, § 2. — [10] *Codex*, c. 1009, § 3.

Art. III. De iis quæ subsequi debent ordinationem.

1215. Ea quæ subsequi debent peractam ordinationem referuntur ad illius *adnotationem*, *testimonium*, *denuntiationem* et *quasdam obligationes ordinatis impositas ab ordinante.*

1° **Adnotatio ordinationis.** "Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur" [1].

2° **Testimonium peractæ ordinationis.** "Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptæ testimonium; qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo custodiendo" [2].

3° **Notificatio ordinationis.** "Præterea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero sæculari, aut Superior major, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratæ ordinationis uniuscujusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi, qui id annotet in suo baptizatorum libro ad normam c. 470, § 2" [3].

1216 4° **Obligationes ordinatis impositæ ab ordinante.** Ante ultimum Evangelium, Ordinans his verbis ordinatos alloquitur: "Singuli ad primam tonsuram, vel ad quatuor minores ordines promoti, dicite semel septem psalmos pœnitentiales, cum litaniis, versiculis et orationibus [4]. — Ad subdiaconatum vel diaconatum, nocturnum talis diei. — Ad presbyteratum vero ordinati, post primam vestram missam, tres alias missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper Virgine, tertiam pro Fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate".

(a) Non constat obligationem illas preces recitandi esse sub peccato; quidam tenent eam ligare sub gravi, quia materia gravis est; alii sub levi; alii dicunt hanc esse obligationem *decentiæ*, non autem sub peccato. Quidquid sit, ordinati qui sensu gratitudinis et religionis non omnino carent, numquam has preces omittent.

---

[1] *Codex*, c. 1010, § 1. — [2] *Codex*, c. 1010, § 2. — [3] *Codex*, c. 1011.

[4] Hic agitur de litaniis sanctorum, cum versiculis et orationibus quæ eas sequuntur.

(b) "Pro *Nocturno talis diei* intelligendus est nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicæ in Psalterio, prouti ordinatio in feria, festo, aut Dominica habita sit"[1]. Attamen Episcopus ordinans jus habet injungendi alium a nocturno diei quem Pontificale designat[2]. Sub nomine nocturni veniunt *antiphonæ* et *psalmi*, non autem invitatorium *Venite*, neque hymnus et lectiones[3]. — Si Episcopus dixerit recitandum esse nocturnum *hujus feriæ*, ordinati non possunt eligere nocturnum qui eis placuerit, sed tenentur ad nocturnum ferialem diei ordinationis.

(c) Neosacerdotes stricte non tenentur tres missas præscriptas applicare ad intentionem Episcopi, quamvis id christiana pietas et gratitudo suadeat; proindeque stipendium pro eis accipere possunt. Nec dicendæ sunt priusquam rubricæ *votivam* missam celebrare permittant, nisi occurrat festum B. M. V. aut dies qua Missa de Spiritu Sancto dicenda est; imo, justa de causa, ulterius licet eas differre.

Scholion : De Pœnis in delicta contra leges de ordinatione.

1217. 1° De Consecratione episcopi sine mandato apostolico. "Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi, vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra præscriptum c. 953, ipso jure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit"[4].

1218. 2° De simonia in ordinibus conferendis aut recipiendis. "Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint... sunt suspecti de hæresi : clerici præterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicæ reservatam"[5].

1219. 3° De receptione ordinum ab indigno ministro. "Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicæ reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines præsumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, hæretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur"[6].

1220. 4° De illicita ordinum collatione. "In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicæ reservatam

[1] *S. C. Rit.*, 27 jun. 1899, n. 4042. — [2] *Codex*, ad 2.
[3] *S. C. Rit.*, 19 jul. 1903, n. 4177.
[4] *Codex*, c. 2370. — [5] *Codex*, c. 2371. — [6] *Ib.*, c. 2372.

ipso facto incurrunt : 1) Qui contra præscriptum c. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint; 2) Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra præscriptum c. 993, n. 4, 994; 3) Qui aliquem ad ordines majores sine titulo canonico promoverint contra præscriptum c. 974, § 1, n. 7; 4) Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quæ sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in c. 966 "[1].

1221. 5° **De illicita ordinum receptione.** "Qui sine litteris vel cum falsis litteris dimissoriis, vel ante canonicam ætatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus : qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus pœnis secundum rerum adjuncta puniatur "[2].

1222. 6° **De injusta coactione ad statum clericalem.** "Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes", quoquo modo cogentes virum ad statum clericalem amplectendum [3].

7° **De illicita concessione dimissoriarum.** "Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra præscriptum c. 958, § 1, n. 3, ipso facto subjacet suspensioni a divinis "[4]. — Superiores religiosi, qui, contra præscriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere præsumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missæ celebratione "[5].

Finem huic tractatui imponentes, in memoriam piorum lectorum revocamus hæc Summi Sacerdotis Verba : "*Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam* "[6].

[1] *Codex*, c. 2373. Ex c. 966, § 1, "tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus diœcesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam c. 1006, § 2, vel denique cum diœcesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat".

[2] *Codex*, c. 2374. — [3] *Codex*, c. 2352. — [4] *Codex*, c. 2409. — [5] *Codex*, c. 2410.

[6] *Matth.*, IX, 37; cfr. *Luc.*, X, 2.

INDEX RERUM ALPHABETICUS[1]

Abbates regulares quoad ordinationem, 1158.

Absentia diuturna conjugis non est sufficiens mortis indicium, nisi aliis suffulta probationibus, 977.

Absolutio *sacramentalis* : historia absolutionis, 81-84; forma rubricalis, 85; verba ad validitatem et liceitatem requisita, 85-87; modus quo proferri debet, 88; absenti collata, 91; per telephonium, 92; absolutio deprecativa, 84; conditionata, quoad validitatem, 94-96; quoad liceitatem, 97.

Absolutio *a reservatis*, 457-460; conditiones ad hanc absolutionem, 461-462.

Absolutio *quandonam* concedenda, 490; quando neganda, 491-492; vel differenda, 493-495.

Absolutio *complicis* in peccato turpi, 574; quandonam sit invalida, quandonam illicita, 579-583; qua excommunicatione plectatur, 584-586.

Actus *heroicus caritatis*, 664; ejus privilegia, 665.

Adoptio legalis, quatenus impedimentum matrimonii, 959; 1007-1009.

Adulterium non est causa sufficiens divortii, 752-756; est causa separationis a toro et mensa, 794-795; est impedimentum dirimens, si committitur cum promissione vel attentatione matrimonii, 1029; aut cum conjugicidio, 1030.

Ægrotorum cura et visitatio, 567; confessio, 568; pii affectus ægrotis suggerendi, 571.

Ætas ad matrimonium requisita, 971-974; ætas superadulta feminæ, causa dispensationis matrimonialis, 1066; ætas ad varios ordines requisita, 1175.

Affinitas quatenus est impedimentum dirimens : notio et origo, 1010; ejus extensio, 1011; multiplex affinitas, 1012; dispensatio ab affinitate, 1014.

Agonizantes quomodo juvandi, 572-573.

Altaris *privilegiati* indulgentia, 650-651.

Alumni *Regularium* convictores, et alumni *Seminariorum* quoad confessionem et absolutionem, 435.

Amentia, quatenus vitiat consensum matrimonialem, 714; ut est irregularitas, 1189.

Americanæ leges de Matrimonio, 1112, 1114, 1117, 1119, 1121.

Amor Dei perfectus et imperfectus, 289-291; amor Dei initialis num requiratur in attritione? 311-314; amor spei ad justificationem sufficit in Sacramento Pænitentiæ, 309-310; amor spei et gratitudinis, ad justificationem, absque reali susceptione sacramenti non sufficit nisi in amorem perfectum vertatur, 305.

Anglicæ leges de Matrimonio, 1111, 1113, 1116, 1118, 1120.

Angustia *loci*, una e canonicis causis pro dispensatione matrimoniali, 1065.

Animi *defectus* utpote irregularitas, 1189.

Apostasia a fide, causa separationis a toro et mensa, 796.

Articulus mortis : jurisdictio hoc tempore omnibus collata, 428; speciales facultates Ordinariis et sacerdotibus concessæ quoad dispensationes matrimoniales in articulo mortis, 1049, 1057.

Assistentia parochi qualis esse debeat ad matrimonium, 912, 916-917.

Attritio : ejus notio, 291; ejus honestas, 306; ejus sufficientia ad justificationem, quando recipitur absolutio, 309; ejus dotes, 316.

[1] In hoc Indice lectores remittimus ad NUMEROS MARGINALES.

Bannorum matrimonialium notio et origo, 879; obligatio ea promulgandi, 880; de loco ubi promulgari debent, 884; de tempore quo promulgari debent, 887; bannorum forma, 888; dispensatio in bannis, 889; obligatio revelandi impedimenta ex bannis oriens, 891-892.

Benedictio nuptialis, 925; benedictio papalis in articulo mortis, 646; conditiones ad lucrandam indulgentiam huic benedictioni annexam, 647-648; ritus ad hanc benedictionem impertiendam, 649.

Beneficii titulus ad ordinationem, 1180.

Bigamia, institutioni primævæ matrimonii contraria, sed Patriarchis et Judæis permissa, merito Nova Lege prohibetur, 733-735; bigamia, quatenus irregularitas canonica, 1190.

Bona fides : quandonam liceat pænitentes in bona fide relinquere? 484.

Cæremoniæ in administratione sacr. Pænitentiæ, 93; in celebratione Matrimonii, 923.

Capellani militum qua jurisdictione polleant, 424.

Cardinales quam jurisdictionem in foro interno habeant, 412; eorum privilegium eligendi confessarium, 423.

Caritas erga Deum perfecta et imperfecta, 289.

Castitatis votum *simplex* ut impedimentum matrimonii *prohibens*, 938-944; castitatis votum *solemne* quatenus impedimentum *dirimens*, 979-981.

Casus *reservati*, 445; quinam possint reservare casus? 448; conditiones ut peccatum sit reservatum, 450; præcipui casus reservati, 455; absolutio a casibus reservatis, 457-462.

Causæ dispensationum : necessitas et species, 1061; præcipuæ causæ exponuntur, 1064-1071; quo tempore veræ esse debent? 1072.

Circumstantiæ *peccatorum* speciem mutantes, 221; notabiliter aggravantes, 223-228.

Civile *matrimonium* quo sensu reprobatur, 845; Regulares matrimonium civile contrahere præsumentes excommunicationem incurrunt, 980; leges civiles de matrimonio quo sensu servandæ? 1107.

Clandestinitas ut defectus formæ solemnis invalidat matrimonium, 905; ubinam vigebat impedimentum vi decreti *Tametsi*, 906-907; quinam huic decreto subjiciebantur? 908; De clandestinitate ad formam novi juris, 914-922.

Claudus, quatenus sit irregularis, 1188.

Clausulæ dispensationibus matrimonialibus annexæ, 1090.

Cognatio, 986; vide *consanguinitas; cognatio legalis*, 959, 1007; *spiritualis*, quatenus oritur ex Baptismo, 1002; inter quas personas impedimentum matrimonii inducat? 1003; conditiones ut hoc impedimentum incurratur, 1004; de dispensatione in hoc impedimento, 1005; discrimen novi ab antiquo jure, 1006.

Clavium potestas Ecclesiæ fuit a Christo collata, 20; actu judiciali exercetur, 29; distinguitur a potestate remittendi peccata ante baptismum commissa, 30.

Commutatio pænitentiæ sacramentalis, 389-392.

Complicis *in peccato turpi* absolutio omnino prohibetur, 574; quid per hanc complicitatem intelligatur? 575-577; complicis absolutio invalida est et illicita, 579; imo excommunicatione plectitur, 584.

Complicis *nomen inquirere* prohibetur in confessione, 254; licet tamen accusare peccata quæ sine diffamatione complicis manifestari nequeunt, 250-253.

Componenda pro dispensationibus aliquando solvenda, 1091.

Conditio *matrimonio* apposita : ejus *liceitas*, 707; *validitas*, si de præte-

rito vel de præsenti, 708; de futuro, 709; de futuro inhonesto contra matrimonii substantiam, 710-712. *Conditio sponsalibus* apposita, 856-860.

Conditionata absolutio, 94-99.

Confessarius : ejus varia munera, 473; obligatio confessiones audiendi, 465; scientia competens confessario necessaria, 468; prudentia qua pollere debet, 470; bonitas vitæ ac virtutes eidem necessariæ, 472; ejus officium quoad pænitentes interrogandos, 474; obligatio docendi pænitentes, 480; eosdem monendi, 483; eos rite disponendi, 486; eisdem remedia suggerendi, 488; quoad absolutionem concedendam, 490; denegandam, 491; differendam, 493; obligatio defectus seu errores commissos corrigendi, 496; sigillum inviolabiliter servandi, 502-520. — Confessarii specialis agendi ratio cum pueris, 523; cum rudibus, semifatuis et mutis, 527; cum occasionariis, 530; cum consuetudinariis, 542; cum recidivis, 545; cum piis, 553; cum moribundis, 561-573.

Confessarius *Religiosarum*, sive ordinarius sive extraordinarius, 439-444.

Confessionis notio, 188; divina institutio et necessitas, 132; præceptum, 161; dotes, 191; integritas, 197; confessio specificæ malitiæ, 211; numeri, 216; circumstantiarum quæ speciem mutant, 221-223; quæ malitiam aggravant, 224; confessio peccatorum dubiorum, 229; confessionis iteratio, 268; confessio generalis, 278; confessio pro indulgentiis lucrandis, 628; pro jubilæo, 636; confessio sponsorum, 902; confessionis schedula, 520.

Conjuges quoad cohabitationis officium, 787; virtutes quas colere debent, 789-792.

Conjugicidium mutua conspiratione patratum est impedimentum matrimonii, 1031; cum adulterio mixtum, 1030; dispensatio in hoc impedimentum difficilis, 1033.

Consanguinitas utpote matrimonii impedimentum, 986; graduum computatio, 988; arbor consanguinitatis, 990; extensio hujus impedimenti, 992; multiplex consanguinitas, 995; de modo inveniendi gradus consanguinitatis, 998-1001.

Conscientiæ *examen* confessioni præmittendum, 198; diligentia in eo habenda, 199; methodus in eodem servanda, 202.

Conscientiæ *matrimonia*, 931.

Consensus *matrimonialis* ut materia et forma sacramenti, 828; ejus dotes, 697; consensus conditionatus quoad liceitatem et validitatem, 707; ab eo datus qui falso putat se impedimento ligari, 713. Consensus renovatio ad revalidandum matrimonium, 1100; præsertim quando altera pars moneri non potest, 1102.

Consuetudinarius quis dicatur, 542; quandonam absolvi possit, 543-544.

Contritionis notio, 286; contritio perfecta, 290; contritio imperfecta, 291; contritionis necessitas in sacramento, 293; efficacia contritionis perfectæ, 296-305. Contritio, quatenus materia proxima sacramenti, 78. Contritio debet esse *interna*, 317; *supernaturalis*, 322; appretiative *summa*, 326; *universalis*, 329; in ordine ad sacramentum, 337; an sufficiat contritio virtualis? 341; an requiratur novus contritionis actus, si post absolutionem novum peccatum grave accusatur, 343.

Copula non est essentialis pars matrimonialis contractus, 695; copula incestuosa quatenus est causa dispensationis matrimonialis, 1069.

Coronæ precatoriæ quibus indulgentiæ adnectuntur, 656-659.

Corporis *defectus* quatenus irregularitatem inducunt, 1187.

Criminis *impedimentum*, 1028; adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii, 1029; adulterium cum conjugicidio, 1030; conjugicidium mutua conspiratione

patratum, 1031; modi quibus multiplicatur hoc impedimentum, 1032; an incurratur ab ignorantibus? 1033; dispensatio in hoc impedimento, 1033.

Cultus *disparitas*, quatenus impedimentum dirimens, 1019-1022.

Decretum *Tametsi* explanatur, 906.

Defectus in confessione corrigendi circa validitatem sacramenti, 497; circa integritatem, 499; circa obligationes pænitentis, 500. — Defectus mentis quatenus irregularitatem inducunt, 1189; defectus corporis, 1187.

Delegata jurisdictio : ejus discrimen ab ordinaria, 419; quinam delegare possunt? 420; quibus modis? 422; de acquisitione et amissione jurisdictionis delegatæ, 425.

Delegatio ad Matrimonium quomodo concederetur secundum decretum *Tametsi*, 911; quomodo fieri debeat juxta *jus novum*, 917.

Denuntiatio sollicitantium confessariorum quandonam obliget? 588; quosnam? 595; quænam causa excuset? 597; de modo denuntiationem faciendi et excipiendi, 599.

Diffamatio quo sensu excuset ab integritate materiali confessionis, 246.

Dimissoriæ litteræ, 1151-1159.

Disparitas cultus quatenus impedimentum dirimens, 1019-1022.

Dispensatio matrimonialis : notio et ratio cur concedatur, 1036; species, 1037; auctor dispensationum, 1041; causæ dispensationum, 1061; modus petendi dispensationes, 1073; vitia in dispensationibus et eorum sanatio, 1084; modus exsequendi dispensationes, 1086. Dispensationis effectus, dispensatio *in radice*, quomodo a simplici dispensatione distinguatur, 1103; conditiones ad eam concedendam, 1104.

Dispensatio ab irregularitate, 1202-1205.

Divortium plenum juri naturali oppositum, 742; juri divino contrarium, 750; sub lege mosaica toleratum, 751; legi evangelicæ contrarium, 752; divortium civile est gravissimum malum, 771; quandonam permittatur sententia divortii civilis? 773; controversia de liceitate divortii civilis, quando excluditur intentio novas nuptias ineundi? 775; conclusiones practicæ quoad conjuges, 781; advocatum, 782; judices, 783; consectaria divortii quoad hæreditatem, 785.

Divortium *semi-plenum*, seu separatio quoad torum et habitationem, quandonam liceat? 793; quibus de causis? 794; de modo in separatione servando, 799.

Dolor de peccatis, 286 ; cfr. *Contritio*.

Domicilium quoad banna, 885-886; quoad matrimonium coram proprio parocho, 883; quoad ordinationem, 1148.

Dubia peccata an sint accusanda? 230; quid de peccatis certo commissis et dubie accusatis? 232; de peccatis ut dubiis accusatis, quæ postea certo commissa reperiuntur, 233. De jurisdictione dubia, 430. An liceat contrahere cum impedimento dubio? 969; quid de irregularitate dubia? 1185.

Ebrii possuntne valide matrimonium contrahere? 716.

Ecclesiæ jura quoad matrimonium, 839 sq.

Ecclesiæ vetitum quo sensu prohibet matrimonium, 936.

Ecclesiæ visitatio ad lucrandas indulgentias, 637.

Educatio prolis est unus e matrimonii finibus, 676; in casu separationis, cui committenda? 801.

Effectus peccati, quandonam declarandus in confessione, 213.

Eleemosyna pro Jubilæo præscripta, 640.

Epileptici quatenus sunt irregulares, 1189.

In hoc Indice lectores remittimus ad NUMEROS MARGINALES.

Episcopus sibi eligere potest confessarium, 423; ejus potestas sibi reservandi casus, 440; dispensandi in impedimentis matrimonii jure proprio, 1047; potestate ordinaria, sed vicaria, 1048; potestate delegata, 1053; Episcopus *proprius* quoad ordinationem, 1148; quoad regulas canonicas in ordinatione servandas, 1147 sq.

Error quatenus invalidat matrimonium : circa naturam vel essentiales proprietates matrimonii, 717; circa personam, 718; circa personæ qualitates, 719; circa conditionem servilem alterius partis, 720.

Examen conscientiæ confessioni præmittendum, 257-266.

Examen ordinandorum, 1210.

Examen sponsorum a quo perficiendum, 875; objectum circa quod versari debet, 876-878.

Exomologesis, seu confessio sacramentalis, 188; v. *Confessio.*

Extraordinaria contritionis signa, 549; extraordinariæ gratiæ devotis concessæ quomodo dignoscendæ, 560.

Falsa accusatio sollicitationis est casus Papæ reservatus, 455.

Fictus consensus in matrimonio, 700-701.

Forma sacramenti Pænitentiæ, 80; forma essentialis, 850; modus quo forma proferri debet, 83-92; forma conditionata, 94-99. — Forma sacram. Matrimonii, 828.

Forum : dispensationes pro foro interno vel externo concessæ, 1039.

Gallicæ leges de Matrimonio, 1122-1131.

Germanicæ leges de Matrimonio, 1137-1141.

Hæresis ut causa separationis a toro et mensa, 796.

Hæretici quatenus impedimentis dirimentibus subjiciuntur, 966; quoad absolutionem in periculo mortis, 565; quatenus irregulares, 1195.

Hæreticorum filii ab ordinatione impediti, 1200.

Heroicus caritatis actus, 664.

Homicidium quatenus irregularitatem inducit, 1196.

Honestas publica quatenus impedimentum dirimens, 1016-1018.

Ignorantia an excuset a reservatione, 452-453; ignorantiam pænitentium dispellere debet confessarius, 480; ignorantia non excusat ab impedimentis dirimentibus, 967; quo sensu ab irregularitate excuset, 1185.

Illegitimi quatenus sunt irregulares, 1186.

Impedimenta sacramentum Matrimonii dirimentia ab Ecclesia statui possunt, 840; non autem a Statu, 843.

Impedimenta in genere, 933; *impedientia* in specie, 935; votum simplex perpetuæ castitatis, 939; votum virginitatis, 940; votum non nubendi 941; votum suscipiendi ordines sacros, 942, votum amplectendi statum religiosum, 943; impedimentum mixtæ religionis, 945-958.

Impedimenta *dirimentia*, 960; quinam eisdem subjiciantur? 965; quænam causæ ab eis incurrendis excusent? 967; quid de impedimentis *dubiis?* 969.

Impedimenta ætatis, 971; affinitatis, 1010; cognationis spiritualis, 1002; cognationis legalis, 1007; consanguinitatis, 986; criminis, 1028; disparitatis cultus, 1019; honestatis publicæ, 1016; ligaminis, 975; ordinis, 982; raptus, 1023; voti, 979.

Impedimenta quoad ordinationem, 1200.

Imperfectiones, num sint materia confessionis sacramentalis? 205.

Impuberes quoad casus reservatos, 451.

Incestuosa copula tanquam dispensationis causa, 1069.

Indispositi pænitentes ad absolutionem sunt disponendi, 486; signa indispositionis, 492.

Indissolubilitas matrimonii ex jure naturali, 742; ex jure divino, 752; quoad infideles, 757.

Indulgentiæ notio, 603; species, 604; potestas eas concedendi, 609; quo sensu defunctis applicantur, 618; auctoritas quæ valeat indulgentias concedere, 620; quibusnam concedi possint indulgentiæ? 623; conditiones ad lucrandas indulgentias, 624; suspensio indulgentiarum, 629; translatio aut cessatio indulgentiarum, 630-631; indulgentia Jubilæi, 632; regulæ ad veras indulgentias ab apocryphis distinguendas, 645; indulgentia in articulo mortis, 646; indulgentia altaris privilegiati, 650; indulgentiæ Viæ Crucis, 652; indulgentiæ Rosariis annexæ, 656; indulgentiæ Scapularibus annexæ, 660; indulgentiæ actui heroico annexæ, 664-665.

Infamia mulieris ut causa dispensationis matrimonialis, 1069; infamia quatenus irregularitas, 1191.

Infideles non directe subjiciuntur ecclesiasticis impedimentis, 965; eorum matrimonium, quamvis validum ut contractus, solvi potest ob privilegium fidei, 757; conditiones ad hoc requisitæ, 762; infideles polygami conversi quamnam uxorem retinere possint? 764; num matrimonium in infidelitate contractum et consummatum auctoritate Papæ solvi possit? 765.

Informe sacramentum Pænitentiæ, 334.

Initialis amor Dei quo sensu in attritione requiratur, 311-314.

Integritas confessionis materialis et formalis, 197; quo sensu necessaria, 199; integritas quoad speciem peccatorum, 211; quoad actum externum peccati, 213; quoad effectum ex peccato secutum, 214; quoad numerum peccatorum, 216; quoad circumstantias speciem mutantes, 221; quoad circumstantias aggravantes, 223; quoad peccata dubia, 229; vitia integritati opposita, 234; causæ ab integritate materiali excusantes, 239.

Intentio quænam requiratur ad lucrandas indulgentias? 625.

Interpres : num confessio per interpretem sit necessaria? 244; an sigillo confessionis vinctus? 510.

Interrogatio pænitentis a confessario quousque sit necessaria, 474; moderata esse debet, 476; discreta, 477; opportuna, 478.

Interstitia in ordinum susceptione servanda, 1178.

Irregularitas : notio et species, 1183-1184; subjectum et multiplicatio irregularitatum, 1185. Irregularitates ex defectu, 1186-98; irregularitates ex delicto, 1194-99. De cessatione irregularitatum, 1201; præsertim per dispensationem, 1202.

Italicæ leges de Matrimonio, 1132.

Iteratio confessionis, quandonam necessaria? 271; quomodo instituenda? 272; quandonam utilis? 278.

Jejunium ad lucrandum Jubilæum extraordinarium, 639.

Jubilæum : notio et species, 633; opera exsequenda ad Jubilæum lucrandum, 635; facultas eligendi confessarium, 641; indulgentiæ et facultates tempore Jubilæi suspensæ, 642.

Judicium idoneitatis collationi jurisdictionis prævium, 406-410.

Jurisdictio in sacramento Pænitentiæ necessaria etiam ad validitatem, 116-124; jurisdictio *ordinaria*, 411-418; *delegata* jurisdictio? 419-421; varii modi quibus acquiritur, vel amittitur, 425-426; jurisdictio in navigantes, 423. De jurisdictione in *periculo mortis*, 428; in casu erroris communis, 429; de jurisdictione probabili et dubia, 430-431. De jurisdictione Religiosorum, 432;

quoad Religiosas, 439-444; de limitatione jurisdictionis per casus reservatos, 445-462.

Leges de Matrimonio quis ferre possit? 840-846; leges *civiles* de Matrimonio quo sensu servandæ sint, 1107-1110; leges civiles de Matrimonio in Anglia et America, 1111-1121; in Gallia, 1122-1131; Germania, 1137-1141; Italia, 1132-1136. Lex civilis divortii quo sensu mala, 771-779.

Liber esse debet consensus matrimonialis, 699; consensus sponsalitius, 851.

Ligamen est impedimentum dirimens, 975; quomodo solutio ligaminis per mortem alterius conjugis probari valeat, 976.

Litteræ dimissoriæ, 1151-1157. Per litteras confiteri aut absolvere neque validum neque licitum est, 91.

Magistratus quoad divortium civile, 772; an possint assistere matrimonio civili eorum qui, manente priori vinculo, novas nuptias inire attentant? 784.

Mariti officia erga uxorem, 787-792.

Materia *remota* sacram. Pænitentiæ, 75; *proxima*, 76-79; materia proxima et remota Matrimonii, 828.

Matrimonium ut contractus, et sacramentum, 688; validum aut invalidum, 699; legitimum vel ratum, ratum vel consummatum, 669; matrimonii materia et forma, 828; minister, 825; celebratio matrimonii, 923; Matrimonii unitas, 730; ejus indissolubilitas, 739-802.

Matrimonii *impedimenta*, 933; vide *Impedimenta; revalidatio*, 1097; vide *Revalidatio*.

Matrimonia mixta ab Ecclesia reprobata, 946; conjugum felicitati nocent, 948; parti catholicæ periculosa, 949; necnon proli exinde natæ, 950; media a Pastoribus adhibenda ut catholicos ab his nuptiis avertant, 953; conditiones necessariæ ad dispensationem obtinendam, 956; modus matrimonia mixta celebrandi, 957-958.

Medicæ artis exercitium quandonam irregularitatem inducat? 1198.

Mendacium in confessione quandonam sit grave sacrilegium? 234-238.

Metus quatenus consensum matrimonii vitiat, 721 : relative gravis, 723; a causa extrinseca injuste incussus, 724-725; ita ut ab eo quis se liberare nequeat nisi matrimonium eligendo, 726; quo jure matrimonium dirimat, 727.

Militum banna, 886.

Minister sacramenti *Pænitentiæ*, 100; duplex potestas in eo requisita, 101-102; jurisdictio qua indiget, 411-462; ejus officia in genere, 463-464; in specie, cfr. *Confessarius*.

Ministri sacr. *Matrimonii* sunt ipsi contrahentes, 825-827.

Ministri ordinationis, 1144-1150.

Minores quoad proclamationem bannorum, 886; quomodo indigeant consensu parentum ad matrimonium, 898-900.

Missionis titulus ad ordinationem, 1182.

Mixta religio ut impedimentum prohibens, 946; vide *Matrimonia mixta*.

Moniales votorum solemnium et votorum simplicium, 439; de earum confessario ordinario et extraordinario, 440-444.

Moribundi : quinam absolvi possint? 561-562; de catholicis, 564; de schismaticis et hæreticis, 565; de eis qui videntur mortui, 566; modus visitandi moribundos, 567; eorum confessionem audiendi, 568; remedia contra tentationes suggerendi, 570; eos juvandi in ultimo agone, 572; indulgentiam in articulo mortis impertiendi, 646-649.

Morganatica matrimonia, 932.

Mortis articulus aut periculum : in eo omnis sacerdos absolvere potest ab omnibus peccatis et censuris, 428.

Mulieres sunt ordinum incapaces, 1160.
Muti quoad confessionem, 243; quomodo indulgentias lucrari valeant, 628.
Mutilatio quo sensu sit irregularitas, 1197.

Natalium defectus est irregularitas, 1186.
Neo-conversis, sub conditione baptizatis, obligatio inest confitendi peccata, 169.
Neophytus : quis sit ejus Episcopus proprius ratione originis? 1149, n. 5; quo sensu impeditus ad ordinationem? 1200.
Neo-presbyter quoad tres missas in ordinatione injunctas, 1216.
Novitii quoad confessionem, 433,435.
Numerus peccatorum quomodo accusandus, 216; quandonam sufficiat numerus *confusus*, 217.

Oblivio quatenus et quamdiu excusat ab integritate confessionis, 242,240.
Occasio peccati proxima et remota, absoluta, relativa, continua vel interrupta, voluntaria aut necessaria, 530-532. Præcipuæ occasiones peccati, 533. Regulæ quoad occasionem proximam et *voluntariam*, 534; quoad occasionem proximam *necessariam*, 538. Media quibus occasio moraliter removeri potest, 541; ratio agendi quoad eos qui, in occasione necessaria versantes, semper eodem modo relabuntur, 541.
Occisio justa vel injusta quatenus irregularitatem inducit, 1196-1198.
Occultum impedimentum, 650; facultates Episcoporum quoad occulta impedimenta, in casu urgenti, 656; quid confessarii valeant quoad impedimentum occultum in casu urgentissimo? 657; revalidatio matrimonii quando nullitas est occulta, 687, 688, 689.
Ordinatio : quæ ordinationi *præire* debent, 1206-1211; quæ eam *comitantur*, 1212-1214; quæ eam *sequuntur*, 1215-1222.
Ordo ut sacramentum : de *Ministro* ordinis, 1144; quis sit proprius Episcopus quoad ordinationem? 1148. De subjecto ordinationis, 1160-1163 : ejus vocatio, 1164-1171; requisita ad licitam ordinationem, 1172-1182; irregularitates, 1183-1199; simplicia impedimenta, 1200; cessatio irregularitatum et impedimentorum, 1201-1205.
De iis quæ ordinationi *præire* debent, 1209; quæ eam comitantur, 1212; subsequuntur, 1215-1216.
Votum suscipiendi ordines quomodo matrimonio contrahendo obstet, 942; susceptio ordinis sacri est impedimentum dirimens, 982-985.
Origo matrimonii, 681-689.

Pacis bonum ut causa dispensationis matrimonialis, 1068.
Parentum consensus quo sensu necessarius ad minorum matrimonium, 898-901.
Parochus jurisdictionem habet ordinariam in suos subditos, 414; eos ubique absolvere valet, 417; ex justitia subditorum confessiones audire tenetur, 465; etiam cum periculo vitæ in casu extremæ necessitatis, 466; ejus officia quoad visitationem infirmorum, 567; quoad sponsorum visitationes, 874; quoad sponsorum examen, 875; in recipiendis revelationibus post bannorum promulgationem, 893.
Parochus proprius relate ad matrimonium, secundum *Tametsi*, 909; secundum *Codicem*, 916-922.
Patrimonii titulus ad ordinationem, 1181.
Patrini impedimentum incurrunt cum baptizato, 1003; conditiones ad incurrendum tale impedimentum, 1004.
Paulinum privilegium, 757.
Pauperes quoad dispensationem matrimonialem, 1091.

Paupertas viduæ ut causa dispensationis, 1067.

Peccata quatenus materia confessionis, 75; quænam sint materia necessaria? 199; quænam peccata sint materia libera? 203; quænam sint materia dubia, 205; quid de accusatione generica peccatorum? 207. Peccatorum species accusanda, 211; quid de actu externo peccati, 213; de numero peccatorum internorum, 216-219; de peccatis dubiis, 229-233.

Peregrini a quibus absolvi possint? 416.

Perfectio christiana ad quam confessarii pios pænitentes ducere debent, 555; media generalia ad perfectionem consequendam, 556; media specialia, 557.

Perinde valere quid sit? 1085.

Perplexus casus hodie facile solvitur, 1059.

Pii pænitentes quomodo dirigendi? 554; eorum tentationes quomodo superandæ? 558; quid de gratiis extraordinariis eisdem concessis? 560.

Pænitentia ut *virtus :* notio, et varia elementa, 5; necessitas, 9; quandonam præceptum pænitentiæ obliget? 12-15.

Pænitentia ut *sacramentum :* notio, 68; existentia sacramenti Pænitentiæ; 70; necessitas illud recipiendi, 129; ex præcepto divino, 161; ex præcepto ecclesiastico, 162. — Materia remota hujus sacramenti, 75; materia proxima, 75-79; forma, 80-93; forma conditionata, 94. — Minister hujus sacramenti, 100. — Effectus sacramenti Pænitentiæ, quoad peccata, 169-172; quoad pœnam peccato debitam, 173-175; quoad meritorum reviviscentiam, 176; quoad peccatum veniale, 182-186.

Pænitentia *sacramentalis*, seu satisfactio, 355; obligatio pro confessario eam imponendi, 356,367; et pro pænitente eam adimplendi, 393; tempus quo imponi debet, 370; qualitates sacramentalis pænitentiæ, 371-388; causæ præcipuæ pænitentiæ, 383-388. A quo et quomodo pænitentia commutari possit? 389-390. Utrum pænitentia sub gravi impleri debeat? 393; de modo eam adimplendi, 398-400.

Pænitentiaria in quibusnam impedimentis dispenset? 1044; formula dispensationis adhibenda quando ad S. Pænitentiariam recurritur, 1076; modus exsequendi dispensationes S. Pænitentiaria concessas, 1088.

Pœnæ contra violantes leges de ordinatione, 1217-1222.

Polyandria juri naturali saltem secundario adversatur, 730; *Polygamia*, seu *Polygynia* simultanea juri evangelico est contraria, 732; polygamia successiva licet, 777.

Pontifex (S.) ordinaria jurisdictione pollet quoad universam Ecclesiam, 412; leges condere potest de Matrimonio, 840; in omnibus impedimentis ecclesiasticis dispensare, 1041; solvere Matrimonium ratum et non consummatum, 766.

Potestas ordinis et jurisdictionis, in sacramento Pænitentiæ requisita, 100-124; potestas clavium, ligandi atque solvendi, 17; potestas remittendi peccata Ecclesiæ collata, actu judiciali exercenda 20; ritu sacramentali distincto, 70.

Prælati Regulares jurisdictionem ordinariam habent in subditos, 415; quid possint quoad subditorum ordinationem? 1158.

Preces pro lucrandis indulgentiis, 628; ab ordinatis recitandæ, 1216.

Presbyteratus : ætas requisita, 1175; scientia, 1176.

Principes laici quoad impedimenta matrimonii, 843, 846.

Procurantes abortum sunt irregulares, 1196.

Procurator in matrimonio contrahendo sub certis conditionibus adhiberi potest, 706.

Promissio matrimonialis, 848; vide *Sponsalia.*

Propositum non peccandi de cetero, 344; ad omnia mortalia sese extendere debet, 345; firmum esse, 346; efficax, 347; an formale et explicitum? 348; propositum quoad venialia, 350.

Prudentia in confessario requisita, 470; media quibus acquiri potest, 471.

Puerorum confessio : quomodo excipiendi et interrogandi, 523; ad contritionem hortandi, 525; quandonam absolvendi? 526.

Quasi-domicilium quoad matrimonium, 920.

Raptus ut impedimentum matrimonii, 1024; conditiones ut matrimonium dirimat, 1025.

Ratum matrimonium, quid? 669; quomodo dissolvitur, 766.

Recidivi materialiter et formaliter, 545; quandonam absolvi possint? 547; quomodo disponi? 550; quandonam et quomodo eorum absolutio sit differenda? 552.

Religiosi etiam exempti jurisdictione ab Ordinario indigent ad audiendas confessiones sæcularium, 432; quomodo jurisdictionem quoad domesticos obtineant? 433; quomodo ipsi absolvantur intra et extra monasterium? 436; a quibus ordinari valeant? 1158; sibi eligere possunt confessarium tempore Jubilæi, 641; nequeunt visitationes ecclesiarum ab Episcopo præscriptas pro Jubilæo peragere in ecclesia propria, 607.

Remedia pænitenti assignanda, 488.

Reservati casus, 445; vide *Casus reservati.*

Revalidatio matrimonii : de separatione conjugum prævia ad revalidationem, 1097; de convalidatione ob defectum consensus, ob defectum formæ solemnis 1101; ob impedimentum, 1102; de revalidatione per *sanationem in radice,* 1103-1106.

Ritus ordinationis sedulo servandi, 1212.

Rosarium S. Dominici, 656; S. Birgittæ, 657; alia Rosaria, 659.

Rudes quomodo instruendi ante absolutionem, 473; juvandi in conscientiæ examine, et in contritione concipienda, 527.

Sabbatinum privilegium quid sit, 663.

Sacerdotibus potestas concessa dispensandi in impedimentis matrimonii, 1057-1060.

Sævitiæ graves ut causa separationis a toro et mensa, 793.

Sanatio in radice quid sit et quomodo a simplici dispensatione distinguatur, 1103; conditiones requisitæ ad dispensationem in radice, 1104; qua formula confessarius uti possit, 1106.

Satisfactio ut pars sacr. Pænitentiæ, 367; vide *Pænitentia.*

Scapularia præcipua, 660; conditiones ad lucrandas indulgentias ex parte scapularis ipsius, 661; benedictionis et impositionis scapularis, 661; suscipientis, 662; gestationis scapularis, 662.

Schedula confessionis, 520.

Schismatici num absolvi possint in articulo mortis? 565.

Semi-fatui quoad confessionem et absolutionem, 528; quoad matrimonium, 715.

Servilis conditio quatenus obstat matrimonio, 720.

Sigillum sacramentale sub gravi obligat ex jure naturali, divino et ecclesiastico, 503; nulla ratio ab eo excusat, 507; quinam ad hoc secretum teneantur? 509; quid sub sigillo cadat? 512; quomodo lædatur directe? 515; indirecte? 516.

Solemnis forma matrimonii, 905-922.

Solemnitates nuptiarum tempore clauso prohibentur, 927.

Sollicitatio ad turpia in sacro tribunali quam stricte prohibeatur, 587;

conditiones ad peccatum sollicitationis requisitæ, 588; quid intelligatur per sollicitationem ad *turpia?* 589; a sacerdote *ut confessario* factam? 590; cum relatione ad confessionem? 591; obligatio sollicitantes denuntiandi, 595; modus excipiendi et faciendi denuntiationem, 599; de pœnis contra sollicitantes, 601.

Species peccatorum in confessione declaranda, 211; quid de circumstantiis speciem mutantibus? 221.

Sponsalia cur Matrimonio præmittantur, 849; conditiones necessariæ ad validitatem sponsalium, 850; de sponsalibus sub conditione initis, 856; de effectibus sponsalium, 861; de sponsalium dissolutione, 865; de agendi ratione confessariorum quoad sponsalia, 872.

Subdiaconatus an suscipi possit cum Minoribus? 1178; ætas requisita, 1175; scientia, 1176.

Superior uti nequit notitia ex confessione accepta ad externam gubernationem, 518.

Surdi aut *surdastri* quoad confessionem, 246; quoad irregularitatem, 1188.

Surdo-muti quoad confessionem, 243; indulgentias, 628; matrimonium, 704.

Telephonium : num absolutio data per telephonium valida sit? 92.

Tempus clausum seu feriatum quatenus prohibet solemnitates matrimonii, 927.

Tentationes devotorum moribundorum quomodo superandæ, 558-570.

Tepiditas proficientibus periculosa, 558.

Testes relate ad Matrimonium, 913-918.

Thesaurus Ecclesiæ ex quo indulgentiæ depromuntur, 611.

Timor filialis, servilis et serviliter servilis, 291.

Titulus ordinationis, 1179; titulus beneficii, 1180; titulus servitii Ecclesiæ, 1182; titulus missionis, 1182; titulus patrimonialis, 1181.

Tonsura ecclesiastica post incœptum cursum theologicum accipienda, 1175.

Unitas matrimonii, 730.

Universalitas contritionis quoad mortalia, 329; non requiritur quoad venialia, 330. Universalitas propositi, 345.

Usurpatio exercitii ordinis sacri irregularitatem inducit, 1199.

Uxor regulariter virum sequi tenetur, 788; amorem, fidem, juvamen et obedientiam præstare viro, 789-792.

Vagi quoad absolutionem, 416; quoad banna, 885; quoad testimonium de statu libero, 877; quoad matrimonii celebrationem, 920.

Via crucis : conditiones ad lucrandas indulgentias, 653, ad canonicam erectionem stationum ac crucium benedictionem, 653; de modo quo exercitium Viæ crucis peragi debet, 654; de crucifixis Viæ Crucis, 655.

Vicarii quatenus matrimoniis assistere valeant, 916.

Violentia seu vis matrimonium invalidat, 721.

Virginitas pro Deo suscepta matrimonio præstat, 818.

Virginitatis votum ut impedimentum prohibens, 940.

Virtutes pænitentis an sint objectum sigilli? 514.

Vitandi excommunicati jurisdictione privantur, 418.

Vocatio ad statum clericalem necessaria, 1164; divinæ vocationis signa, præsertim *idoneitas*, 1168; *intentio* supernaturalis, 1169; *electio* a superioribus ecclesiasticis regulariter facta, 1170; obligatio clericalem vocationem sequendi, 1171.

Votum simplex perpetuæ castitatis ut impedimentum *prohibens*, 939;

votum virginitatis, 940; votum cælibatus, 941; votum suscipiendi ordines sacros aut amplectendi statum religiosum, 942-943; quis possit ab his votis dispensare? 944.
Votum *solemne* castitatis ut impedimentum *dirimens*, 979-981; pœnæ contra Regulares matrimonium attentantes, 980; quis possit in hoc voto dispensare? 981.
Vota *simplicia* Jesuitarum dirimunt matrimonium, 979.

Zelus animarum confessario necessarius, 279; signum vocationis ecclesiasticæ, 1169.

In hoc Indice rectores dimittimus ad NUMEROS MARGINALES.

Imprimé par la Société S. Jean l'Evangéliste, Desclée & Cie. Tournai (Belgique). 235

SUPPLEMENTUM

AD TR. DE MATRIMONIO.

In hoc Supplemento dicemus : 1° de *Impedimento impotentiæ;* 2° de *debito conjugali;* 3° de *baptizandis fœtibus.*

Cum in nonnullis Seminariis hujusmodi quæstiones solis diaconis exponantur, in aliis autem suo loco omnibus theologiæ candidatis, de eis breviter disserere censuimus in Supplemento, quod huic volumini inseri vel ab eo detrahi possit, ad arbitrium Rectorum Seminariorum.

Art. I. De impedimento impotentiæ[1].

1. Notio impotentiæ. 1° Impotentia est quidem impedimentum matrimonii *naturale;* sed ad Ecclesiam pertinet, quatenus est *juris naturalis interpres*, definire in quo illud consistat. Jamvero impotentia, quatenus est impedimentum *canonicum* matrimonii, *non est impotentia generandi* seu sterilitas, *sed impotentia coeundi* seu habendi *copulam ex se* aptam ad generationem prolis. Jamvero copula habetur quando *vir verum semen effundit intra vaginam mulieris.*

Dicitur : 1) *Verum semen*, nempe semen in *testiculis* elaboratum, non alius quidam humor ex glandulis procedens; 2) *intra vaginam*, *non* autem *ad os* vaginæ; etsi enim semen ad os vaginæ depositum vitali motu possit vaginam et uterum ingredi, hic tamen non est modus a natura ordinatus, nec *canonice* habetur ut sufficiens ad copulam; 3) *semen effundit;* hæc autem effusio *juridice* præsumitur quando membrum virile vaginam penetravit; quæ præsumptio elidi

[1] *Decretal. Greg. IX*, l. IV, t. XI, De frigidis et maleficiatis et de impotentia coeundi; **S. Thom.**, *Supplem.* q. 58, a. 1-2; **Sanchez**, l. VII, disp. 92-114; **S. Alphons.**, l. VI, n. 1095-1105; **Lehmk.**, n. 973-978; **Ball. P.**, n. 864-891, ed. 3ª, 1900; **Gasparri**, *de Matrim.* n. 510-536; **Eschbach**, *Disput. Physiologico-Theologicæ*, Romæ, 1901, disp. 11; **id.** *De novo quodam sterilitatis conceptu*, Romæ, 1903; **Antonelli**, *De conceptu impotentiæ*, Romæ, 1900; **id.** *Pro conceptu impotentiæ*, Romæ, 1901; **id.**, *Medicina pastoralis*, Ratisbonæ, 1905, t. II, n. 42-293; **Capellmann**, *Medic. Pastor.* p. 162-169; **Wernz-Vidal**, n. 214-240; **Prümmer**, n. 808-813; **A. Vermeersch**, *De Castitate*, Brugis, 1921; **L. Wouters**, *De virtute castitatis...*, Brugis, 1929.

potest argumentis convincentibus, v. g., si probetur aut non esse semen aut deesse communicationem inter testiculos et membrum virile seu penem.

Necesse autem non est ut vera generatio inde sequatur vel sequi possit. Siquidem matrimonium *primario* quidem institutum est in procreationem prolis, sed *secundario* in remedium concupiscentiæ; ideoque validum censetur quoties hic secundarius finis obtinetur, etiamsi primarius *per accidens* attingi non valeat. Jamvero quoties semen virile intra vaginam mulieris effunditur, sedatur concupiscentia, etiamsi *per accidens* conceptio haberi nequeat.

Impotentia distinguitur a *sterilitate*, quæ est vitium naturale vel accidentale modo permanenti impediens quominus ex copula rite peracta (modo jam descripto) sequatur generatio.

Valide igitur contrahunt *steriles*, dummodo copulam inter se habere valeant sensu explicato. Invalide autem contrahunt *eunuchi*, qui duobus testiculis carent, quia, etiam quando vas naturale mulieris penetrare possunt, semen effundere non valent [1].

2. 2° Impotentia est : (**a**) *naturalis*, quando ab ipsa corporis constitutione oritur; *accidentalis*, quando ex causa extrinseca provenit, v. g., ex morbo aut vulnere; (**b**) *antecedens*, quando matrimonium præcedit; *subsequens*, si post matrimonium jam contractum occurrit; (**c**) *perpetua*, si mediis humanis licitis, nec graviter periculosis, tolli nequit; *temporanea*, si mediis humanis licitis nec aliunde graviter periculosis sanari valet; (**d**) *absoluta*, quæ habetur relate ad quamcumque personam; *relativa*, quæ non est nisi cum tali determinata persona, v. g., propter defectum proportionis inter sexualia organa.

II. Conditiones ut impotentia sit impedimentum dirimens.

3. 1° *Principium :* "**Impotentia antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso jure naturæ dirimit**" (can. 1068).

[1] Ita **Sixtus V,** Motu proprio *Quod frequenter*, 27 jun. 1587.

(**A**) *Declaratur :* (**a**) *antecedens*, nam si subsequitur matrimonium jam valide contractum, illud non dissolvit.

(**b**) *Perpetua*, nam si tolli potest, aliquem non reddit inhabilem ad copulam nisi ad tempus; atqui hic valide potest jus transferre in proprium corpus, exercendum statim ac impotentia cessaverit.

Hinc, si post matrimonium detegatur impotentia hujusmodi, multo *probabilius* adest obligatio eam tollendi, si absque periculo vitæ vel gravis morbi id fieri possit; nam, cum jus in proprium corpus in ordine ad generationem traditum fuerit, id omne præstari debet quod moraliter possibile est ne altera pars suo jure fraudetur. Si vero impedimentum removeri nequeat absque periculo vitæ vel gravis morbi, non est obligatio tale periculum incurrendi, quia lex non obligat cum tanto incommodo [1]. — Quid tunc agere debeant conjuges infra declarabitur, n. 11.

(**c**) *Absoluta* est, quando incapacitas coeundi existit cum omnibus personis alterius sexus; *relativa*, quando incapacitas non existit nisi cum aliqua persona, non autem cum omnibus; tunc impotentia limitatur ad hanc personam.

4. (**B**) *Probatur.* Essentia matrimonialis contractus consistit in traditione juris in proprium corpus in ordine ad actus *ex se* aptos ad generationem prolis, ut constat ex ipsa definitione matrimonii; porro qui laborat perpetua impotentia coeundi, non potest alteri jus dare ad copulam, cujus omnino incapax est.

Ex quo sequitur hoc impedimentum esse *juris naturæ* ac proinde indispensabile; sed si impedimentum "*dubium* sit, sive dubio juris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum" (*Codex*, c. 1068, § 2).

5. 2° **Corollaria.** Impotentia igitur laborant : (**A**) *Viri* (**a**) carentes *utroque* testiculo, quia seminare non valent; (**b**) quorum testiculi ita sunt contusi ut munere suo fungi nequeant; si vero testiculi latent in interiori parte abdominis, non sunt generatim impotentes; sed ad medicos spectat in particulari casu discernere utrum semen producere valeant an non; (**c**) quorum membrum virile *erigi nequit* [2] (quem defectum antiqui *frigiditatem* vocabant); vel ita deformatum est ut semen in vaginam

[1] Hodie sæpe deest periculum hujusmodi, propter mirificos progressus artis chirurgicæ.

[2] Cfr. **Eschbach**, *op. cit.*, p. 146-149; **Antonelli**, t. II, n. 220 sq.

mulieris immitti non possit [1]; (d) qui *semper* seminant antequam vas naturale penetrare valeant; hic autem defectus plerumque sanari valet; (e) qui aliquo defectu laborant in *canali semen deferente*, ita ut semen ad ejaculationis organum conduci non valeat [2]; (f) ii quorum virga vaginam penetrare nequit, sive quia est abnormiter magna, sive quia nimis exigua est : tunc impotentia est *relativa* tantum.

Phimosis vero, seu nimia præputii extensio, quæ seminis ejaculationem impedit, facile corrigi potest, nec proinde est impedimentum.

(B) *Feminæ* (a) vulva aut vagina carentes, quia omnino inhabiles sunt ad copulam; (b) vulvam aut vaginam habentes ita occlusam vel arctam, ut sine mortis vel gravis morbi periculo sufficienter aperiri nequeat [3], usquedum saltem huic defectui medeatur. — *Vaginismus* autem, vi cujus mulier, ex leviori contactu viri, atrocem patitur dolorem, obstat quidem matrimonii consummationi donec corrigatur; non est tamen impedimentum, quia natura sua non est insanabilis.

6. 3° Quæstio disputata. Hic autem quæritur num vere impotens haberi debeat mulier, cujus *uterus et ovaria desunt aut excisa sunt* [4]. (A) Ratio dubitandi est quia, ex una parte, hæc mulier apta manet ad copulam, cum vagina integra relinquatur; ex altera autem, copula non videtur *ex se* apta ad generationem, cum omnino deficiant *ova* ad conceptionem absolute necessaria. Unde theologi in varias abierunt sententias : nonnulli dicunt hanc mulierem esse vere impotentem, quia ovaria in muliere non minus

---

[1] Quod præsertim occurrit quando canalis urethræ in *medio pene*, vel inferiore vel superiore, apertus est; quem defectum vocant *epispadiasim* et *hypospadiasim;* de quo vide **Capellmann**, p. 163-164.

[2] Qui igitur *vasectomiam duplicem* subierunt, quando nempe secti sunt canales utriusque testiculi semen deferentes, ita ut desit communicatio inter testes et virile membrum, multo probabilius sunt impotentes. — Hæc autem operatio *illicita* est, nisi ad salvandum totum corpus (infra, n. 8); proinde licita non videtur ad steriles efficiendos pravos homines, cum alia sint media ad tuendam societatem contra pravorum multiplicationem. — **Vermeersch** (*De Castitate*, nn. 73, 84) putat hanc operationem non certo invalidare matrimonium.

[3] In hoc casu potest quidem *per accidens* fieri conceptio, quia semen ad labia vaginæ effusum aliquando in uterum attrahitur; sed, cum copula non fiat intra vaginam, communiter auctores, Congregationum decisionibus innixi, docent impotentiam adhuc subsistere. — Cæterum si mulier, impotentia laborans, operationem periculosam subeat qua potens efficitur, potest vel ad alias nuptias transire, vel cum priore viro rursus contrahere; posterior solutio omnino suadenda est.

[4] Hodie sine magno periculo fit illa operatio, quæ *Porro* appellatur, a medico qui prius feliciter eam peregit.

requiruntur ad conceptum quam testiculi in viro [1]. — Alii autem tenent hanc esse quidem sterilem, sed non impotentem : nam id quod requiritur et sufficit ad essentiam matrimonii est potentia *coeundi, non generandi;* hæc autem existit, dummodo vagina integra maneat; si conceptio impossibilis evadit, id *per accidens* se habet, quatenus deficiunt ova, sicut desunt in vetulis mulieribus, quæ steriles quidem sunt, sed non idcirco impotentes [2].

7. (B) Hac de re *S. Officium*, in pluribus casibus particularibus, ita respondit. Die 3 febr. 1887, ad quæsitum; "Num mulier, per *utriusque ovarii* excisi defectum *sterilis effecta*, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne?"; responsum est : "Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris de qua in casu, non esse impediendum". — Die autem 30 jul. 1890, ad quæsitum : "Num mulier N. N. cui operatione chirurgica ablata sunt *duo ovaria et uterus*, admitti possit ad matrimonium contrahendum ?" responsum est : "Matrimonium non esse impediendum". — Quamvis hæc decreta vim legis generalis non habeant, prudens confessarius ea in praxi sequetur, etiam quando certo constat de perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisione : nemo enim naturali jure nubendi privari debet, nisi canonice constet eum aliquo impedimento ligari. Aliunde, ex can. 1068, § 2, "si impedimentum impotentiæ dubium sit, sive dubio juris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum".

8. **Notanda pro praxi.** Hic tamen duo animadvertere præstat : (A) Excisio uteri et ovariorum non licet nisi gravissima de causa. (a) Hæc sane existit quando secus vita mulieris servari nequit; nam, juxta *S. Thomam* [3], cum membrum aliquod sit pars totius corporis, disponendum est de illo secundum quod expedit toti; proinde si membrum aliquod sit totius corporis corruptivum, licitum est putridum membrum præscindere propter salutem totius corporis. (b) Juxta *Genicot*, n. 484, id etiam licet, quando periculum mortis, quamvis non adeo instans et certum, sed tamen actu existens, hac operatione notabiliter minuitur; v. g., si,

---

[1] Quam sententiam strenue propugnat **Antonelli**, *op. cit.*

[2] Ita **Eschbach**, *op. cit.*, p. 197-204; **Berardi**, *Casus Conscientiæ* an. 1892, p. 22 sq., ubi comparatione rem sic illustrat : "Vetula octoginta vel nonaginta annorum est certe ad generationem inepta; et nihilominus ejus matrimonium validum est. At vero quid differentiæ! Vetula est vitis cui radices desiccatæ, mulier sine ovariis est vitis cui radices amputatæ sunt. Ambæ fructus, ambæ generationis incapaces. Ergo si valet matrimonium primæ, valere debet etiam matrimonium secundæ". — [3] **S. Thom.**, 2^a 2^{ae}, q. 65, a 1.

in operatione cæsarea, periculum multo minus evadit, posito quod uterus extirpetur; vel si ex utero ulcerato aut aliter male affecto grave periculum vitæ juste timetur.

9. (c) Numquid idem dici potest quando ex ipsa arctitudine mulieris, absque ullo morbo, prævidetur partum valde periculosum fore tum ipsi mulieri tum proli? Negant plerique auctores [1], et merito, quia membrum abscindere non licet nisi ad salvandum totum corpus; id autem fieret *proxime* in casu ad præcavendam conceptionem.

(d) Tandem certum est gravissimum esse peccatum hanc excisionem permittere *eo tantum fine ut inducatur sterilitas*, ac copula haberi valeat sine timore prolis concipiendæ.

10. (B) Mulier quæ hanc operationem passa est, non potest *licite* matrimonium contrahere, nisi hac de re certiorem faciat virum cui nubere intendit; nam, cum primarius finis matrimonii sit generatio prolis, in re gravi sponsum deciperet, si, apprime noscens se omnino ineptam esse ad generationem, nil de re tanti momenti illi manifestaret.

11. 4° De ratione agendi quoad impotentes. (A) Quando *certum* est impotentiam esse antecedentem et perpetuam, *régulariter* conjuges moneri debent ut separentur quoad torum; secus enim periculo contra castitatem peccandi exponuntur. — Dicitur *regulariter*, quia sæpe expedit eos in bona fide relinquere, usquedum matrimonii nullitas a judice ecclesiastico declaretur; si enim incaute moneantur de obligatione hujus separationis, peccata materialia quæ antea committebant, jam fiunt formalia. Quod præsertim verum est quando nullitatem matrimonii declarare non expedit, sive ob scandalum, sive ob legem civilem, quæ tale impedimentum non admittit; tunc eis permitti potest vivere ut frater et soror, dummodo talis cohabitatio non sit occasio peccandi [2].

Si vero nullum timeatur scandalum aliudve grave incommodum, rem ad Ordinarium deferri expedit ut duplici judiciali sententia nullitas matrimonii pronuntietur vel dispensatio obtineatur a matrimonio rato et non consummato [3]: tunc pars,

---

[1] **Capelm.**, p. 27; **Eschbach**, p. 370-373.

[2] Ita *S. C. Concilii*, 15 dec. 1877, ap. **Gasparri**, n. 535.

[3] Ordo sequendus describitur in *Codice* (can. 1960-1992) et in Decretis

quæ impotentia non laborat, alias nuptias inire potest; altera innupta manere debet, nisi impotentia sit solum *relativa*.

12. (B) Si impotentia est tantum *dubia*, matrimonium non est impediendum, quia jus naturale ad matrimonium existere censetur donec de contrario certo constet; secus qui hoc dubio laborat in perpetuum cogeretur carere remedio contra concupiscentiam. Matrimonio autem contracto, conjuges possunt copulam tentare quamdiu spes remanet eam perficiendi, etiamsi per accidens semen extra vas effunderetur; quando autem omnis spes evanuit, ut supra procedendum est. — Jure canonico olim per *triennium* ita copulam tentare poterant; sed *Codex* silet de hoc *triennio*, quod jam in usu non erat ante *Codicem*. Hodie igitur ad S. Sedem recurritur pro *dispensatione a matrimonio rato et non consummato*.

13. (C) Cum sæpe difficile sit probare impotentiam esse antecedentem et perpetuam, facilior est via ad solvendum vinculum, petendo nempe dispensationem super matrimonio rato et non-consummato. Ut hæc concedatur, probari debet *non-consummatio* matrimonii; quod demonstratur ad normam *Codicis*, can. 1970-1992 et Decreti *C. de Discipl. SS.* 7 maii 1923 et 27 mart. 1929: (a) jurato testimonio conjugum; (b) testimonio *septimæ manus*, i. e., testimonio septem testium tum ex parte viri, tum ex parte mulieris, qui, sub fide juramenti, deponant conjuges esse fide dignos, et insuper num audierint matrimonium fuisse consummatum vel non; (c) inspectione corporali a medicis vel chirurgis peracta; quoad virum, medici explorant honestis mediis utrum impotens sit vel non; quoad mulierem, obstetrices, a duobus saltem medicis prius instruendæ, aut duo medici, adstante honesta matrona ex officio designanda, investigant

---

C. de Discipl. S. 7 maii 1923 (*A. A. S.* 1923, pp. 388-436) et 27 mart. 1929. Cfr. **Gasparri**, t. II, p. 538-555; fuse autem exponitur ap. **Bassibey**, *Le Mariage devant les tribunaux ecclésiast.*, Paris, 1899; **C. Sagnori**, *Exemplar actorum forensium quibus inquirendum est de matrimonii nullitate ex capite impotentiæ*, Romæ, 1903; brevius ap. **Fourneret**, *op. cit.*, p. 334-353.

utrum adsint signa virginitatis, præsertim utrum *hymen* sit integrum an non [1]. Quibus omnibus peractis, si moraliter certum est matrimonium non fuisse consummatum, S. Pontifex solet in eo dispensare.

Scholion : de Hermaphroditis [2].

14. Hermaphroditi *proprie dicti* dicuntur illi qui utriusque sexus esse participes censentur, ita ut possint ad libitum officium obire unius vel alterius sexus. Hodie certo constat tales non esse, si judicio peritorum credamus.

Sed dantur hermaphroditi *improprie dicti*, qui, præter organa completa unius sexus, aliquod habeant ex organis alterius; alii qui utriusque sexus organis *incomplete* donentur, ita ut impotentes sint; alii tandem de quorum sexu dubitatur, præsertim quamdiu puberes non sunt. Quibus positis : —

(a) Hermaphroditi, in quibus unus sexus prævalet, huic adjudicandi sunt, nec possunt alterius munia obire : hi nubere valent, cum nil probet eos esse impotentes.

(b) Qui in teneris annis sexus feminei esse putantur, et postea ad alterum sexum pertinere probantur, virilia vestimenta assumere debent; antequam vero ad matrimonium admittantur, prudentia postulat ut medicorum judicium exquiratur de eorum potentia.

(c) Qui tandem *neutrales* manent, ita ut neuter sexus in eis prævaleat, a conjugio ineundo arcendi sunt, utpote impotentes.

Art. II. De debito conjugali [3].

15. Doctrinam christianam de debito conjugali sic exponit *S. Paulus* [4] : "Uxori vir *debitum* reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram". *Codex* autem declarat jus et officium

---

[1] Quoad modum instituendi processum judicialem, sedulo legantur citata documenta cum explicationibus auctorum allegatorum.

[2] Cfr. **Eschbach**, p. 53-54; **Surbled**, *op. cit.*, p. 148-155; **Wernz-Vidal**, n. 239.

[3] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 49 et 64; **Billuart**, disp. IV, art. 2-4; **Sanchez**, lib. IX; **Lacroix**, n. 287-400; **S. Alphons.**, n. 900-954; **Lehmk.**, n. 1063-1099; **Ball. P.**, n. 385-416, ed. 3; **Genicot**, n. 543-554; **Capellmann**, p. 136-161; **Eschbach**, p. 105-120; **Vermeersch**, n. 223-284.

[4] *I Cor.*, VII, 3-5.

conjugum esse *æquale* et *ab initio* matrimonii incipere (c. IIII) : "Utrique conjugi ab ipso matrimonii initio æquum jus et officium est, quod attinet ad actus proprios conjugalis vitæ". — Quare dicemus 1° de *liceitate;* 2° de *obligatione* debiti conjugalis.

§ I. De liceitate debiti conjugalis.

Divisio. { De liceitate copulæ conjugalis.
De licitis et illicitis inter conjuges.
De onanismo conjugali. }

I. De liceitate copulæ conjugalis.

16. 1° **De liceitate copulæ conjugalis ratione finis.** Copulam maritalem esse *in se* opus honestum, laudabile ac proinde meritorium jam alibi probatum est (*De Matrim.*, n. 816.) Sed hic quæritur qualem *finem* intendere debeant conjuges ut talis actus sit licitus.

(a) Certum est actum conjugalem *licitum* esse quando exercetur *ob fines propter quos matrimonium a Deo institutum est*, nempe ob generationem prolis, — in remedium concupiscentiæ, — vel ad satisfaciendum comparti legitime petenti; tunc enim voluptas, qua fruuntur conjuges, est bene ordinata, cum referatur ad superiorem finem ab ipso Deo intentum.

(b) Certum est pariter eumdem actum *licere* quoties perficitur *propter quemlibet finem honestum*, v. g., ad fovendum conjugalem amorem, ad corporis sanitatem; nam actus de se bonus, ob honestum finem elicitus, malus esse nequit; aliunde quilibet finis honestus ultimo tendit in fines a Deo intentos in ipsa matrimonii institutione.

17. (c) Certo etiam constat illum actum esse *illicitum*, saltem venialiter, quando ita exercetur ob *solam* voluptatem, ut omnes honesti fines positive excludantur : tunc enim adest perversio ordinis naturæ, dum quis venerea delectatione vult frui contra ordinem a Deo intentum, positive excludendo omnem finem quo talis actus cohonestari valeat. Grave est peccatum, si media adhibeantur ad præcavendam generationem, ut dicitur infra, n. 40; veniale, si media hujusmodi non adhibeantur.

(d) Si vero actus conjugalis exercetur quidem ob voluptatem, ita tamen ut non excludantur neque includantur etiam *virtualiter* fines

honesti, certo non committitur peccatum mortale; imo, juxta quosdam [1], nulla est culpa venialis, quia licet appetere delectationem bonam in se, quin positive referatur ad honestum finem, dummodo hic non excludatur. Attamen, juxta communem sententiam [2], peccatum veniale est actum conjugalem exercere propter *solam* voluptatem, illum non referendo *virtualiter* ad aliquem finem honestum; cum enim delectatio sit *medium* ad *finem*, et operationi adnectatur quo facilius ac melius actum eliciamus, *inordinatio* est sistere in delectatione tanquam *in fine*, eamque minime referre ad finem honestum. — Quo sensu merito damnata est ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679, hæc propositio 9ª : "Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali" [3]. — *In praxi* autem plerique conjuges vel virtualiter referunt hunc actum ad finem honestum, vel putant se nullius culpæ esse reos, dummodo copulam *rite* habeant, et in bona fide relinqui possunt [4].

(e) Si vero delectatio secundario et moderate intendatur simul cum alio fine honesto, nullum est peccatum etiam veniale, quia delectatio ordinate appetitur ut medium ad aliquid bonum.

18. *Corollaria* : (a) Graviter peccant conjuges qui copulam exercent *affectu adulterino*, i. e., cogitantes de alia persona ut præsente et cum ea copulam habere cupientes; tunc enim *affective* adulterium committunt. Si vero de alia persona cogitent, et de ejus pulchritudine ut ad actum conjugalem sese excitent, absque ullo pravo desiderio, non peccant; id tamen periculosum est, cum voluntas facile feratur in objectum cogitatum.

(b) Licet actus conjugalis *sterilibus*, quibus nulla est spes prolem generandi; nam, præter generationem prolis, alii sunt fines honesti, v. g., concupiscentiæ sedatio, quibus copula cohonestari possit. — Neque peccant etiam venialiter qui matrimonio utuntur in remedium concupiscentiæ : hic est enim unus e finibus propter quos matrimonium institu-

[1] Ita præsertim **Ball. P.**, n. 323-361, ed. 3, cum auctoribus ibi citatis.

[2] **S. Thomas**, *Supplem.*, q. 49, a. 5 : "Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scil. causa procreandæ prolis et debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale". Hi autem duo modi omnes fines honestos supra recensitos includunt. — Cfr. *Vindiciæ Alphons.*, p. 822-840.

[3] **D. B.**, 1159; cfr. **Viva**, *Thes. damnat.*, in h. loc.

[4] Si quis velit pænitentes instruere de recta intentione ac moderatione in debito conjugali, illos remittat ad **S. Franc. Salesium**, *Introd. à la Vie dévote*, IIIe Partie, chap. 38-39.

tum est; aliunde qui vult incontinentiam vitare, eo ipso castitatem conjugalem servare intendit.

19. (c) Non peccant conjuges qui, ob paupertatem vel alium honestum finem, interne exoptant ut proles ex copula non concipiatur, dummodo *nullo illegitimo medio* utantur ad generationem impediendam.

(d) Licitus est actus conjugalis, etiamsi prævideatur mulierem forsan abortum passuram esse vel in lucem edituram prolem mortuam; nam talis effectus *per accidens* occurrit, proindeque permitti potest ob finem honestum, v. g., concupiscentiæ sedationem. Proles autem concepta, etiamsi supernaturali beatitudine privetur, naturali quadam felicitate frui potest.

20. 2° De liceitate actus conjugalis ratione circumstantiarum. (A) *Prænotanda.* (a) Ut copula legitime fiat tria generatim requiruntur et sufficiunt : penetratio vasis debiti seu vaginæ; effusio seminis intra vaginam ; et retentio seminis a muliere, ut in uterum attrahi possit, et tempore opportuno fecundare unum ex ovis quæ ex ovariis descendunt. — Principium generale est *graviter peccare eos qui scienter et volenter hæc tria substantialiter non servant copulam exercendo;* tunc enim contra finem primarium matrimonii agunt.

Attamen, cum hodie constet conceptionem fieri posse absque vaginæ penetratione, — dummodo semen virile ad labia organi muliebris effundatur, — vir qui, propter aliquem defectum, perfectius copulam perficere nequit, hoc imperfecto modo eam probabiliter peragere potest, etiamsi per accidens pars seminis perdatur; nam, dummodo spes habeatur generandi prolem, conjuges coitum tentare possunt eo meliori quo fieri potest modo.

(b) Quando tria hæc substantialiter servata sunt, *inordinatio circa accidentalia* copulæ *veniale non excedit*, dummodo tamen ex inordinatis circumstantiis non sequatur grave scandalum aliudve damnum spirituale aut temporale. Ratio est quia, his servatis, generatio fieri potest ac finis primarius matrimonii obtineri.

21. (B) *De situ copulæ.* (a) Situs *naturalis* est ut vir sit incubus et mulier succuba, cum hic modus generatim aptior

sit ad seminis infusionem. Attamen nullus situs, etiam *innaturalis* (sedendo, stando [1], vel muliere incumbente, etc.), generationem *per se* impedit, cum semen per *attractionem* in uterum ascendere valeat; unde mutatio situs naturalis veniale non excedit, dummodo excludatur periculum *totum* semen extra vas effundendi; etiamsi pars non modica seminis dispergatur *per accidens*, peccatum mortale non est, quia minima pars seminis ad fecundationem sufficit.

(**b**) Si mutatio situs naturalis legitimam ob causam fiat, v. g., propter periculum abortus tempore prægnationis, vel ob difficultatem aliter congrediendi, nullum est peccatum etiam veniale.

Unde *in praxi* conjuges interrogari non debent de situ quem in actu conjugali exercendo adhibent, cum id ad integritatem confessionis non sit necessarium. Si de eo inquirunt, respondeatur naturalem situm, in quantum fieri potest, servandum esse. Si de situ innaturali se accusant, solummodo inquiratur num ita agant ad impediendam generationem.

22. (**C**) *De loco.* (**a**) Usum matrimonii nonnisi loco *secreto* fieri posse pudicitia et caritas postulant, ne scandalum aliis præbeatur. Graviter igitur peccant qui copulam habent coram aliis, præsertim junioribus, qui exinde scandalum pati possunt. Parentes igitur cavere debent ne filii in eodem cubiculo dormientes rei maritalis notitiam acquirant.

(**b**) In *loco sacro* prohibetur usus matrimonii sub pœna sacrilegii, extra casum necessitatis, qui hodie vix unquam occurret.

23. (**D**) *De tempore.* (**a**) Hodierna disciplina nullis diebus festis stricte prohibetur actus conjugalis. *Consultius* est tamen a *petendo debito* abstinere prævia nocte festorum solemniorum aut diebus jejunii; reddatur tamen legitime petenti, præsertim si in alio comparte periculum incontinentiæ timeri possit. A communione autem arceri non debent qui modo honesto copulam habuerunt.

---

[1] Juxta artis medicæ peritos, copulam exercere *sedendo* et præsertim *stando* morbos quosdam inducere potest. Cfr. **Vigouroux**, *Tr. de Médecine*, t. IV, p. 65. Unde ex hoc capite conjuges ab hujusmodi situ arcendi sunt.

(b) Tempore *fluxus menstrui ordinarii*, copula non est *per se* illicita [1], cum conceptio tunc fieri possit, et quidem facilius quam alio tempore. Sed mulieres, quando fluxum patiuntur, naturaliter ab omni congressu maritali abhorrent; insuper non sine periculo sanitatis debitum conjugale reddunt; vir ipse aliquem morbum (*uréthrite*) contrahere potest, si sanguis, qui in vagina manet, est aliquo modo vitiatus [2]; hinc consultius est illo tempore a copula abstinere. Exceptio tamen admittitur pro mulieribus quæ aliis temporibus non conceperint; moneri possunt menstruationis tempore conceptionem facilius obtineri, ideoque copulam haberi posse hoc tempore. — Tempore *fluxus extraordinarii*, qui longiori tempore perdurat, copula licita est, dummodo morbus, quo laborat mulier et qui fluxum causat, ex ea non multum ingravescat : de quo medicus judicabit. Vir autem, qui de uxoris sanitate curat, in his circumstantiis a frequenti copula abstinebit, quo facilius ille morbus decrescat et curetur.

24. (c) Tempore *prægnationis*, per se illicita non est copula quamvis generatio amplius fieri nequeat, quia alii possunt esse fines ad eam cohonestandam. Sed *per accidens* illicita esse potest propter *periculum abortus*. Jamvero illud periculum in uxoribus sanis non est probabile, si copula *moderate* habeatur; copula autem effrænata atque sæpe repetita facile abortum inducere potest, præsertim primis [3] et ultimis prægnationis temporibus, et sub hoc respectu plus minusve illicita est secundum gravitatem periculi quod affert.

25. (d) Tempore *purgationis puerperalis*, quæ partum sequitur, copula est illicita non quidem propter se, sed propter damnum quod uxori imminet [4], ideoque *graviter* vel

---

[1] Sub veteri lege prohibebatur, et quidem sub pœna mortis (*Levit.*, XV, 19-20; XX, 18); forsan quia in calidis regionibus fluxus ille copiosior esse solet, et pars sanguinis quæ manet in organis facile corrumpitur, et pessimos morbos viro copulanti inducere potest.

[2] **Vigouroux**, *op. cit.*, p. 64. — Nullo modo timendum est ne, per copulam illo tempore habitam, lepra contrahatur vel monstra generentur : hæc est enim fabula diu jam explosa.

[3] Status incipientis prægnationis non facile agnoscitur; si tamen conjuges prægnationem suspicantur, ipsis *moderatio* in copula commendari debet.

[4] "Puerperium multas res secum fert, quæ quolibet alio tempore morbosæ dicendæ essent, quanquam hic physiologicæ sunt... Res, quæ hoc tempore in

leviter, prout damnum illatum est grave vel non. Jamvero, teste *Capellmann* (p. 154), generatim per duas priores hebdomadas post partum, grave damnum inferri potest, et leve per quatuor sequentes hebdomadas; sed ratio habenda est etiam conditionis cujuslibet personæ in particulari. Quando nocumentum quod timetur leve est, rationabilis causa excusat ab omni peccato.

26. (e) Tempore *lactationis*, licet copula; periculum enim inficiendi lac, ac proinde nocendi proli, de quo antiqui auctores loquuntur, nullomodo existit. Si nova conceptio occurrit (quod raro tempore lactationis accidit), lac quidem minuitur ac brevi desinit, sed non corrumpitur; et proles artificiali lactatione nutriri potest. Unde conjuges non tenentur a copula abstinere toto tempore lactationis.

27. (f) Tempore *morbi* alterutrius conjugum, usus matrimonii est illicitus, quando prudenter inde timeri potest grave periculum vitæ vel sanitatis; si vero periculum nec proximum, nec certum est, excusat gravis ratio : de quo consulendus est medicus.

1) Quando agitur de morbo *syphilitico* seu *venereo*, copula est graviter illicita, propter periculum moraliter certum inficiendi compartem et prolem [1]; quod periculum adeo grave et horrendum est, ut, quamvis mitius de eo loquantur quidem veteres theologi, moderni cum *Capellmann* (p. 159) merito dicant: " Hac in re ne periculum incontinentiæ quidem causam esse honestantem existimo ".

2) In morbis *contagiosis*, qui *brevi mortem inducere possunt*, copula non licet, cum nemo dominus sit propriæ vitæ; in aliis, ubi tale periculum nonnisi remotum est, v. g., in phtisi, licita est ob gravem causam.

---

organis generationis aguntur, immutationes et violationes graviditate productæ, jam disponunt per se ad varios morbos : ad sanguinis profluvia, inflammationes, positiones uteri aberrantes ". (**Capellm.**, p. 154).

[1] De quo scribit **Capellm.**, p. 159 : " Infantes sunt syphilitici sicut parentes, saltem plerumque, etiam tum cum latet parentum syphilis; abortus frequentissimus erit, vel immaturus editur infans, vel ipsi partus maturi primis vitæ mensibus miserrime pereunt. Sexcenti infantes hoc modo et sæpius ne baptizati quidem parentum peccata luunt ". Quam horrenda sit syphilis describunt auctores de re medica, v. g., **H. Vigouroux**, *Traité de Médecine Pratique*, t. IV, p. 202-304; **Duclaux**, *L'Hygiène sociale*, Paris, 1902, p. 224-266; **Surbled**, *op. cit.*, p. 76-99; **Stall***, *What a Young Man ought to know*, ch. IV-VI.

3) In morbis *non contagiosis*, copula illicita est, si cum febri et magno dolore conjuncti sunt, cum hi per copulam ordinarie multum ingravescant, et in quibusdam casibus adsit periculum mortis. Idem fere dicendum est de chronicis ægrotationibus quibus afficiuntur organa generationis apud feminas; quamvis enim leves ab initio judicentur, per usum copulæ sæpe ingravescunt, ita ut postea facile non sanentur. Unde, si medicus judicat a copula per aliquod tempus abstinendum esse, ejus mandatis parere oportet — Si vero morbi sint leviores nec multum debilitantes, per copulam non facile pejores fiunt; ideoque usum matrimonii non prohibent.

28. (g) Copula, post *multam potationem* liquorum inebriantium, non licet, quia proles in ebrietate concepta in periculo versatur ne fatua nascatur vel surdomuta vel ebrietati obnoxia. Post copiosum prandium usus matrimonii periculo non vacat, et etiam hodierni medici asserunt "non raro a mensa ad copulam transeuntes repentina morte plecti"; attamen periculum pro hominibus sanis non est proximum. Antiquitus tenebatur copulam, post balneum aut venæ sectionem, esse periculosam ac proinde illicitam; sed id a modernis negatur.

II. De licitis et illicitis inter conjuges.

29. Præter copulam ipsam alii sunt actus plus minusve cum ea connexi, de quorum liceitate inquirendum est. Jamvero tria sunt *principia* ex quibus moralitas horum actuum dijudicari possit: (a) quidquid *pro* generatione prolis vere utile est, absolute licet; (b) quidquid *præter*, sed non contra generationem fit, veniale non excedit; (c) quidquid *contra* conceptionem operatur, mortale est. Quod paulo fusius declarandum est.

30. 1° **Quidquid pro generatione prolis utile est, absolute licet.** (A) *Actus venerei imperfecti*, sive mutui sive solitarii, ut aspectus, tactus, amplexus, oscula, sermones, etc. conjugibus licent, *quando copulam perficere volunt*, quatenus ad actum conjugalem perfectius et facilius peragendum conducunt. Nam quando licet finis, eo ipso licent media naturaliter ad finem ordinata; jamvero omnes illi actus ordinantur ad copulam et sunt veluti ejus inchoatio. — Attamen conjuges in ejusmodi actibus diutius immorari non debent, ne forte pollutio sequatur ante copulam; si

enim seminis effusionem intenderent extra maritalem copulam, graviter peccarent, cum delectationem veneream completam appeterent contra ordinem naturæ. Si vero *præter intentionem* quandoque sequitur pollutio, dum his præviis actibus vacant, nullum est peccatum.

31. (B) Hinc, si vir seminavit antequam mulier semen [1] emittat (quod non raro occurrit, cum multæ mulieres sint frigidiores viris), hæc potest statim post copulam tactibus vel alio modo sese excitare ad seminationem; quamvis enim semen uxoris necessarium non sit ad generationem, complet actum conjugalem, et concupiscentiam sedat; et si mulieres post organorum irritationem, quæ ex copula oritur, naturam compescere tenerentur, sæpe periculo graviter peccandi exponerentur. Insuper seminatio hujusmodi aliquid confert ut semen virile facilius et certius in uterum ascendat et cum ovulo conjungatur, ideoque conceptioni favet.

Nonnulli putant id etiam mulieri licere, quando vir onanista se retrahit ante seminationem [2]; cum enim, ut supponimus, hæc actum conjugalem legitime incœperit, eumdem perficere potest : secus, organa genitalia irritata manent. Sed *communius* docetur hoc non licere [3]; cum enim vir intra vaginam non seminaverit, conceptio fieri nequit, et seminatio ex parte mulieris pollutio esset.

32. 2° Quidquid fit præter, sed non contra generationem prolis, non excedit veniale. Nam delectatio venerea licet conjugibus, quando refertur ad aliquem finem honestum, ut supra (n. 16) dictum est; si vero propter seipsam sumitur, venialiter tantum est illicita, dummodo absit pollutionis periculum et nihil contra finem præcipuum matrimonii peragatur; inordinatio enim, quæ in talibus actibus invenitur, est accidentalis et levis. Hinc :

(A) *Mutui actus imperfecti* (tactus, oscula, amplexus, etc.), etiam quando ad copulam non ordinantur, nec aliquo honesto fine cohonestantur, sed propter solam voluptatem exercentur, venialiter tantum sunt illiciti [4], dummodo absit proximum pollutionis periculum,

---

[1] Hic non agitur de vero *semine*, quod in mulieribus non est nisi ovum; sed de *vulvo-vaginali* secretione, quæ cum voluptate emittitur.

[2] **Capellm.**, p. 143-144.

[3] **Lehmk.**, n. 1095; **A. Vermeersch**, n. 267.

[4] Excipiuntur tamen communiter illi actus qui valde obscœni sunt, v. g., immittere genitalia in os mulieris, vas præposterum penetrare, genitalia lambere (quod *irrumatio* dicitur), etc. Sed hi actus graviter illiciti sunt, non præcise quia obscœni, sed quia plerumque grave pollutionis periculum inducunt; unde, si de facto in quibusdam personis tale periculum non existeret, excluso affectu

etiamsi quandoque *per accidens* pollutio sequeretur : tunc enim non est prævisa nec volita. Imo hujusmodi actus omnino licent si aliquo honesto fine cohonestantur, v. g., ad fovendum mutuum amorem, etc.

(B) *Actus solitarii imperfecti*, v. g., tactus turpes in proprium corpus exerciti, sunt quidem peccata venialia quia ob solam voluptatem fiunt; sed non mortalia, si absque proximo periculo pollutionis peraguntur. Sed qui ita sibi indulgent eo tempore quo copula maritalis haberi nequit, facile exponuntur periculo ulterius procedendi; non ita, si iis in circumstantiis in quibus copula legitima exerceri potest, cum, occurrente periculo, debitum petere valeant.

33. 3° Quidquid est contra generationem prolis, graviter illicitum est, cum adversetur primario fini a Deo intento in institutione matrimonii. Hinc :

(A) *Pollutio voluntaria* extra copulam conjugalem et quidquid proximum pollutionis periculum inducere potest, non minus illicita sunt in conjugatis quam in solutis; imo *graviora* sunt, quia præter castitatem, læditur jus alterius compartis; nam, ut ait *S. Paulus* [1], "mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier". Hinc etiam copula cum extranea persona est adulterium, duo peccata mortalia includens, unum contra castitatem, alterum contra justitiam; et si adulterium habetur inter duos conjugatos, tria sunt peccata, unum contra castitatem et duo contra justitiam, quia duorum jura læduntur. Quod quidem verum est etiamsi alter conjux de suo jure cedat; hic enim agitur de jure quod ex ipsa unitate matrimonii oritur, prout a Deo sub N. Lege statuta est, nec proinde alienari potest privata conjugum auctoritate.

Etiam in uxore pollutio grave peccatum est; quamvis enim non sit effusio seminis prolifici, sed solum secretio alicujus humoris ad generationem utilis, non autem necessarii, tamen cum delectatione venerea completa conjungitur, ac proinde ultimo ad generationem refertur; illam igitur inducere, absque ullo ordine ad copulam conjugalem, est gravis deordinatio, cum fiat contra ordinem a natura intentum.

---

sodomitico, non essent graviter peccaminosi. Ab his tamen deterrendi sunt conjuges, ne, sensu conjugalis pudoris amisso, in deteriora cadant.

[1] *I Cor.*, VII, 5.

34. (B) Grave etiam peccatum est copula *sodomistica* inter conjuges habita, i. e., penetratio vasis præposteri cum effusione seminis in eodem; est enim gravis deordinatio *contra naturam*, cum conceptionem impossibilem reddat; necnon contra fidem conjugalem, quæ prohibet ne conjuges utantur compartis corpore nisi modo ad generationem apto; pessimos etiam morbos inducit in muliere [1].

Attamen *inchoare* copulam in vase præpostero cum intentione eam consummandi in vagina; vel genitalibus tangere vas præposterum, dummodo præcaveatur effusio seminis, et excludatur omnis affectus sodomiticus, non sunt probabiliter peccata mortalia : quia prior actus fit tanquam præparatio ad copulam in vase debito, posterior autem est solum tactus inter conjuges non prohibitus sub gravi. Hortandi sunt tamen ut ab his se abstineant, utpote inhonestis, et ne forte brevi sodomiam ipsam committant.

A peccato sodomiæ distingui debet actus quo conjuges congrediuntur animalium more, ita tamen ut copula fiat in vase debito; quo casu nonnulli dicunt se præpostere vel a tergo congressos esse. Tunc interrogare debet confessarius utrum hoc modo generatio fuerit possibilis necne; si respondent eam fuisse possibilem, infertur actum non fuisse sodomiticum, sed solum inordinatum in situ; quod quidem peccatum veniale non excedit.

35. Hic quæritur utrum uxor cooperari possit copulæ sodomiticæ. *S. Pœnitentiaria* [2], 3 aprilis 1916, ita respondit : " At si maritus committere cum ea velit Sodomitarum crimen, cum hic sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque conjugis sic coeuntis, isque Doctorum omnium judicio graviter malus : hinc, nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandæ, licite potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere ". Admitti igitur nequit opinio eorum qui, ante hoc decretum, putabant mulierem posse istum concubitum *pati* ad vitandam mortem; sed tenenda est doctrina communis, nempe istam cooperationem etiam passivam esse peccatum contra naturam.

---

[1] Quos descriptos vide ap. **Surbled**, *op. cit.*, t. II, p. 58-63.
[2] **Marc**, *Instit. Morales*, ed. 16ª, 1920, n. 2116; **Vermeersch**, n. 263.

(C) Graviter etiam prohibetur copula *onanistica*, de qua speciatim agemus (n. 38) propter ejus frequentiam et prava consectaria.

36. **Corollaria.** (A) *De fœcundatione artificiali.* Hæc habetur, quando semen virile non potest naturaliter in organis femineis retineri; tunc, syphunculi ope, in ipsum uterum introducitur, sæpe cum felici exitu, i. e., cum prolis conceptione. Quod duplici præsertim modo fieri potest : (a) præhabita inter conjuges legitima copula, semen in vagina receptum, ope syphunculi hauritur et in uterum injicitur; (b) vir pollutione solitaria vel onanistica effundit semen, quod syphunculo in mulieris organa introducitur. Jamvero posterior modus graviter illicitus est, quia medium adhibitum, scilicet pollutio directe voluntaria, est quid in se malum. Hinc *S. Officium*, 24 mart. 1897, proposito dubio : "An adhiberi possit artificialis mulieris fœcundatio?", respondit : "Non licere"[1]. — Si vero prior modus adhibetur, ad fecundationem obtinendam quæ secus fieri nequit, *probabiliter* dicunt quidam theologi id non prohiberi[2]. — *Certum* est autem non licere mulieri ab alieno viro semen suscipere, etiam assentiente marito, quia uxori non licet ex alieno viro concipere.

37. (B) *De peccatis internis conjugum.* (a) Peccatum grave est optare copulam cum *aliena persona*, vel gaudere de copula cum ea habita vel habenda : id enim nihil aliud est nisi adulterio interne consentire.

(b) Delectatio venerea de copula cum proprio conjuge habita vel habenda, ejusve desiderium, excluso tamen proximo pollutionis periculo, non est peccatum : quia est gaudium vel desiderium de re licita. Hinc, si alter conjux est absens, vivida hujusmodi cogitatio valde periculosa est, cum ex una parte inducat periculum pollutionis, et ex altera hoc periculum per copulam maritalem averti nequeat. In omni casu hortandi sunt conjuges ab his delectationibus abstinere, cum plerumque propter solam voluptatem quærantur.

(c) Delectatio vel desiderium de actibus inter conjuges venialiter illicitis est leve peccatum; de rebus sub gravi

---

[1] *Acta S. Sedis*, XXIX, p. 704.

[2] **Eschbach**, *op. cit.*, p. 70 sq.; **Bucceroni**, t. IV, n. 1052; **Genicot**, n. 545; **Gury-Ferreres**, II, p. 908 bis.

prohibitis est grave peccatum; nam delectatio et desiderium induunt moralitatem objecti appetiti.

III. De onanismo conjugali[1].

38. 1° **Notio onanismi.** Onanismus *proprie dictus*, seu conjugalis, est copula ita peracta ut, quamvis adsit effusio seminis humani, impossibilis reddatur conceptio prolis. Quod variis modis efficitur; (**a**) ex parte *viri*, si, copula incepta in vase debito, se retrahit ante seminationem et semen effundit extra vas[2]; vel induit membrum virile aliquo tenui indumento (gallice *capotte anglaise*, anglice *french coat*, vulgo *condom*), intra quod retinetur semen emissum; (**b**) ex parte *mulieris*, quando utitur *medicamento* ad impediendum ascensum seminis in uterum; vel *spongia*, aut *indumento occlusivo* (vulgo *préservatif*), quo ingressus seminis virilis in uterum præcluditur; vel *irrigatore*, quo semen in vagina receptum sive aqua sive *chimicis substantiis* diluitur vel enecatur.

39. 2° **Onanismi malitia et prava consectaria.** (**A**) *Onanismus voluntarie commissus est peccatum grave contra naturam.* (**a**) Nam copula *ex se ordinatur* ut humana species propagari queat, ideoque conjuges, dum matrimoniali operi legitime vacant, Dei sunt adjutores et cooperatores in præstantissimo opere, nempe procreatione nobilissimæ creaturæ, quæ ad adoptionem divinam destinatur. Atqui onanistæ, illegitimis mediis utendo ad conceptionem præcavendam, modo *inordinato* agunt et finem a Deo inten-

---

[1] Præter auctores jam citatos, cfr. *Ami du Clergé*, 1931, p. 177-190; p. 193-201; **Surbled**, *op. cit.*, I, p. 181-204; **P. Bouvier**, *Les décisions du S. Siège et le devoir des confesseurs circa abusum matrimonii*; **P. Creusen**, *L'onanisme conjugal*, 1932.

[2] Hoc fuit crimen Onan (hinc vox onanismus), qui "introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur" (*Gen.* XXXVIII, 9). Notandum est tamen ibi Onan præsertim reprehendi quia, contra legem, filios fratri suo defuncto suscitare nolebat. — Onanismus vocatur etiam *Malthusianismus* a **Malthus**, qui in opere *Essay on the Principles of Population*, 1878, media proposuit impediendi nimiam hominum multiplicationem; ipse tamen non advocat media illicita, sed potius voluntariam continentiam statim ac sufficiens numerus filiorum procreatus est. — *Sensu lato*, apud medicos, onanismus designat etiam *pollutionem* solitarie commissam.

tum frustrantur. Nam, ut recte ait *S. Thomas* [1], "omnis actus humanus dicitur esse inordinatus qui non est proportionatus debito fini... finis autem usus genitalium membrorum est generatio et educatio prolis; et ideo omnis usus prædictorum membrorum qui non est proportionatus generationi prolis et debitæ ejus educationi, est secundum se inordinatus". (**b**) Hoc autem peccatum est *contra naturam*, ex hoc quod non potest sequi ex isto actu generatio prolis; nam ita malitiose impeditur finis a natura intentus. Jamvero "ordo naturæ est ab ipso Deo; et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipse ordo naturæ violatur, fit injuria ipsi Deo ordinatori naturæ" [2].

(**c**) Exinde sequitur hoc peccatum esse *grave*, imo, ut ait S. Thomas [3], *gravissimum* et *turpissimum*, quia voluntarie obstat fini nobilissimo et necessario, nempe propagationi humanæ speciei. Onanistæ itaque cujusdam sacrilegii efficiuntur rei, dum rem nobilissimam in turpissimum *passionis ignominiæ* actum commutant, et immaculatum thalamum in lupanar convertunt; aliunde crudeles seipsos ostendunt dum, pessimæ voluptatis causa, positive cum Deo concurrere denegant in procreando infantes [4], qui cælestis patriæ cives esse potuissent. — Merito igitur *S. Officium* [5], 21 maii 1851, et præsertim Pius XI, in Encycl. *Casti Connubii*, (31 dec. 1930) onanismum damnaverunt utpote juri naturali contrarium ac proinde intrinsece malum.

40. (**B**) *Exitiosa consectaria ex onanismo sequuntur.* (**a**) Ipsi *conjuges* sæpe ex eo multa mala patiuntur : 1) sicut enim filii sunt commune bonum ac commune vinculum quo firmius et arctius conjuges connectuntur, ita ex adverso qui prole carent multo facilius dissentiunt et ab invicem sepa-

---

[1] *De malo*, q. XV, a. 1.

[2] *Sum. theol.*, 2ª 2ᵃᵉ, q. 154, a. 11, ad 1.

[3] Q. 154, a. 11, o.

[4] Quod etiam Pagani agnoverant; unde **Martialis** poeta de pollutione aiebat (*Epigram.*, l. IX, 42) :

"Ipsam crede naturam dicere rerum,
Istud quod digitis, Pontice, perdis, *homo* est!"

[5] *Ami du Clergé*, XX, p. 1077; ibidem invenies hac de re alia S. Sedis responsa.

rantur. — Nec dicatur ad hunc finem attingendum unum vel alterum filium sufficere; nam, quo numerosior proles, eo firmior conjugum unio; aliunde haud raro onanistæ puniuntur præmatura morte unius vel alterius filii quem genuerant; hinc sæpe parentes filii unici angoribus et timoribus premuntur, ne forte hic e vivis rapiatur et familiæ nomen deleatur. 2) Præterea copula maritalis quæ, legitime peracta, remedium est concupiscentiæ, eam non sedat, sed incendit, quando onanistice perficitur; fæmina præsertim non complete delectatur, nec quiescit nisi cum uterus virili semine ejus ardorem temperante irrigatur. — Hinc etiam uno ore conclamant medici onanistas multis morbis obnoxios esse [1], qui præsertim ex nervorum excitatione oriuntur; commotio enim quam concubitus causat, non sedatur nisi virilis spermatis naturali effusione ac susceptione.

41. (**b**) *Proles* etiam haud raro ex onanismo parentum aliquod detrimentum patitur, quod ita describit Concil. *Pictaviense* [2], 1868 : " Sæpe sæpius accidit ut filius ille, indulgentius educatus, aut Deo jubente vitam breviter finiat, aut, ætate deterior factus, dulci fratrum sororumque amore ac præsidio destitutus, seipsum amans, parentibus non obediens, elatus, ingratus, sine affectione, familiam suam ignominia mœroreque afficiat ".

42. (**c**) Nec minus *societati* nocet onanismus. Siquidem præcipuum societatis robur ac præsidium in numero ac virili civium educatione situm est; jamvero onanismus, generationem impediendo, civium numerum minuit, ita ut nationes olim florentes paulatim decidant; obstat pariter virili puerorum educationi : ubi enim unicus est filius, generatim indulgentius educatur, voluptati potiusquam officio addicitur, ac sæpe patriæ omnino inutilis evadit.

Nec timeri debet ut homines extra modum multiplicentur; hodie enim multæ sunt regiones adhuc incultæ, nova media deteguntur quibus agri jam exculti fructus copiosiores proferre valeant; unde illi fidendum est qui dixit : " Crescite et multiplicamini, et replete terram " [3]; ipse enim providebit.

---

[1] **Eschbach**, p. 573-574; cfr. **Surbled**, *op. cit.*, t. I, l. II, ch. 11-12.
[2] Cap. VI, n. 8, *Collect. Lacens.*, t. IV, p. 830. — [3] *Gen.*, I, 28.

43. 3° **De cooperatione uxoris ad copulam onanisticam.** (**A**) Si cooperatio sit *formalis*, ita ut uxor vere in eam consentiat aut de ea gaudeat, aut a fortiori ipsa utatur mediis ad præcavendam conceptionem, certo graviter peccat. Idem dicendum est si moraliter et efficaciter huic crimini cooperetur, querendo de numerosa prole, de partus doloribus, simulque prævidendo his querimoniis virum ad congressum onanisticum induci.

Si uxor gaudeat non de peccato ipso, sed de voluptate quam in hujusmodi copula experitur, antequam vir sese retrahat, aut de effectibus hujus peccati, v. g., de præservatione a molestiis et laboribus graviditatis aut partus, non eo ipso est rea culpæ mortalis; nam stricte loquendo de his gaudere potest, dummodo detestetur peccatum illudque impedire serio conetur. Attamen, cum valde timendum sit ne complacentia de effectibus transeat in complacentiam ipsius peccati, ipsi suadendum est ut cito ab illo gaudio mentem suam avertat, atque coram Deo protestetur se talem abusum non approbare.

44. (**B**) Si cooperatio sit *materialis*, i. e., si uxor patiatur seu permittat copulam onanisticam, quin eam ullomodo approbet, distinguendum est : (**a**) quando onanismus peragitur *sola retractione* viri, cooperatio mulieris ex causa gravi permittitur, v. g., ad vitanda jurgia, vel adulterium mariti aut propriam incontinentiam ; imo uxor a viro onanista debitum petere potest, propter gravem rationem, v. g., quia ipsi grave est tam diu ab usu matrimonii abstinere. Nam agitur de actu qui in se licitus est, et quem vir modo licito præstare potest, si velit; et, etiamsi prævideatur eum ex propria malitia esse peccaturum, id permitti potest, dummodo adsit sufficiens ratio. Hinc in hoc casu uxor consentire potest voluptati ex hac copula orienti, cum ipsa modo legitimo actum conjugalem perficiat.

Attamen precibus, blanditiis, monitis, displicentiæ signis aliisve mediis virum inducere debet ut modo legitimo copulam habeat; ad quod tenetur, non quidem singulis vicibus, sed tempore opportuno, tum obligatione fraternæ correctionis, tum ne secus consentire videatur [1].

[1] " Moneat tamen orator hujusmodi uxorem, ut *non cesset* prudenter commonere virum suum ut ab hac turpitudine desistat ". (*S. Pœnitent.*, 5 nov. 1816).

45. (**b**) Quando autem onanismus perficitur *condomistice*, i. e., adhibito instrumento vulgo *condom*, intra quod retinetur semen virile, regulariter cooperatio, etiam materialis, uxoris non licet; nam talis congressus jam ab initio est intrinsece malus, cum impossibilem reddat conceptionem : eique cooperari grave est peccatum. Proinde uxor totis viribus positive resistere debet (cf. supra, n. 35).

Quæ doctrina confirmatur responso *S. Officii*, 6 apr. 1853 : " 1° An usus imperfectus matrimonii, sive onanistice sive condomistice fiat, prout in casu, sit licitus? — *Negative;* est enim intrinsece malus.

2° An uxor, sciens, in congressu condomistico possit *passive* se præbere? — *Negative;* daret enim operam rei intrinsece illicitæ "[1].

3° Utrum... vir talibus utens instrumentis, *oppressori* vere debeat æquiparari : cui proinde mulier eam resistentiam opponere debeat quam *virgo invasori?* — *Affirmative* (*S. Pœn.*, 3 jun. 1916).

46. 4° **De quibusdam actibus ad onanismum accedentibus.** (**A**) Si copula maritalis interrumpitur propter aliquam necessitatem, v. g., ad vitandum scandalum quod pateretur persona fortuito superveniens, nullum est peccatum, etiamsi semen extra vaginam effundatur; id enim fit præter intentionem, ad vitandum majus malum morale, nec proinde, magis culpabile est quam involuntaria pollutio.

47. (**B**) Si vir copulam incœpit cum intentione intra vas semi nandi, sed, propter defatigationem aut debilitatem vel spasmum aut aliam rationem hujusmodi, prævidet seminis effusionem valde probabiliter etiam copula longius producta secuturam non esse, potest a copula desistere, etiamsi uxor jam seminaverit; nam ad impossibile nemo tenetur.

(**C**) Si duo conjuges, actum conjugalem exercentes, *mutuo consensu* ante seminationem copulam abrumpunt, *quin adsit periculum semen extra vas effundendi*, stricte loquendo *probabiliter* non peccant graviter, præsertim si gravis adsit ratio ita agendi, v. g., ad vitandum partum valde periculosum, aut ne proles nimium multiplicetur; nam copula in hoc casu est solum impudicus tactus qui, inter conjuges, excluso pollutionis periculo, non est graviter illicitus[2]. *Ordinarie* tamen conjuges *a tali agendi ratione arcendi*

---

[1] *Ami du Clergé*, l. c., p. 1077; **Vermeersch**, n. 262-263.

[2] Cfr. *N. Rev. Théol.*, XXXII, 1900, p. 579-635; *Collat. Brug.*, VI, 1901, p. 466-478; **A. Vermeersch**, n. 277.

sunt; nam *sæpe* adest *periculum semen extra vas effundendi;* et insuper qui ita agunt, communiter sola voluptate ducuntur, et facile *in onanismum labuntur.*

48. (**D**) Ab onanismo omnino differt praxis copulam habendi solummodo iis *temporibus quibus conceptio raro accidit.* Videlicet, juxta physiologiæ leges, generatio prolis nonnisi raro contingit decem diebus ante et decem diebus post inceptam menstruationem; dum multo facilius occurrit ab undecimo ad decimum octavum diem post inceptam menstruationem [1]; si igitur copula habetur hoc solum tempore, quod *ageneseos* vocatur, possibilis quidem, sed non valde probabilis est conceptio. Porro talis agendi ratio non est peccaminosa, cum conjuges possint sese continere quamdiu volunt, et aliunde nil contra finem matrimonii agant tempore quo congrediuntur. Merito igitur *S. Pænitentiaria,* 16 jun. 1889, respondit [2] : " Conjuges prædicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam de qua agitur, illis conjugibus, *caute* tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit ".

49. (**D**) Uxores quæ, dum actum conjugalem exercent, seminationem vitare conantur, proptereaque animum ad alia convertunt vel sensibilem dolorem sibi procurant, *objective* non peccant, quia fœminea distillatio ad generationem necessaria non est; sed aliquando *subjective* peccant, quia id faciunt *eo fine ut conceptionem impediant;* unde monendæ sunt omnes hujusmodi conatus esse omnino inutiles. — Idem dicendum est de iis quæ, statim post copulam surgunt, vel mingunt; sic enim non impeditur conceptio, quia uterus mox semen attrahit et, eo recepto, statim clauditur; sed *ipsa intentio* semen expellendi *mortale peccatum* est.

50. (**E**) Si, propter organicum defectum, uxor semen virile retinere nequit, licite tamen copulam exercet, quia nil contra ordinem naturæ agit, et si semen ejicitur, id ipsi imputari nequit. Sed omnis actus quo *voluntarie* expellitur aut enecatur semen receptum, grave peccatum est. Hinc mulieres vaginam irrigare non debent statim, sed solum pluribus horis post copulam (juxta quosdam medicæ artis peritos, *decem* vel *duodecim*) [3].

---

[1] Cf. *Ami du Clergé,* 19 mars 1931, p. 193-194 (juxta *Ogino* et *Knaus*).
[2] Apud **Bucceroni,** *Enchirid.,* n. 913.
[3] **Surbled,** *op. cit.,* t. I, p. 202.

51. 5° De ratione agendi confessariorum quoad onanistas. (A) Juxta *S. Pænitentiariam* [1], 10 mart. 1886, cum vitium hoc infandum late invalescat, confessarii illud extirpare conari debent; ~~ad quod præstandum~~ : (a) quando adest fundata suspicio pænitentes, qui de onanismo omnino silent, huic crimini esse addictos, *confessarius regulariter tenetur prudenter ac discrete eos interrogare*, inquirendo v. g., numquid contra sanctitatem matrimonii peccaverint, — vel utrum aliquid sit quod circa usum matrimonii conscientiam remordeat. Si negative respondeant, generatim ulterius procedere non expedit. — Approbandi igitur non sunt qui ab omni interrogatione in hac materia abstinent, ne quosdam a bona fide exturbent.

52. (b) Quando confessarius, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione, cognoscit pænitentem esse onanistam, *regulariter* tenetur illum de hujus peccati gravitate monere, æque ac de aliorum mortalium, eumque paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet eumdem dolere de præterito et habere propositum non amplius onanistice agendi. — Si pluries in idem peccatum relapsus est, absque emendatione, applicentur regulæ superius de recidivis traditæ, in *Tr. de Pænitentia.*

Attamen si onanista sit in bona fide, ac videatur nullum bonum fructum ex monitione sperari posse, monitio omitti potest usquedum melius sit dispositus; interea vero confessarius pedetentim illum præparet ad accipiendas et sequendas hac de re christianæ ethices regulas.

53. (B) *S. Officium*, 30 mart. 1889, ad quemdam Archiepiscopum Gallicum scribebat [2] : "Ut omni cura et studio ad hujusmodi tam calamitosam pestilentiam extirpandam, aut certe cohibendam, atque ad perniciosas impudentesque doctrinas refutandas, quæ hac de re a pluribus, præsertim artis medicæ cultoribus, circumferuntur, nunquam desistas. — Quo meliori igitur ac prudentiori modo fieri posse existimaveris, fideles efficaciter docendos curabis cælestes benedictiones numerosioris prolis parentes certo manere, atque insimul operam dabis ut noscant confessarii normas super

[1] *Ami du Clergé*, l. c., p. 1078-1079.
[2] *Ami du Clergé*, XX, 1898, p. 1079.

hac re approbatis Doctoribus traditas ac potissimum pluries a S. Sede editas decisiones".

Quapropter, — (a) nupturientes moneantur primarium officium ipsis incumbens esse filiorum procreationem, maximumque crimen vitæ conjugalis esse prolis conceptionem impedire. (b) Conjugibus suadendum est ut, quoad filios procreandos, in Deum confidant, qui de omnibus curat, volatilibus cæli, liliis et fœno agri, et *a fortiori* hominibus : "Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis"[1]. (c) Cum causa præcipua onanismi sit effrenata libido, nuptis et innuptis commendentur illa media naturalia et supernaturalia, quibus domari possit voluptas, qualia sunt arduus et improbus labor; moderatæ corporis castigationes; temperantia in cibo et potu; vitatio occasionum quæ libidinem excitant; vigilantia mentis ac cordis, statim expellendo lubricas cogitationes pravaque desideria; oratio assidua; frequens novissimorum cogitatio : *breve enim quidquid hic delectat, æternum quod cruciat!*

54. (C) Illicitum est confessariis *promiscue suadere* conjugibus, numerosiorem prolem timentibus, *copulam dimidiatam*, quæ in eo consistit ut vir vaginam uxoris penetret quidem, sed dimidia vel tertia parte tantum.

Hæc praxis invaluerat in provincia Neerlandiæ; sed Episcopi hujus provinciæ, timentes ne talis agendi modus viam sterneret onanismo, postularunt a *S. Officio :*

1° An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulæ dimidiatæ, illamque suadere promiscue omnibus pænitentibus qui timent ne proles numerosior nascatur? — Resp. *Negative.*

2° An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad pænitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia præcavenda? — Resp. *Affirmative.*

3° An carpendus sit confessarius qui, in circumstantiis sub n. 2°, copulam dimidiatam *aliunde notam* suadet, vel pænitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione? — Resp. *Affirmative* (die 23 nov. 1922).

---

[1] *Matth.*, VI, 31-33.

Sane hic coeundi modus non reddit conceptionem impossibilem, sed *difficiliorem;* proinde licitus est iis conjugibus qui, propter gravem causam, completam copulam exercere non valent; sed illicitus est iis qui ita numerosiorem prolem vitare volunt. Ista enim intentio prava est et viam onanismo parat.

§ II. De obligatione actus conjugalis.

55. 1° Conjuges ex justitia per se sub gravi tenentur sibi invicem reddere debitum, quoties una pars serio ac legitime petit sive expresse sive tacite.

Probatur : Etenim vi contractus matrimonialis acquiritur jus strictum in corpus alterius in ordine ad actus ex se aptos ad generationem; atqui juri stricto unius respondet obligatio stricta ex parte alterius; et cum agatur de re gravi. nempe de generatione prolis, de vitanda incontinentia, de pace inter conjuges servanda, talis obligatio *per se* gravis est. — Hinc merito S. Paulus ait[1] : " Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro ".

56. *Declaratur :* (**A**) Hæc obligatio est *gravis per se*, sed *per accidens* levis esse potest ex variis adjunctis; si raro tantum denegatur debitum, v. g., si sæpius petenti semel tantum in mense negatur; si ad breve tempus differtur; si alter remisse tantum, non instanter, petit et neganti facile acquiescit; dummodo tamen in his circumstantiis absit pollutionis periculum. — Sed in praxi mortaliter peccant uxores quæ se *difficiles et morosas* præbent in reddendo debito, cum sic viros suos exponant incontinentiæ et adulterii periculo. Graviter etiam peccant viri qui, sive ad vitandam prolem sive ex malevolentia, raro cognoscunt uxores suas, etiamsi hæ non expresse, sed solum interpretative petant. Imo etiam semel debitum negare serio ac legitime petenti, quando id periculum incontinentiæ vel gravem molestiam alteri affert, culpa mortali non vacat.

57. Hinc etiam non licet conjugibus se inhabiles reddere ad copulam nimiis laboribus, vigiliis, austeritatibus, aut a fortiori pol-

[1] *I Cor.*, VII, 3.

lutionibus, adulteriis aliisve illicitis actibus. — Neque uni licet, sine necessitate vel alterius consensu, per notabile tempus abesse : hoc enim æquivalet denegationi debiti.

Quædam mulieres, jam prole oneratæ vel provectioris ætatis, aliquando putant se debitum negando non graviter peccare; si id non sæpe fiat, et vir periculo peccandi non exponatur, nec ullus speretur ex admonitione fructus, in bona fide relinqui possunt; sed moneri debent ne ita agendo virum periculo incontinentiæ exponant.

58. (**B**) Ut quis teneatur debitum reddere, alter debet *legitime* petere; nam si hic amiserit *jus* exigendi debitum, cessat *obligatio* reddendi. Jamvero alteruter conjux jus exigendi amittit :

(**a**) Per *adulterium* formale, certum, consummatum, non permissum, nec condonatum; tunc enim conjux innocens jus habet discedendi ab adultero.

(**b**) Per omnes causas quæ *separationem a toro* legitimam reddunt, nempe " si conjux sectæ acatholicæ nomen dederit; si prolem acatholice educaverit, si vitam criminosam et ignominiosam ducat " (can. 1131, § 1). — " In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitæ consuetudo restauranda est (ideoque jus ad debitum); sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, conjux innocens ad id non obligatur nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore " (c. 1131, § 2)[1].

(**c**) Per *amissionem rationis;* videlicet si unus e conjugibus *amens* efficitur vel *ebrius*, alter non tenetur debitum reddere; nam qui caret usu rationis, non petit rationabili et humano modo. Licet tamen in hoc casu reddere debitum, præsertim si amens vel ebrius sit in periculo incontinentiæ; imo, juxta quosdam, id vere præcipitur, si periculum sit proximum; sed cum de hac obligatione non constet, urgeri non debet. — Quando autem amens vel ebrius usum rationis recuperavit, jure suo jam frui potest.

59. (**d**) *Petendo debitum modo illicito*, v. g., modo *onanistico* vel *sodomitico*, vel in talibus circumstantiis in quibus

[1] Olim copula *incestuosa* contrahebatur affinitas illicita, ideoque amittebatur jus petendi debitum; sed *jure novo* hæc affinitas ideoque amissio juris evanuit.

scandalum præberi potest; nullus enim actum illicitum exigere potest. — Attamen si actus sit illicitus non in se, aut in modo quo peragitur, sed ratione petentis, quia v. g., voto castitatis ligatur, vel agit propter solam voluptatem, multi cum *Sanchez* probabilius dicunt alterum conjugem posse ac debere reddere debitum; nam quamvis petens illicite agat, non amisit jus in corpus alterius. Unde in praxi consultius est in hoc casu debitum reddere.

60. (e) *Petendo debitum modo immoderato*, ita ut exinde alter conjux *grave damnum* sibi vel proli prudenter timeat. Hic agitur de damno vel incommodo quod non sit matrimoniali conditioni annexum. Proinde a redditione debiti non excusant ordinaria graviditatis aut partus incommoda, nec aliqua sanitatis debilitatio, neque dolores moderati etiam diuturni, prout sunt dolores capitis, etc. quia hæc omnia ipsi matrimonio adnexa sunt.

Excusat autem *grave periculum vitæ vel sanitatis*, quod ex judicio prudentis medici timendum est; ita in casu morbi contagiosi vel non, quando grave damnum imminet, ut supra, n. 27, dictum est: pariter si mulier parere nequit sine mortis periculo, non autem si in primo partu periculum vel extraordinarios dolores passa est (nam in primo partu majores sunt labores quam in sequentibus). Hinc etiam si vir sæpius debitum petit, v. g., bis aut ter eadem nocte, non est obligatio reddendi, cum copula tam sæpe repetita utrique noceat, et quidem communiter plus etiam viro quam uxori. Præterea conjuges debilis vel infirmæ constitutionis non possunt, absque gravi damno, quotidie copulam exercere; unde prudentem hac de re medicum consulant, ejusque sequantur consilium.

Excusat pariter *grave damnum proli jam conceptæ* imminens, v. g., periculum abortus. Si agitur de prole concipienda, non excusat timor ne nascatur infirma aut mortua, aut in egestate vivat; nam melius est eam his infirmitatibus laborare, aut etiam peccato originali infectam mori quam non esse.

Si vir culpabiliter prolis curam non habet, et uxori incumbat onus seipsam et prolem alendi, hæc non tenetur ipsi debitum reddere, etiamsi ille in periculo incontinentiæ versaretur, nisi tandem resipiscat et familiæ curam habere promittat; non enim tenetur ut serva mero arbitrio viri esse addicta.

Si vero, sine culpa viri, uxor et numerosa proles maxima egestate laborant, nec alii filii ali possunt, juxta quosdam, excluso inconti-

nentiæ periculo, debitum negari potest. Sed vix aberit tale periculum; unde potius divinæ Providentiæ fidendum est quæ, dum fecunditatem impertitur, et alimenta præbere solet. His tamen conjugibus discrete suaderi potest ut nonnisi tempore *ageneseos*, (supra n. 48) congrediantur.

61. (C) Ut quis teneatur debitum reddere, necesse non est ut altera pars petat *explicite*, sufficit ut *implicite* seu *interpretative* suam voluntatem significet. Sæpe enim uxores, propter innatam verecundiam, expresse petere non audent, sed suum desiderium signis interpretativis exprimunt; quæ si advertat maritus, tenetur debitum reddere.

62. 2° Neuter conjux *per se* tenetur petere debitum; sed *per accidens* ex caritate uterque, sed præsertim vir, teneri potest. — Ratio prioris est quia nemo tenetur uti jure suo. Ratio posterioris est quia vir judicare potest compartem periculo incontinentiæ exponi, et, præ verecundia, petere non audere : tunc caritas postulat ut ipse debitum petat, ne illa in peccatum incidat; pariter, in quibusdam circumstantiis, id necesse est ad mutuum amorem fovendum, aut zelotypiam ac dissidia avertenda.

Art. III. De baptizandis fœtibus[1].

Divisio
- De fœtibus abortivis.
- De pueris in utero matris periclitantibus.
- De operatione cæsarea.
- De abortu et craniotomia.

63. I. **De Fœtibus abortivis.** Ex *Codice*, c. 747, "curandum est ut omnes fetus abortivi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie sub conditione". Cum enim hodie certo moraliter constet fetum humanum anima rationali informari jam ab initio conceptus et cum aliunde baptismus sit omnibus, etiam infantibus, necessarius ad salutem; omnes fetus abortivi, etiam minimi, baptizandi sunt, nisi jam sint mortui.

[1] Præter theologos qui de baptismo disserunt, cfr. **Cangiamilla**, *Sacra Embryologia;* **Capellm.**, *op. cit.*, p. 104-119; **Eschbach**, *op. cit.*, p. 287-378; **Antonelli**, *Medicina Pastor.*, t. II, n. 10-41; **Barry**, *Medico-Christian Embryology*, Louisville, 1846; **Surbled**, t. II, p. 266-279.

1° *Quando fœtus abortivi plene formati* videntur, absolute baptizandi sunt, dummodo vel *levissimus motus* in eis apprehendatur; quia talis motus est sufficiens signum vitæ. — Si vero *sine motu* videntur, nec tamen corrupti aut putrefacti, sine mora baptizentur *sub conditione : si vivis*... Nam vita existere potest sine apparenti motu, et sola putredo est certum mortis signum, ita ut infantes, qui exterius mortui esse censebantur, post plura pertentata, demum vivere apprehensi fuerint.

64. 2° Abortivi fœtus, *etsi nondum plene formati*, in quibus motus vitalis apprehenditur, absolute baptizandi sunt; qui vero sine motu apparent, sed a mola seu massa carnea distinguuntur [1], baptizentur *sub conditione : si vivis*. Ratio prioris est quia, ubi adest motus vitalis in fœtu humano, ibi est anima rationalis; ratio posterioris est quia ubi deficit, dubium est fœtum adhuc vivere.

3° Quando fœtus immaturi emittuntur, in *secundinis* adhuc involvuntur, i. e., in duabus præsertim membranis, seu pelliculis, quarum prior dicitur *amnios*, altera *chorion*. Controvertitur autem utrum baptismus infanti collatus *secundinis* involuto sit validus vel non; quidam affirmant, quia hæc involucra censentur esse pars infantilis corporis; alii probabilius negant, quia hæc ad ejus corpus non pertinent, sed sunt velut vestimenta quibus tegitur. — *In praxi*, quando embryo in *secundinis* inclusus emittitur, statim, ne pereat, baptizetur sub conditione : *si es capax;* deinde, ruptis vel secatis involucris, iterum abluatur sub conditione : *si non es baptizatus* [2].

65. 4° "*Monstra* et *ostenta* semper baptizentur saltem sub conditione; in dubio autem unusve an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione" (*Codex*, c. 748).

Hodie enim admittitur quoslibet fetus a muliere editos, etsi ob deformitatem aut parvitatem, *monstra* vel *ostenta* dicantur, esse homines; non enim e congressu cum bruto mulier feram eniti potest. — Si dubitatur utrum *verus fetus* sit an *mola*, sub conditione baptizetur.

---

[1] Ad quod intelligendum, sciendum est *ova abortiva* quæ emittuntur, aliquando carere *fœtu* seu *embryone*, qui jam periit, ideoque esse solum *molem carneam*. Aliunde, post primum mensem a conceptione, embryo non excedit longitudinem unius centimetri et in ovo est inflexus, non extensus, ita ut ad eum dignoscendum quædam attentio sit necessaria.

[2] Quod ita fieri potest, juxta **Capellm.**, p. 115, n. 2 : fœtus immergatur in aquam *tepidam* (ne aqua frigida occidatur); utriusque manus pollice et indice apprehendatur aliqua velamenti plicatura atque disrumpatur, ut materia ovi effluat et aqua baptismalis fœtum directe abluat; simulque forma pronuntietur.

Si vero infantes *duo capita* aut *duo pectora* distincte habeant, præsumitur tot esse homines distinctos, et singuli seorsum sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat : tunc enim amborum capita simul abluantur, dicendo : ego *vos* baptizo... Si dubitatur utrum duæ sint personæ, quia duo capita vel pectora non sunt distincta, una primum absolute baptizetur, et altera sub conditione "*si non es baptizatus*".

66. II. **De infantibus in utero materno periclitantibus.** Ex *Codice*, c. 746, "nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit. — Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, est iterum baptizandus. Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus. — Fœtus in utero baptizatus [1], post ortum denuo sub conditione baptizetur".

67. III. **De Cæsarea operatione.** Hæc operatio in eo consistit ut scindantur membranæ quæ uterum cooperiunt ipseque uterus, ut ex eo educatur infans qui per viam naturalem ad lucem edi nequit; dicitur *cæsarea* (a voce *cæsus*); eamdem medici *hysterotomiam* appellant. Hac methodo, ut fertur, lucem vidit Julius, propterea *Cæsar* dictus.

(**A**) Quando hæc operatio fit in *matre vivente*, sit hæc si robusta et medicus peritus, et aliunde adhibeantur *antiseptica* aliaque media chirurgis apprime nota, plerumque salvantur tum mater tum infans [2]; attamen remanet pro utroque aliquod mortis periculum. — Quo posito, quæritur num mater teneatur sectionem cæsaream pati, ut ejus proles baptismum recipere valeat. (**a**) Imprimis omnes fatentur eam non teneri, si infans possit in utero baptizari; nam etiamsi

[1] Hic baptismus, ob decentiam aut periculum nocendi matri, regulariter a solo medico vel obstetrice peragi debet; quod fit aquam in caput infantis, si fieri possit, dirigendo siphunculi ope, vel alio modo, simulque pronuntiando baptismi formam.

[2] Quod demonstrat **Eschbach**, p. 340-344, testimonio medicorum. — Alia operatio, quæ dicitur *symphyseotomia*, consistit in sectione symphyseos ossium pubis, qua pelvianæ fauces latiores efficiuntur, ut proles facilius per eas transire possit; hæc periculo non caret, sed, si in particulari casu tutior a prudenti medico judicatur quam sectio cæsarea, nil prohibet quin permittatur.

spes habeatur salvandi vitam matris et pueri, hæc non est adeo certa ut propterea mater stricte teneatur periculosam operationem subire; unde talis obligatio non est urgenda.

(b) Si vero infans non possit in utero baptizari ac sectio cæsarea unicum sit medium procurandæ salutis infantis (quod raro hodie saltem contingit), non pauci docent matrem teneri operationem permittere, dummodo hæc sit satis robusta, medicus peritus et cautiones adhiberi possint quæ probabile periculum mortis removeant; nam, ex lege caritatis, debemus salutem proximi præferre bono nostro temporali. Sed multi dicunt strictam obligationem non esse id subeundi, nam, ut teneamur vitam exponere pro salute proximi, necesse est ut spes *certa* sit eum salvandi; atqui in casu talis certitudo non adest, cum, non obstantibus cautionibus supradictis, aliquod periculum mortis maneat non solum pro matre, sed etiam pro ejus prole. — Unde in praxi suaderi potest, sed non stricte urgeri cæsarea operatio [1].

68. (B) *Mortua autem matre prægnante*, gravis adest obligatio, ex caritate, sectionem cæsaream perficiendi, quoties probabile est fœtum non periisse, ut possit proles baptizari et forsan ejus vita servari. Hæc obligatio incumbit primum medicis et chirurgis; his autem deficientibus, aliis etiam qui id præstare possunt sine infantis periculo. Unde, ex can. 746, § 4, "si mater prægnans mortua fuerit, fetus ab iis ad quos spectat, extractus, si certo vivat, baptizetur absolute; si dubie, sub conditione".

Sacerdoti autem id non licet, non quidem quia talis operatio sacerdotali honestati per se repugnat, cum agatur de anima salvanda per medium legitimum; sed propter periculum *scandali* quod multi exinde paterentur; nam minus est malum infantem sine baptismate mori, quam scandalum multis adultis dari. Unde hoc sensu S. Sedes pluries respondit [2], præsertim 13 dec. 1899. Sed sacerdos totis viribus prudenter curare debet ut operatio ab aliis perficiatur, præsertim a medico [3].

---

[1] Aliquando etiam periculum pro matre ejusque prole removeri potest per *partus accelerationem*, quæ absque gravi periculo pro infante fieri potest septem jam elapsis mensibus post conceptionem. De cujus liceitate *S. Officium* 4 maii 1898 rescripsit: "Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et fœtus vitæ consulatur". (*Acta S. Sedis*, xxx, p. 704).

[2] Ita *S. Officium*, 15 febr. 1780 et 13 dec. 1899, *Acta S. Sedis*, XXXII, p. 502-503.

[3] In nonnullis Statibus nullus nisi medicus talem operationem licite peragere potest.

Quo facilius vita infantis in utero matris mortuæ servetur, quando sectio cæsarea non statim perficitur, uterus pannis tegendus est, ut calorem retineat; inutile est autem os matris apertum custodire, cum id infantis respirationem minime juvet.

69. Corollaria. (**A**) Si confessarius, ex ægrotantis puellæ confessione, noverit eam esse illegitime prægnantem, nemine id sciente, eam monere debet nil esse faciendum quod vitam infantis lædere possit. Si vero in proximo periculo mortis versetur, eam inducere debet ut rem personæ discretæ detegat, ut, post ejus mortem, operatio cæsarea fieri possit et infans baptizari. Quod puella præstare potest : (**a**) scribendo litteras, in quibus declaret se velle ut post mortem uterus aperiatur et proles baptizetur; quas litteras subsignatas et occlusas tradet personæ fide dignæ, solum post mortem aperiendas : sic enim famæ suæ, in quantum fieri potest, ac saluti prolis providebit; (**b**) si scribere non valeat, viva voce rem manifestet personæ omnino discretæ, quæ nonnisi post ejus mortem factum revelabit. — Si tamen in bona fide versetur, ac prudenter timeatur ne acquiescat, confessarius tacere potest.

70. (**B**) Cum æterna salus multorum infantium pendeat a modo quo medici et obstetrices præfatas regulas de fœtibus baptizandis executioni mandaverint, officium est pastoris eos diligenter instruere tum de necessitate tum de modo baptizandi fœtus abortivos et infantes sive in utero matris, sive post partum periclitantes; ita enim eximium opus caritatis peraget, et in cælestem patriam deputabit non paucos ex his parvulis de quibus Christus dicere solebat : " Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei " [1].

71. IV. **De abortu et craniotomia** [2]. Voluntariam fœtus destructionem apud Paganos viguisse notum est; sed christiana religio, humanæ vitæ ac salutis infantium studiosa, eam ut verum homicidium stricte prohibuit. Nostris tamen diebus non pauci medici abortum atque embryoto-

[1] *Marc.*, X, 14.

[2] **Eschbach,** *op. cit.*, pp. 273-286; 381-476; **Surbled,** *op. cit.*, t. II, p. 184-258; **Dissez,** *Craniotomy from the theological point of view.*

miam seu craniotomiam (i. e. vivi fœtus destructionem)[1] cohonestare conati sunt, casu saltem quo vita matris secus salvari nequit. Jamvero quoad abortum, distingui debet *violenta immaturi* fœtus ejectio, tempore quo extra uterum vivere nequit ab *acceleratione partus*, quæ fit quando fœtus, jam a septem mensibus conceptus, extra uterum vivere potest. — Quibus positis, Congregationum responsa hac de re subjicimus :

72. (A) *De craniotomia.* An. 1884, die 28 maii, *S. Officium* ad examen revocavit dubium a Cardinali *Caverot* propositum : "An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte"; respondendum esse duxit : *tuto doceri non posse*[2]. Cum autem de sensu et extensione hujus decreti disputaretur, præsertim in catholica Facultate Insulensi, Cameracensis archiepiscopus nova dubia proposuit de quibusdam chirurgicis operationibus craniotomiæ affinibus; post tres annos, *S. Officium*, die 14 aug. 1889, primum responsum confirmavit, ac declaravit tuto doceri non posse licitam esse "quamcumque chirurgicam operationem *directe occisivam* fœtus vel matris gestantis"[3].

73. (B) *De abortu immaturi fœtus.* Cum procuratio abortus a craniotomia differat, nonnulli putabant, etiam post præfata decreta, licere abortum ad salvandam matrem.

Proinde novus casus S. Sedi propositus fuit : "Titius medicus, cum ad prægnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat, letalis morbi causam aliam non subesse præter ipsam prægnationem, hoc est fœtus in utero præsentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, præsto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu fœtus ejectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu fœtum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur, quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset". Jamvero *S. Officium*, die 24 julii 1895, decrevit id fieri non posse[4].

---

[1] Embryotomia *etymologice* embryonis sectionem, craniotomia *cranii* seu capitis sectionem significat.

[2] Ap. **Eschbach**, *op. cit.*, p. 461-462; *Acta S. Sedis*, XVII, p. 556.

[3] **Eschbach**, p. 464-467; *Acta S. Sedis*, XXII, p. 748.

[4] **Eschbach**, p. 468-469.

74. (C) *De acceleratione partus.* Quapropter nil manebat nisi de acceleratione partus inquirere; sequentia igitur dubia ab episcopo *Sinaloensi (Sinaloa,* in Mexicana regione) proposita fuere : "1. Eritne licita partus acceleratio quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet fœtus egressio suo naturali tempore? — 2. Et si mulieris arctitudo talis sit ut neque partus præmaturus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare aut cæsaream suo tempore perficere operationem? — 3. Estne licita laparatomia (i. e. abdominis sectio) quando agitur de prægnatione extra uterina, seu de ectopicis conceptibus?"

Porro *S. Officium* die 4 maii 1898 respondit : "Ad 1. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et fœtus vitæ consulatur. — Ad 2. Quoad primam partem, negative... Ad secundum vero quod spectat, nihil obstare quominus mulier de qua agitur, cæsareæ operationi suo tempore subjiciatur. — Ad 3. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et fœtus et matris vitæ, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur" [1].

Quod responsum iterum confirmavit *S. Officium* die 5 martii 1902, priora decreta renovans [2].

75. Ex præfatis decretis triplicem regulam inferre licet. (A) *Directe procurare abortum immaturum* [3] *vel craniotomiam perficere non licet;* utraque enim actio est directe occisiva innocentis. Graviter igitur peccant : (a) *puellæ gravidæ* quæ procurant abortum ne famam amittant aliudve grave malum patiantur; aut *mulieres* quæ, timentes ne gravidæ sint, potiones sumant aliave media adhibent ut abortum inducant; (b) *medici,* qui directe procurant abortum, etiam ad salvandam matrem; non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona [4]; aliunde alia sunt media ad matri suc-

---

[1] **Eschbach**, p. 470-471; *Acta S. Sedis*, XXX, p. 704.

[2] *Ami du Clergé*, XXIV, 1902, p. 478; *N. R. T.*, 1913, p. 164.

[3] Quod quidem verum est, etiamsi admitteretur fœtum, quamvis vivum, anima rationali adhuc non informari; nam ab *Innocentio XI*, 2 mart. 1679, damnata est hæc propositio 34 (**D. B.**, n. 1184) : "Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur". — Excommunicatio contra procurantes abortum lata exponitur in *Tr. de Censuris.*

[4] Nec dici valet fœtum esse injustum agressorem; nam, ut jam suo tempore aiebat *Cangiamilla*, infans non est invasor injustus, sed a natura coactus, cujus auctor est Deus; imo a matre ipsa coactus, ut ait *D. Huber.* Cfr. **Eschbach**, *op. cit.*, p. 424.

currendum opportuna, videlicet partus acceleratio, et operatio *cæsarea*, quæ hodie, in magnis præsertim civitatibus, ubi periti inveniuntur chirurgi, facile ac tuto perficitur [1].

76. (B) *Licitum est indirecte procurare abortum ex causa proportionate gravi;* v. g., si mater lethali morbo laboret, qui curari non possit nisi præbeatur remedium ex quo *per accidens* secuturus sit abortus; dummodo hæ conditiones concurrant : (**a**) morbus sit vere lethalis; (**b**) remedium directe adhibeatur ad morbum curandum, non autem ad fœtum expellendum; (**c**) meliori quo fieri potest modo provideatur baptismo et saluti fœtus animati.

(**C**) *Licet accelerationem partus directe procurare*, quando medicus sapienter prævidet infantem vivere posse, *dummodo gravis adsit causa;* nam tali agendi ratione vita infantis non tollitur, sed solum periculo exponitur; quod quidem licitum est quoties id requiritur ad majus periculum ipsius infantis vel matris avertendum.

77. *Notandum pro praxi.* Cum in nonnullis medicorum Scholis doceatur craniotomiam licere et expedire ad salvandam matris vitam, quidam chirurgi *bona fide* eam perficiunt, quando ex diversis adjunctis operatio cæsarea minus opportuna videtur; quo casu, quoad *præteritum* excusantur quidem a peccato, sed prudenter instruendi sunt quoad futurum, juxta regulas in *Tr. de Pœnitentia* traditas.

[1] Hinc hodie multi, etiam acatholici, medici immaturum abortum ac craniotomiam ut quid scientifice antiquatum reprobant : " Tuer le fœtus, sous prétexte de favoriser l'accouchement, c'est méconnaître les ressources certaines de la chirurgie obstétricale moderne; c'est être arriéré ". Ita *Dr Guermonprez*, ap. Eschbach, *op. cit.*, p. 389.

Imprimé par la Société S. Jean l'Evangéliste, Desclée & Cie. — Tournai (Belgique). — 2355.

Kerdinus

Problem Prayer of Amend nair

Dominfest - sub-indstani - sermis mare